ALLOCUTIONES ACADEMICAE, PARTIM AD CELEBERRIMAE CAROLO-FERDINANDEAE...

Johann Kraus

Digitized by Google

R. s.

6
11-b

6
11 E
17

6-11-b-35

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXXII·B·19·

Digitized by Google

ALLOCUTIONES ACADEMICÆ,

PARTIM

AD CELEBERRIMÆ CAROLO-FERDINANDEÆ PRAGENSIS,

PARTIM

CÆSAREÆ, REGIÆQUE, ET EPISCOPALIS UNIVERSITATIS OLOMUCENSIS

ACADEMICOS

HABITÆ

A

P. JOANNE KRAUS,
SOCIETATIS JESU.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ,
APUD THOMAM FRITSCH, 1706.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

FERDINANDUS WALDHAUSER,

SOCIETATIS JESU PER PROVINCIAM BOHEMIÆ PRÆPOSITUS PROVINCIALIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CUm Librum, cui titulus eſt: Allocutiones Academicæ, a Patre Joanne Kraus, noſtræ Societatis Sacerdote, conſcriptum, tres ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, & in lucem edi poſſe judicaverint, poteſtate a Patre noſtro Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generali, ad id mihi data, facultatem concedo, ut liber typis mandetur. In quorum fidem has literas, manu mea ſubſcriptas, & ſigillo officii mei munitas dedi. Pragæ 15. Octobris A. 1702.

Locus ✠ Sigilli.

FERDINANDUS WALDHAUSER

Digitized by Google

Ordo Allocutionum in hoc volumine continentium.

Dominica XXIII. poſt Feſt. Pentecoſt. Matth. 9. pag. 1
Dom. ultima poſt Feſt. Pent. Matth. 24. 8
Oratio ex Marc. 16 repræſentata in S. Franciſco Xaverio. 15
Dom. I. Adventus Luc. 21. 23
In Feſto immaculatæ Conceptionis B. Virginis, Apoc. 12. 30
Dom. II. Adventus, Marc. 11. 37
Dom. III. Adventus, Joh. 1. 44
Dom. IV. Adventus, Luc. 5. 53
Feſto naſcentis Dei, Luc. 2. 61
Feſto SS. Innocentum, Matth. 2. 68
Dom. intra Octavam Nativitatis Chriſti, Luc. 2. 75
Feſto Circumciſionis Domini, Luc. 2. 82
Feſto SS. trium Regum, Matth. 2. 89
Dom. I. poſt Epiphan. Luc. 2. 96
Dom. II. poſt Epiph. Joh. 2. 103
Dom. IV. poſt Epiph. Matth. 8. 110
Dom. V. poſt Epiph. Matth. 13. 117
Dom. Septuageſimæ, Matth. 20. 131
Dom. Sexageſimæ, Matth. 20. 124
Dom. I. Quadrag. ſive Invocavit, Matth. 4. 138
Dom. II. Quadrageſ. Matth. 17. 145
Dom. III. Quadrageſ. Luc. 11. 153
Feſto SS. Cyrilli & Methodii, Luc. 12. 160
Feſto Annunciationis B. Virginis, Luc. 1. 168
Die Cœnæ Domini, Joh. 13. 175
Dominica Reſurrectionis Chriſti, Marc. 16. 181
Dom. I. poſt Paſcha, Joh. 20. 188
Dom. III. poſt Paſcha, Joh. 16. 195
Feſto SS. Philippi & Jacobi, Joh. 14. 201
Dom. V. poſt Paſcha, Joh. 16. 209
Feſto Aſcenſionis Chriſti, Marc. 16. 217
Dom. VI. poſt Paſcha, Joh. 15. 225
Dom. Pentecoſtes, Actor. 2. 232
Feria III. Pentecoſtes, Joh. 10. 241
Dominica I. poſt Pentecoſten, Rom. 11. 248
Dom. IV. poſt Pentecoſt. Luc. 5. 254
Dom. V. poſt Pentecoſt. Matth. 5. 261
Feſto Beatiſſimæ Virginis viſitantis, Luc. 1. 268
Dom. VI. poſt Pentecoſt. Matth. 5. 276
- - VIII. - - - Luc. 16. 284
- - IX. - - - Luc. 19. 291
- - X. - - - - Luc. 18. 298
- - XI. - - - Marc. 7. 304
- - XII. - - - Luc. 10. 310
Feſto Aſſumptionis B. Virginis. 317
Dom. XIII. poſt Pentecoſt. Luc. 17. 324
Feſto Bartholom. Apoſtoli, Job. 2. 331
Dom. XIV. poſt Pent. Matth. 6. 338
Dom. XVI. poſt Pent. Luc. 14. 345
In Renovatione Studiorum. 353

Dom.

Digitized by Google

Allocutio habita in principio ſtudiorum Dominica, quæ fuit 23 poſt pentecoſten.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Domine, filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet. Matth. 9.

Pietatem ſtudioſorum, fortè in feriis autumnalibus emortuam, non ſepeliendam, ſed reſuſcitandam eſſe.

Filia mea modò defuncta eſt. Sic equidem volvebam animo, rebarqve futurum. Patientia! Homo, de humo. Quaſi flos egreditur, & conteritur. Homo, nihil humani alienum à ſe putet. Animal rationale mortale Homo, inquit Plato. Cui naſci contigit, mori reſtat, ſubdit Annæus Seneca. Homo pulvis, in pulverem reverteris; ita decrevit divina ſapientia, ergo patientia. Si filia defuncta eſt, ſepeliatur.

Primum Hominis lapſi prædicatum: moriatur. Primum hominis mortui prædicatum: ſepeliatur. Abraham deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, & ſepelierunt eum Iſaac, & Iſmaël filii ejus, Gen 25. Mortua eſt ergo Rachel, & ſepulta eſt in via, quæ ducit Euphratam, Gen. 36. Mortuusqve eſt Moyſes ſervus Domini, & ſepelivit eum (Dominus) in valle terræ Moab. Deut. 34. Eleazar quoque filius Aaron mortuus eſt, & ſepeliverunt eum in Gabaats. Joſ. 24. Mortuus eſt autem Samuel, & ſepeliverunt eum in domo ſua. 1. Reg 25. Mortuus eſt denique etiam Dives ille Epulo, & ſepultus eſt in inferno. Lucæ 16. Primum hominis emortui prædicatum: ſepeliatur.

Videtis Academici, quænam ſors mortalitatem noſtram verſet? Eà conditione intravimus, ut exiremus. Omnes eodem cogimur; omnium verſatur urnâ, ſeriùs, ocyus ſors exitura, & nos in æternum exilium impoſitura cymbre. Hor. l. 2. ode 3. Cùm multùm deambulaverimus, domum redeundum eſt. In quam domum? Huſſæus Vates edixit: ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum. Mortem timemus ſcilicet omnia; mortemqve ſpectant, ſummaqve & infima; ipſumqve dum vitare quærunt, inveniunt animæ ſepulchrum. Ergo, ſi mortua eſt, ſepeliatur.

Verumenimverò ne præcipitemus ſententias. Eſt quod nobis in aurem ſecretò inſuſurrat ſapientia. Filia hæc defuncta ſymbolum, & figura eſt pietatis quorundam Dominorum Academicorum. Quæ quamdiu inter Jeſuitas verſabatur, mera Jeſu vita erat: quamdiu Eccleſiam ſanctiſſimi Salvatoris frequentabat, meram vitam de fontibus Salvatoris hauriebat: quamdiu ad S. Clementis ſæpiuſculè comparebat, tota Clemens atque pia audiebat: ibi illa juventutem ſuam renovabat in ſacris confeſſionibus; ibi fortitudinem ſuam pane vitæ roborabat, in ſacris communionibus; ibi verba vitæ excipiebat in ſacris exhortationibus: at ecce nunc defuncta eſſe dicitur! Quando? modò inquam. Modò: ſignificat partem temporis præſenti propinquam, ut eſt apud Philoſophum: modò ergo, hoc eſt, paulò antè, defuncta eſt: hoc eſt, paulo ante Calendas Novembres; hoc eſt, ante anniverſarium omnium defunctorum fidelium; hoc eſt, in feriis Autumnalibus, ſeu, ut loquimur, in Vacationibus, dum nimirum Academici non modò vacant à ſtudiis, ſed etiam, quod vix auſim dicere, à pietatis exercitiis.

Occaſio, vel cauſa mortis fuit, quòd quidam Academicorum, hoc tempore, ſæpius ſomnum usque in profundum diem protraxerint: quis autem neſcit ſomnum mortis eſſe fratrem? alii ineptis jocis, ac continuis luſibus, dediti, tenentes tympanum & citharam, cum morte & inferno fœdus pepigerint, alii inter choreas, magnis ſaltibus in mortis confinia curſum celeraverint; alii inter compotatores, & inter rixoſa jurgia ultro lethum ultro accierint: quibus, ceu lethalibus plagis ſauciata eorum pietas ad extrema deducta, ac demum defuncta eſt.

Verùm quamvis fortè ità ſit, Dd. Academici: nè tamen Pietatem ſepeliamus. Sapientiam veſtram, quâ ſupra cæteros mortales eminetis, obteſtor, pietatem nè ſepeliamus. Magna res eſt ſapientia: veneror, & vel fimbriam veſtimenti hujus divæ exoſculor: pratum quoddam eſt, tantâ varietate florum, quantâ lectiſſimarum ſcientiarum præditum: cœlum quoddam eſt; quot doctis capitibus, totidem fulgentiſſimis ſtellis inclytum: gemmarum quoddam gazophylacium eſt, tot ſapphiris, & carbunculis, ſmaragdis, & chryſolitis, quot ſapientiæ oraculis refertum! Sed quæſo, ità ſapientiam teneamus, ut Pietatem non ſepeliamus. Quid enim eſt Sapientia Academica, ſinè Pietate Chriſtiana? pratum ſinè irriguo fonte; exareſcet. Cœlum, ſinè Sole; obtenebreſcet. Concha ſinè margarita, vileſcet. Gazophylacium ſinè theſauro non colo: thecam ſinè ſanctuario, non veneror. Thronum, ſinè numine, non adoro. Parum placent mihi illæ literæ, quæ ad virtutem Magiſtris nihil profuerunt, inquit

in

Digitized by Google

in Jugurtha Marius. Et ipſe Magiſtrorum omnium maximus ad Divam Brigittam fertur edixiſſe: aliqui petunt panem, alii ſtramen, & utriſqve communico. Quid panis? cibus quotidianus, quo non præſtantior alter. Quid Pietas Chriſtiana, niſi panis vitæ, & intellectûs. Pro hoc oramus, cùm dicimus: Panem noſtrum quotidianum. Quid ſtramen? Sapientia Chriſti nobis edicet. Stramen, inquit, ſunt ſcientiæ ſine fine, ſine pietate. O levem & facilem ardere ſtipulam! Straminea eſt omnis ſapientia, quæ eſt ſine Pietate Chriſtiana.

Quid mihi, & Annæo Senecæ, cujus Sapientiam obſtupuit Roma, ſi vitam deteſtata eſt? aut quid mihi cum Plinio, qui omnem rerum naturam perſcrutatus, ſeipſum ignoravit? Quid mihi Tertullianus, cujus ſummam eruditionem, ſumma obſcuravit ambitio? aut quid mihi Origenes, qui ſuæ doctrinæ oceanum hæreticâ colluvie contaminavit? Quid mihi cum Attheҫis & Capitonibus, Chryſippis, & Sulpitiis, Ariſtarchis, & Macrobiis, quorum alii in quadraginta, alii in ſexaginta, in centum octoginta alii, alii in trecentis conſcriptis voluminibus ſapientiam ſuam venditârunt, virtutis rationem nullam habuerunt.

Ille mihi ſapiens Academicus, qui Thomæ Aquinati ſimilior, de quo nondum ſoluta eſt quæſtio: ſanctiorne, an doctior fuerit? Erotem volo eſſe noſtram Sapientiam, quæ ſine Anterote, ſine Pietate, nec creſcere potuit, nec vivere. Non eſt amor, ſine contra amore; nec vera ſapientia, ſine pietate Chriſtiana. Mortalium ſapientiſſimo credite. Fili, inquit Eccl. 1. concupiſcens ſapientiam, conſerva juſtitiam, & Dominus præbebit illam tibi; alioquin jam Sap. 1. ſtatutum eſt, quia in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Thronos Salomonis, volo eſſe Cathedras Academicas. 3 Reg. 10. Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtivit eum auro fulvo nimis, qui habebat ſex gradus; & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile. Obſervate Academici, tenebat manus dextera ſedile, nè vacillaret in ſiniſtram: tenebat ſiniſtra, nè thronus vergeret ad dexteram. Sic ſtabilienda ſunt ſedilia Sapientum. Teneat latus Sapientia, teneat Pietas; nè flectamur ad ſiniſtram per mentis errorem; nè ad dexteram per voluntatis teporem. Alterutra manuum ſuſtinentium ſedile defuerit; throno immortalitatem non promitto. Pietas ſine Sapientia lapſibus obnoxia; ſapientia ſine pietate, lux cicindelæ, nempe emortua.

Angelum Apocalypticum volo quemvis eſſe Academicum. Apoc. 10. Vidit Joannes Angelum deſcendentem de cœlo, habentem in manu ſua librum apertum; & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare; ſiniſtrum autem ſuper

Digitized by Google

terram. Academicus, ſit Angelus, intellectu Cherubinus, voluntate Seraphinus: liber apertus, ſint ſcientiarum ſacrarum, profanarumque volumina; pes ſuper mare, ſit ipſa ſapientia. Ita enim illa de ſeipſa Eccl. 24 loquitur: in profundis maris ambulavi. Pes ſuper terram, ſit Chriſtiana pietas, juxta id, quod Pſ. 36. Regius Vates edixit: Juſti autem habitabunt terram. Timeo pedi ſuper mare fundato, niſi alter per ſtabilitatem terræ fulciatur: inſtabile, tempeſtuoſum, turbidum, rapax & fallax fulcrum mare: & omnis humana Sapientia ventis dubiorum, ac incertitudinum agitatus pontus eſt. Terra autem in æternum ſtat: juſti habitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam. Pſ. 36. Pietas Chriſtiana æternum fulcrum habet. Figat ergo Academicus alterum pedem in mare: decantet Neptuni pontum moderantis tridentem Poëtica: Eloquentiæ mare pervagetur facultos Rhetorica: profundum maris ſcrutetur Phyſica: virtutes aquarum, & proprietates elucidet Hydraulica: æquoris latitudinem emetiatur Nautica; effecta undarum indaget Medica: Leges Rhodias navigantibus præſcribat Juriſprudentia: imperantem ventis, & mari Chriſtum ſtupeat, & veneretur Theologia: ſed unà pedem alterum terræ infigat Academicus; & quidem cum DEO, amator DEI ambulet Theologus: non modò, quod juſtum diſquirat, ſed quæ juſta ſunt, agat Juriſperitus; ſeipſum curet Medicus; ſeipſum noſcat Philoſophus: videat Poëta, dum pedes in metrum colligit, ne forte in lapidem offenſionis ruat inverſis pedibus: Rhetorqve oratorem putet eum, non tam qui bene dixit, quàm qui bene vixit. Magna enim hominis veſania eſt, inquit D. Chryſoſtomus, ornare, ac polire linguam; vitam autem nec ornare, nec componere.

Imò ſi alterutrum neceſſarium tantùm, & vel ſapientiæ ſplendor, vel pietatis pretium dimittendum; tum enimvero author ſim ut pietas teneatur, Sapientiæ humanæ fulgor dimittatur. Commendabilis Martha, cùm ſororem habet Mariam. Porrò unum neceſſarium. Martha idem, ac ſollicita circa frequens miniſterium: hoc ancillarum eſt; hoc ſunt profanæ ſcientiæ, de quibus Prov. 9. Sapientia miſit ancillas ſuas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis. Maria idem, quod Domina; optimam partem elegit. Et virtus omni arte eſt melior, inquit libro ſecundo Ethicorum Philoſopus. Exeat domo Agar ancilla, cui cum Sara Hera ſua non convenit. Non eſt, inquit aurei libelli author l. 1. c. 3. non eſt culpanda ſcientia, aut quælibet ſimplex rei notitia, quæ bona eſt, in ſe conſiderata, & à DEO ordinata: ſed præferenda eſt ſemper bona conſcientia, & virtuoſa vita.

Ductorem in hoc habeo, meam ſanctam Patriarcham Ignatium, qui Jacobo

Tyrio

Digitized by Google

Tyrio Societatis noſtræ religioſo, & ſtudiis naturalium rerum plus æquò, implicito, ſeſe à morte ſpectabilem exhibens, plus inquit, plus à te volo ſpiritûs, quàm literarum, refert Daniel Bartoli l. 5. vitæ.

Ductorem habeo magnum illum Franciſcum Suarezium, dicere ſolitum, ſe omnem, quam haberet, rerum notitiam, [erat illa pæne ſupra humanam] potius dimiſſurum, quàm ut vel unam orationis præſcriptæ horum intermitteret. Ita ipſæ adeò me docent inſipientes illæ Virgines; de quibus Matthæi cap. 25. Quibus nihil ad ſalutem profuit ornatas circumtuliſſe lampades, cùm ad ſponſi nuptias hoc ſplendido titulo munitæ, nequaquam admiſſæ ſint! Quid lampas ſinè oleo? niſi ſcientia ſinè pietatis fomento! Cæcæ virgines, aut toto errant cœlo, aut cùm ſerò tandem ad januam conſtiterint, ac pulsàrint; infelicem illam recipiunt vocem: neſcio vos.

Quid bipedum nequiſſimo, Neroni inquam, quid profuit multa ſcientia? qui tam diu intra modeſtiæ limites hæſit, quamdiu ignoravit. Cui nihil, vel ipſo teſte, magis fuiſſet optandum, quàm literas neſciviſſe. Sen. l. 1. de Clem. Quid Henrico Octavo, Angliæ Regi ampla doctrina, ſinè virtute; niſi quòd armis ad ſcelera inſtructior, non potuerit non eſſe cæteris ſceleratior? Minor peccator Henricus, ſi magis rudis. Ut veriſſimè dixerit Auguſtinus ſerm. 20. de verbis Ap. Melior eſt fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia. Nempe cùm charitas ſit, quæ ædificat, ſcientia eſt, quæ inflat, teſte Apoſtolo, 1 ad Cor. 1. Quid autem inflata? alta cadunt, inflata crepant, Poëtæ, ſed veriſſimum effatum eſt. Scientia ſinè pietate, ſcientia multùm inflativa; namqve, ut dicitur Eccl. 10. In multa ſapientia, multa indignatio: qui autem multùm indignantur, multùm inflantur. Ita Marci 14. erant quidam indignè ferentes intra ſemetipſos, & dicebant: ut quid perditio iſta? poterit enim unguentum iſtud venum dari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus. Satis indignabundè; ſatis inflatè, inflata crepant; & ideo, qui hoc dixit, crepuit medius.

Alta cadunt. Id exemplo docuit Thales Mileſius (Ex Diog. Laërt.) qui ubi fixo in aſtra vultu, curſum ſeu ſiderum, ſeu nubium obſervat, inter procedendum in obviam foſſam ruit. Vidit hunc ſapientem neſcio quæ anicula, & riſit, quòd Philoſophus quæreret, quid ageretur in cœlo, & neſciret, quid terra ferret. Ita profectò ridenda eſt illa ſapientia, quæ ſic conſiderat aſtra, ut cœlum perdat. Ridemus ſtultitiam; ſed enim quid ſapientia ſine pietatè? melior eſt profectò humilis ruſticus, monet Thom. Kemp. l. 1. c. 2. qui Chriſto ſervit, quàm ſuperbus Philoſophus, qui ſe neglecto, curſum cœli conſiderat. Illam intelligentiam veneror, quæ cum Cherubinum circumferat in capite, Seraphinum ardentem gerit

in pectore. Suſpecta illa Sapientia, quæ tantùm vult ſapere ſedendo: ſedebo in lateribus Aquilonis: neqve vult cum viginti quatuor ſenioribus ſapere, coronam ante thronum Majeſtatis demittendo. Quæ cùm ità ſint Domini Academici, Pietatem, quamvis fortè emortuam, aut quod magis veroſimile, fortè dormientem, Pietatem inquam, nè ſepeliamus. Quin potius omni ſtudio adlaboremus, ut hæc tam æſtimata ſuperis, tam neceſſaria mortalibus filia in vitam, ſtatumqve redeat priorem. Equidem fateor; revocare gradum, ſuperasqve evadere ad auras, hic labor, hoc opus eſt. Æneid. 6. Sed tentare liceat. De modo videamus.

Mortuam Principis filiam, ut eſt in hodierno Evangelio, Salvator noſter, vitæ reddidit, apprehendendo defunctæ manum. Ecce modum, quô Pietas emortua ad vitam redeat. Manum operi applicemus. Satis erit, ſeriò velle. Mors & vita in manu, Prov. 18. Extendit Oza manum ad arcam DEI, qui mortuus eſt, 2 Reg 6. Ecce mors in manu. Anima mea in manibus meis, Pſ. 118. Ecce vita in manu. Tenuit manum ejus, & ſurrexit puella, Matth. 9. Quod ergo volumus, velimus; & manum operi applicemus.

Alium modum. Actorum 9. Fuit in Joppe mulier nomine Tabitha, & factum eſt in diebus illis, ut infirmaretur, ac tum etiam moreretur. Adveniens autem Petrus Apoſtolus, & ponens genua oravit, converſusqve ad corpus dixit: Tabitha ſurge, & ecce miraculum! namqve mulier oculos aperiens, viſoqve Petro reſedit. Quæretis DD. Academici, quandonam in vitam reditura ſit Pietas? cùm identidem in genua provolvemur, cùm elevatis in cœlum manibus oculisqve preces fundemus frequentiores; cùm divinam bonitatem gemitibus, & ſuſpiriis ardentiùs deprecati fuerimus: Oratio eſt, quæ flectendo, vel ipſa numina flectit; & ſacra ſuſpiria, ſunt illa ſpiracula, quæ emortuos animant in vitam.

Adhuc alium modum! Refert Martinus del Rio, in Indiis A. 1596 puellam Chriſtianam ex graviore morbo tandem diem obiiſſe. Cùm ecce adeſt Genitor, repetitisqve pro filia defuncta precibus cœlum primum, tum emortuam, ſemel, iterum, atqve tertio, Mariano Roſario verberat; ſimulqve hac arte ad vitam revocat. Huc ergo, corollas Marianas, huc Roſaria; his cœlum pulſemus, his pro reſuſcitanda Pietate Matrem vitæ deprecemur. Magna virtus roſis; inde conſerva roſarum, anima vitarum: maxima Roſariis Marianis; unde reſuſcitatio, & redanimatio vitarum.

Sed adhuc alium modum. S. Chriſtina, mirabilis illa, dum pro defuncta jam, divina habentur, innumeris mortalibus præſentibus, è tumba viva repente pro-

Digitized by Google

proſiliit, ut refert Dionyſius Carthuſianus in libello de quatuor noviſſimis. Tantum ad vitam prodeſt, vel mortuis, intereſſe ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio. Hoc eſt, quòd Dominos Academicos admonitos velim; ſi Pietas defuncta eſt, reviviſcet illa, modò quotidie, ſecundùm inſtituta ſtudioſorum Societatis rebus divinis interſint, ſanctaqve modeſtiâ, & comprecatione, devotionem fidelium adaugeant. Quid ſi jam quis etiam ſuper demortuo ſuo Lazaro, cum Chriſto lacrymetur? quid ſi defunctum ſuum per pœnitentiæ, atqve confeſſionis gemitus defleat? quid ſi & ſæpiuſcule panem illum ſacratiſſimum recipiat, de quo Joh. 6. ſcriptum eſt: qui manducat me, vivet propter me?

Deniqve adhuc alium modum. Ezechielis 37. Facta eſt ſuper Prophetam manus Domini & eduxit illum in ſpiritu, & dimiſit illum in medio campi, qui erat plenus oſſibus. Et vaticinatus eſt Propheta, & dixit: Oſſa arida, audite verbum Domini. Et factus eſt ſonitus, & commotio, & acceſſerunt oſſa ad oſſa; unumquodqve ad juncturam ſuam; & ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt. O Pietas Pietas! ô oſſa arida, audite, audite verbum Domini, ſi ad vitam redire amatis. Beatus homo, inquit Salomon Prov. 3. qui invenit ſapientiam, & qui affluit prudentia: lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eum. Verba, quæ ego loquor, inquit Chriſtus Jo. 6. Spiritus, & vita ſunt.

Quod ſi hac multiplici viâ nihil proficimus; tum Propheta Eliſæus, omnibus Parentibus, Profeſſoribus, ac Præceptoribus ſit in conſilium & exemplum; qui cùm audiſſet Mulieris cujusdam filium vitâ defunctum eſſe, ad eundem reſuſcitandum, ut eſt 4 Reg. 4. miſit puerum ſuum cum baculo.

(* * *)

Domi-

Digitized by Google

Dominica ultima poſt Pentecoſten.

Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa & majeſtate. Matth. 24.

Memoria extremi judicii, ſcopus ſapientis.

QVæſtio mihi ad vos hodie Academici, ubinam ſapiens habeat oculos? neqve id fortè temerè. Si enim Jobo dicere licuit: ſapientia ubi invenitur? quis vetet quærere, ubi ſapientiæ oculi? Et certè non omnis domus eodem loco feneſtras expoſuit; nec omnis civitas eodem ſitu ſpeculatrices ſtatuit machinas; nec omnis ſpecula in eandem orbis partem excubitores habet, ſunt, qui oculos gerunt in occipite: ita Chriſtus ipſe ad D. Brigittam: oculos in occipite habent, inquit, qui ſtudent ob creaturas. Hi ſalem ſapientiæ quidem circumferunt, ſed ad exemplum uxoris Loth, quæ cum debuiſſet perpendere, quæ antrorſum ſunt; reſpexit retro; oculis uſa in occipite. Sunt, qui oculos habent in manibus: Oculi ſervorum, inquit Pſalmiſta, in manibus Dominorum ſuorum; & oculi ancillæ, in manibus Dominæ ſuæ. Atqve utinam non vice verſâ, oculi ancillarum, eſſent in manibus Dominorum, & oculi ſervorum, in manibus Dominæ. Sunt, qui oculos habent in pedibus, ita de ſtultorum familia edixit Eccleſiaſticus c. 13 Oculi ſtultorum in finibus terræ. Cujus terræ? Homo terra: fines hujus terræ, hominis pedes: Hominis pedes hominis affectus, oculi ergo ſtultorum in pedibus; quia toti in terrenis affectibus. Et quia ejusmodi homines plus diſcurrunt pedibus, quam capite, hinc de illis dicitur, quòd admodùm raro omnes habeant domi. Quin, & in naſo, neſcio quis oculum habuiſſe memoratur à Georgio Stengelio l. de monſtris. Hoc miraculum Chirurgus patraverat, qui oculo laborantem, curaturus, vi emplaſtrorum id effecit, ut oculus ex nativo ſuo loco in naſi deſcenderit foramen; per quod ille naſi curioſus incola, velut per feneſtram identidem proſpiciebat; & modò tanqvam per conſpicilia, terrarum diſtantias metiebatur geometra; modò tanqvam per tubum opticum, ſpeculabatur ſidera Aſtrologus; ex eademqve turricula homo videbat, & olfaciebat. Naſus certe omnibus optandus Zoilis, ſic enim oculati rarius in famam bonorum virorum temone ſuo impingerent.

Sed enim ut ad qvæſtionem redeamus: ubinam oculos habet ſapiens? Patiemini, credo, Domini Academici, ut ſapientiſſimus Regum reſpondeat. Sapientis oculi, inquit ille, Eccl. 2. in capite ejus. Rem grandem! Papæ! oculi in capite, quis ſic non eſt ſapiens? imò grandem! imò rarus eſt, quis ſic ſapiens.

Atten-

Digitized by Google

Attendite, quid dicturus ſum. Circumſpectus eſt ſapiens, videt quid agendum ſit: vertit allegatum textus Vatablus. Sapiens contemplatur in principio, quod futurum eſt in fine, legit Chaldæus. Sapientem ergo oculos habere in capite, eſt circumſpectum eſſe, videreqve, atqve contemplari in principio, quod futurum eſt in fine Videte, quàm pauci ſic oculos habeant in capite. Sed pergamus. Quid caput, quæret porrò quispiam? certè primum rei; juxta illud Deut. 28. Conſtituet te Dominus in caput, & non in caudam. Pergamus adhuc, quid primum rei? Primum rei, primum in intentione: ibi enim oculus, ubi eſt affectus, ait D. Bonaventura in Philomela cantico. Quid poſtea? Primum intentione, ultimum executione, peripateticæ philoſophiæ paræmia eſt. Concludamus. Sapientis ergo oculi in capite, hoc eſt in eo, quod eſt primum rei; hoc eſt, in eo, quod eſt primum intentione, hoc eſt, in eo, quod eſt ultimum executione. Sapiens enim contemplatur in principio, quod futurum eſt in fine.

Verumenimverò quæſtionem, nova, eaqve intricatior ſequitur quæſtio, nempe, quodnam illud, quod ultimum executione? Academici, Chriſtianis loquor; Sapientibus loquor. Erunt, inquit æterna veritas, Lucæ 21. diſſerens de diebus hujus ſæculi ultimis; erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitûs maris, & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione; quæ ſupervenient univerſo orbi; & tunc videbunt filium hominis venientem in nube, & cum poteſtate magna & majeſtate. Et Matthæi 13. Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala; & mittet eos in caminum ignis; ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Et rurſum Matth. 25. Cùm venerit Filius hominis in Majeſtate ſua, & omnes angeli ejus cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis, & ſtatuet oves quidem à dextris, hædos autem à ſiniſtris. Et ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam.

Ecce Academici! ultimum executione. Ultima executionum omnium executio: ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. Habet vita noſtra ſuum ultimum. Mors ultima linea rerum, inquit Horatius Flaccus. Et mors ultima pœna, ait Ludovicus Vives. Habet vita noſtra ſuum finem. Nunquid paucitas dierum meorum finietur brevi? quærit Jobus. Naſcentes morimur, finisqve ab origine pendet, canit Manilius. Habet vita noſtra ſuum: Non plus ultra. Jam non poteris villicare: dictum eſt ad Villicum iniqvitatis, Lucæ 16. Stulte hâc nocte repetent animam tuam à te, Lucæ 12.

Digitized by Google

Habet vita noſtra ſuum terminum, in puncto ad inferna deſcendunt, Jobi 21. Breves dies hominis ſunt; numerus menſium ejus apud te eſt; conſtituiſti terminos ejus, qvi præteriri non poterunt. Job. 14. Habet vita noſtra ſuam ultimam clauſulam Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. ad Hebr. 3. & mors eſt, qvæ tandem inqvit: claudite jam rivos pueri: ſat prata bibêre.

Sed enim Dd. Academici, illa ultimæ noſtræ vitæ linea, adhuc aliam, ex mandato Altiſſimi, ab Apoſtolo ſubſcriptam habet lineam! quam illam? & poſt hoc judicium. Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori: & poſt hoc judicium. Finis ille vitæ noſtræ, finis quidem eſt unius mali, ſed ſimul gradus futuri. Illæ columnæ Herculeæ, adhuc poſt, & ultra ſe habent columnas cujusdam maximi Principis; quibus inſcriptum eſt: plus ultra. Illud punctum, in quo ad mortuorum cavernas deſcenditur, eſt quidem terminativum vitæ præſentis, atqve mortalis, ſed ſimul eſt punctum continuativum vitæ, vel mortis æternæ. Illa vitæ noſtræ clauſula, ſic diem peregrinationis noſtræ hujus terrenæ concludit, ut ſimul januam ad diem futuræ æternitatis aperiat. Itaqve ſtatutum eſt quidem mori; ſed poſt iſtud: non plus ultra; latet quodpiam adhuc ultra: poſt hoc, judicium. Juſtum nempe, & impium judicabit Dominus, Eccl. 11. & tempus omnis rei tunc erit. Nunc varia, alia, atqve alia tempora ſunt. Tempus naſcendi, tempus moriendi; tempus plantandi, tempus evellendi, tempus occidendi, tempus ſanandi, tempus deſtruendi, tempus ædificandi, tempus flendi, tempus ridendi: omnis autem rei tempus tunc erit, ſcilicet, poſt quod tempus, tempus non erit amplius, ut 10 Apoc. cœleſtis dudum prædixit Nuncius.

Ecce Academici, ecce omnium ultimam executionem. In hoc capite rerum figendus eſt ſapientis oculus: primum illi in intentione, quod ultimum executione. Sapiens contemplatur in principio, quod futurum eſt in fine.

Inde eſt, quod ſacræ literæ toties nobis diem illum ultimum ob oculos ponunt: nam de illo meminit Deuteronomii c. 32. libri primi Regum c. 2. Pſalmusq; 109. & Iſaiæ c. 2. c. 13. c. 26. c. 27. c. 66. Jeremiæ c. 10. Daniel. c. 7. Sophoniæ c. 1. Joëlis c. 3. Malachiæ c. 4. Matthæi c. 12. c. 13. c. 16. c. 24. c. 25. Marci c. 13. Lucæ c. 17. c. 21. Actorum c. 1. Epiſtolæ ad Romanos c. 2. primæ ad Corinthios c. 15. primæ Petri c. 4. ſecundæ Petri c. 3. Apocalypſeos c. 1. c. 10. & c. 20. Non ſanè alio intuitu, quàm ut nobis, ſi ſapere volumus, ſemper verſetur in memoria, quod tandem certò eventurum eſt, finitâ hac mortali vita. Præſentis temporis, inquit D. Gregorius homiliâ 32. Ità agenda eſt lætitia, ut nunqvam amaritudo ſequentis judicii recedat, à memoria. Inde

Digitized by Google

de Prophetæ, inde ſacroſancta Evangelia, nobis diem illum tantà verborum energiâ, tanto ſententiarum impetu ingerunt. Audite, non tam vocum ſonos, quàm horrendum minantis cœli tonitrua. Dominus ad judicium veniet, cum ſenibus populi ſui; & principibus ejus: Vos enim depaſti eſtis vineam meam; & rapina pauperis in domo veſtra, minatur Iſaias Et accedam ad vos in judicio, & ero teſtis fidelis, velox, maleficis & adulteris, & perjuris, dicit Dominus, ſcribit Malachias. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere unicuiq; ſecundùm opera ſua, prophetat Apocalypſis. Et congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis ibi, Inclamat Jeël. Eritqve repente, confeſtim, à Domino exercituum, viſitabitur in tonitru, & commotione terræ, & voce turbinis, & tempeſtatis, & flammæ ignis devorantis, inquit adhuc Iſaias, Juxta eſt dies Domini, juxta eſt velox nimis. Vox diei Domini amara; turpiter ibi ejulabit fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & anguſtiæ, calamitatis & miſeriæ; dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis; dies tubæ, & clangoris ſuper civitates munitas, & ſuper turres excelſas, ità Sophonias. Et tunc patebit ſignum filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & majeſtate; inquit ipſe Redemptor Chriſtus. Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: venite benedicti Patris mei; poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: his autem, qui à ſiniſtris erunt: diſcedite à me maledicti in ignem æternum; memorat Evangeliſta Domini, Matthæus.

Huc quæſo, per ſalutem veſtram, qvotqvot Sapientes non tam dici, quàm eſſe vultis, huc oculos veſtros quæſo Academici. Nam nobis, nobis inquam hæc dicta, nobis hæc ſcripta ſunt. Nos, nos aliquando congregari oportet, deduciqve in judicium: & nos inquam, qui in hanc concionem iſthuc confluximus, omnes manifeſtari oportet. Nos ipſiſſimi aliquando ſtabimus ante tribunal Chriſti, rationem reddituri, dictorum, factorum, ac etiam cogitatuum noſtrorum. Omnes enim manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, inquit Doctor gentium, 2 Cor. 5. Ut referat unusquisqve propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Juvenis es? lætare ergo juvenis, in adoleſcentia tua, & ſcito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium. Eccl. 11. Senex es? Dominus ad judicium veniet cum Senibus populi ſui. Iſaiæ 3. Rex es? confregit in die ſua Reges Pſ. 109. De populo es? Judicabit orbem in æquitate, & populos in veritate. Pſ. 35. Triticum es? triticum congregate in horreum meum. Matth. 13. Zizania es? colligite primum Zizania, & alligate ea in faſcicu-

Digitized by Google

ſciculos ad comburendum. Matthæi ibidem. Ovicula es? ſtatuet oves à dextris, Matth. 25. Hædus es? hædos autem à ſiniſtris. Matthæi eodem capite. Angelus es? Virtutes cœlorum commovebuntur, Matthæi 24 c. Homo impius es? ſi juſtus quidem vix ſalvabitur, impius, & peccator, ubi parebit? 1 Pet. 4. Peccatores videbit, & iraſcetur; dentibus ſuis fremet, & tabeſcet. Pſ. 111.

Huc inquam, huc Academici oculos figamus; quando hæc nobis dies fatalis dicta, à qua tota felix, aut infelix noſtra pendet æternitas. Figamus illos in tremendum illud Chriſti tribunal cum ſapiente Agathone, qui in mortis viciniam deductus, toto triduo oculis in cœlum intentis cùm hæſiſſet rogatusqve eſſet, quid ea re ſibi vellet? reſpondit: magno horrens metu, ah magno horrens metu addicto divini Judicis tribunali, unde ſententiam decretoriam pavidus expecto. Sapiamus cum ſapiente Abbate Elia; qui rogatus quid morituro potiſſimum expaveſcendum eſſet? reſpondit. Nihil æqvè ſibi metuendum videri, quàm diem mortis, tum judicium extremum, ac demum omnium terribiliſſimum: decretoriam ſententiam Judicis æterni. Sapiamus cum beato Jobo, c. 14. ita in ſuſpiria erumpente: Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei. Et iterum c. 31. quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum. Sapiamus cum ſapientiſſimo Eccleſiæ Doctore Hieronymo, qui non modo attentiſſimos oculos, ſed & utramqve aurem in illius diei arcana, arrectiſſimam habuit; faſſus, ſive comederet, ſive biberet, ſive aliud quidpiam ageret, ſemper videri ſibi illam terribilem tubam ſonare in auribus: ſurgite mortui, venite ad judicium, & toties, quoties diem judicii cogitaret mente, toto corde, & corpore contumiſcere.

Meritò hæc ſapiens: contemplatur enim in principio, quod futurum eſt in fine. Sapientis eſt, ſcribit Auguſtinus, in ſpeculo peccatorum, c. 3. non tam cujuslibet rei principium proſpicere, quàm finem; exitumqve providere. Felix ee comprobatur, qui ſic cogitat de ſupplicio, ante ſupplicium, ut poſtea ſupplicii effugiat periculum. Sapiens Uranoſcopus eſt; ſimilis inquam piſci, qui oculum in ſummo vertice, habet; eoqve non niſi cœlum reſpicit. Ipſa cœlorum ſerenitas timenda eſt. Videt in ipſo ſereno, tumentes ſuper ſe fluctus collig ſapiens: intelligitqve ſub lucida nube colligi fulgetra, tonitrua, fulmina, quæ perterreant, quæ ſiderent, quæ exaniment. Pendulus ille Dionyſii lucis ſuper Damoclis capite gladius, quoties videtur, toties timetur, toties Damoclem ſapere facit. Principium ſapientiæ, timor Domini, Prov. 3. & plena ſapientia timere Deum. Eccl. 10.

Pareo

Digitized by Google

Paveo gehennam, inquit D. Bernardus, paveo Judicis vultum, ipſis quoque tremendum Angelicis poteſtatibus. Contremiſco ab ira potentis, à facie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à voce Archangeli, à verbo aſpero. Contremiſco à dentibus beſtiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad eſcam. Horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum, & vaporem, ſulphur, & ſpiritum procellarum, horreo tenebras exteriores. Ita ſapiens Bernardus.

O utinam ergo ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent! Votum eſt Prophetarum principis Devteronomii 32 c. Sapientiſſime Prophetes? quid ità inqvis? quid credis, quid ſperas futurum, ſi homines ſaperent, & noviſſima providerent. Tacet; ut exiſtimo, magnitudine, & multitudine rerum obrutus, nobis, ſuis poſteris, reſpondendi locum relinqvens. Quid exiſtimatis Academici, quid futurum credam, ſi ſaperent & noviſſima providerent homines. Dico: ſi ſaperent homines, vigilarent utiqve, & non ſinerent perfodi domum ſuam: ſed ſemper ſtarent ad judicium parati, utpote ignari, qua horâ Dominus venturus ſit. Si ſaperent homines, & intelligerent, ac noviſſima providerent, attenderent utiqve ſecundum Lucæ c. 24. nè fortè, corda eorum gravarentur crapulâ, & ebrietate, & curis hujus vitæ; néve in eos ſuperveniat aliquando repentina dies illa: ſed vigilarent potius omni tempore orantes, ut digni habeantur fugere iſta omnia, qvæ futura ſunt; & ſtare ante Filium hominis. Si ſaperent homines, ô qvot adhuc hodiernâ die, mortalium peccatorum ſibi fortè conſcii ad Confeſſariorum properarent tribunalia, ante diem rationis Deum, humili exomologeſi, & ſcelerum ſuorum deteſtatione, atqve humillimis precibus placaturi. O qvot injuſtè parta, juſtà redirent ad Dominos. Qvam multi à laſcivis jocis, à turpibus libellis, à parùm caſtis fabellis, à ſpurciſſimis tabellis caverent, Camillasqve & Lucillas, & univerſa ſuſpecta vitarent commercia. Qvàm multi pedem reducerent à nocturnis graſſationibus, & comeſſationibus; manum à rixis, & violentis invaſionibus, lingvam à blaſphemandi, & male imprecandi conſvetudine; certi, qvoniam etiam de ipſo verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii. Amplius qvid affirmare auſim. Si ſaperent homines, ô qvàm pleriqve rejectâ mundi hujus vanitate & ſtultitiâ, pœnitentiam ſcelerum ſuorum agerent in jejunio, & fletu, & planctu, & cilicio, & cinere, qui nunc inter falſos riſus, & deceptoria gaudia, roſetis inambulant, & nunqvam ſinceris inhiant gaudiis. Verbo: ô mi homo!

Digitized by Google

Mane, Thekel, Phares, memori ſi mente notares,
Nunqvam peccares, ſed bona cuncta dares.

Cupio intelligi. Mane, ex Danielis Prophetæ capite qvinto, idem eſt; ac: numeravit DEUS regnum tuum, & complevit illud. Hoc de nobis fit hodie. Thekel, idem ſignificat, quod: appenſus es in ſtatera, & inventus & minus habens. Hujus aſſerti prima pars, complebitur in omni mortali, in die Judicii: alteram aſſerti partem, in nullo Dd. Academicorum verificari velim. Phares, idem eſt, ac: diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis. Hoc implebitur in omnibus æternum reprobis, qui in die illa, de regno cœlorum, quod Beatis obveniet, excuſſi ejicientur in tenebras exteriores. O qui hoc trinum accuratà mente revolveret; qvàm ille brevi omne perfectum teneret. Repeto!

Mane, Thekel, Phares, memori ſi mente notares,
Nunqvam peccares, ſed bona cuncta dares.

Breviùs.

Qvidqvid agis, prudenter agas, & reſpice finem!

(* * *)

Digitized by Google

Lingvis loqventur novis. Marci 16.

Amor ſinè ſtipendio.

Repræſentatus in S. Franciſco Xaverio.

NOvas, nobis hodie cœlum offert lingvas, AA. novas verborum dictat formas, nova eloqvia. Annon lingva nova, lingva Xaveriana; cujus illud ſuper hymetti mella dulce melos: O DEUS, ego amo Te, nec amo Te, ut ſalves me; aut quia non amantes Te, æterno punis igne. Habet ſuas lingvas mundus, habent & cœleſtia; ſed vetuſtæ, ſed antiqvæ ſunt, qvibus vel veteres timores, vel antiqvæ ſpes, vel hominum arrogantia, vel puſillorum humilitas uſa eſt: lingva Xaveriana, lingva nova, lingva qvæ vel ſolis competit ignitis lapidibus inter cœleſtia, vel ſolis Seraphinis inter terreſtria. O DEUS, ego amo Te, nec amo Te, ut ſalves me, aut nè æternum damnes me! amo tamen, amo Te! Nunqvid ſic locutus eſt homo?

Loqvebatur inter malè conſuta ficuum folia, dum per violati paradiſi aprica romphæam ſtringens inambulat vindex juſtitia; loqvebatur, qvis? Timor, qvid? audivi vocem tuam, & timui! Oh! lingva vetus, lingva antiqva; lingva hæc metuentis ſupplicium, judicium timentis eſt!

Loqvebatur inter ſurgentes Babylonicæ turris ſtructuras; qvis? futurorum ignara, æternitatis avida mortalium arrogantia! quid? venite, faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum; & celebremus nomen noſtrum! Lingva vetus, lingva hæc populi de ſua cæcitate ſibi blandientes, lingva populi inſanientis eſt.

Loqvebatur inter tonitrua, & fulgura, & fulmina, nubiumqve inter ſe ſe depugnantium conflictus ſummi Tonantis gloriæ quadantenus ſpectator, quis? Populus Iſraëliticus, quid? non loqvatur nobis Dominus, nè fortè moriamur! Lingva hæc vetus, lingva hæc gentis non fruſtrà DEI magnalia expaveſcentis eſt.

Loqvebatur vibratis in beatam illam cœlitum patriam oculis: qvis? Propheta Regius, quid? inclinavi cor meum ad cuſtodiendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem. Lingva ſancta; ſed & illa vetus, & lingva futuræ æternitatis inamiſſibilia præmia concupiſcentis eſt; mercenarii eſt.

Deniqve loqvebatur diei illius memor, diei iræ, & clangoris, & buccinæ, calamitatis, & miſeriæ; quis? Vates Huſſæus quid? quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus! lingva hæc vetus, lingua dentis malè habentis, lingva judicem pertimeſcentis eſt.

Time-

Digitized by Google

Timere ſupplicia, horrere ad tormenta; trahi promiſſo, lactari præmio, partus ſunt ſex millium annorum; antiqua ſunt, vetuſta ſunt! amare, & amare lingvâ Xaverianâ; qvam nec ſpes acuat, nec timor urgeat; nec amara impellant, nec dulcia titillent, hoc novum! ô DEUS, ego amo Te, nec amo Te, ut ſalves me, aut quia non amantes Te, æterno punis igne.

Defigat oculos ſuos illa fæcunda deſideriorum mater ſpes, in beatam de meris felicitatibus, & dulcedinibus conflatam cœlitum patriam; quid aliud exclamet quàm magnus ille cœleſtium contemplator Propheta: O Iſraël, qvam magna eſt domus DEI, & ingens locus poſſeſſionis ejus. Et: quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam!

Defigat oculos ſuos in infernales rogos, in æterna incendia periculorum plusquam præſagus timor; quid exclamet aliud, quàm itidem Propheta. Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante; quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? & non adjiciet? O Domine, nè intres in judicium cum ſervo tuo; judicium inire cum ſervo tuo, ah nè velis.

Utrumqve ſibi ob oculos ſtatuat de puriſſima Seraphinorum flamma oriundus amor; & illam, tot rubinis, & carbunculis diſtinctam, tot pyropis ardentem patriam; & illum tot incendiis, & ardoribus infamem Tartarorum carcerem: & inquit: O DEUS, ego amo te; nec amo te, ut ſalves me, aut quia non amantes te æterno punis igne.

Alliciant illæ ſqvammatæ ſudum cœlum inargentantes nubeculæ: colludant repetitis nutibus illi divorum ocelli, ſtellæ, & ſidera; fulgeant illæ tremulæ cœlorum lampades, nobisqve ſuis diem accendant ignibus Luciferi illi carbunculi, & plenum alternantibus vicibus meridiem vehat princeps ſiderum: totqve nos nuntiis, quot is fulget radiis, invitet ad cœleſtem, mille votis, mille ſuſpiriis digniſſimam patriam. Eh! non ut in cœlo ſalves me! Mellifluum Bernardum ep. 11. audiamus! Eſt qui confitetur Domino, qvoniam potens eſt: & eſt qui confitetur, quoniam ſibi bonus eſt: & eſt qui confitetur, quoniam ſimpliciter bonus eſt. Primus ſervus eſt, & timet ſibi. Secundus mercenarius eſt, & cupit ſibi. Tertius filius eſt, & defert patri. Itaqve & qui timet, & qui cupit, uterqve pro ſe agunt; ſola, quæ in filio eſt charitas, non quærit, quæ ſua ſunt. Non ut in cœlo ſalves me.

Terreant abyſſales inferorum tenebræ, terreant noctes illacrymabiles, terreant maligna ſilentia, terreant lamenta, æternum væ; æternus rogus, æterna incendia! Regio dura & gravis, regio extimeſcenda, regio fugienda, terra oblivionis, terra afflictionis, terra miſeriarum; ubi ignis ardens, ubi frigus rigens, ubi

ver-

vermis immortalis, ubi fœtor intolerabilis, ubi mallei percutientes, ubi tenebræ palpabiles, & infinitorum monſtrorum horribiles facies! Eh! nec quia non amantes te, æterno punis igne, amo tamen amo te.

Lingva Xaverii merus ignis cœlum exuſtura, ſi aliter amare non poſſit: merum mare; inferni rogos extinctura; ſi ſic amare poſſit. Xaverii amor nec ſereno rapitur cœlo, nec terretur nubilo: ipſe ſibi fax, ipſe ſibi lux! nec abripitur in DEUM centrum ſuum præmii amore, nec repellitur ſupplicii timore. Ipſe ſibi concha, & unio: non minus naſcitur inter irati cœli fulgetra & fulmina, quàm inter rorantia tacitis noctibus ſidera! Xaverii amor, qualis olim unam de Chriſtianis Heroinam tenuit in Aſia. Factum ex Divi Ludovici Galliarum Regis pientiſſimi ſcriptis geſtis, in vita c. 57. accipite. Ad Damaſcenum Soldanum Caduceatorem de miniſtris Aulæ miſerat; qui Aſiam ingreſſus mulierem habuit obviam, quæ altera acerrham vivo carbone refertam, altera manu geſtabat aquâ redundantem amphoram; ardebant oculi, flammabat vultus; erecta illi cervix, majòr ſolito, citatiorqve greſſus, & repetita identidem alto de pectore ſuſpiria; tum rogata, quorſum? & qua in cauſa? ignibus cœlum exuſtura, inquit, ſi poſſim; aut aquâ infernum extinctura, ſi illud non poſſim. Quid verò ità ô bona mulier? unde hæc mens? unde ea ſententia? ut quid, ſi libet inferni reſtingvere incendia, etiam vadis in cœlum ſævitura? Tum illa: hæc ità volo, ut nec infernus, nec cœlum habeat, unde DEUS noſter amari poſſit! Ecce Charitatem Xaverianam!

Huc huc, qvotqvot fontes, qvotqvot flumina, qvotqvot turgetis maria! quidquid montium hydrophylacia, quidquid nubium graves uteri, quidquid aquarum tenetis ampliſſimæ cœlorum cataractæ: ità vos lingva Xaveriana! Qvorſum iſta Franciſce? ut inferni pice fluentes ignes, ut ſulphure fumantes rogos, ut mortalium, dæmonumqve tortorem flammam extingvamus. O qvantum expectatam, quantum deſideratam, ô qvot millibus votorum expetitam rem feremus illis miſeris mortalibus, qui tanto ſæculorum decurſu inexplicabilibus urgentur doloribus, urgebunturqve dum terra, terra; dum cœlum cœlum, dum DEUS DEUS erit. Non hoc, non hoc vult Xaverius. Ardeant, ardeant, urantur, crementur, exurantur, æternum torqveantur, quos juſtiſſima ſupremi Numinis fulminavit ſententia! Cæterùm infernales ignes extingvi vult Amor Xaverii, nè quis mortalium impoſterum, magnum illud Numen timore pœnæ amaverit. Non, nè æternùm damnes me, amo tamen amo Te.

Huc huc! qvotqvot ignes, qvotqvot in orbe terrarum ardetis incendia: qvidqvid flammarum cœlum quondam pluit ſuper Sodomam; qvidqvid

Digitized by Google

Thaumaturgus Elias in adverſariorum DEi de ſuperis regionibus evocavit capita: qvidqvid ſulphure ardentium rogorum æthna, qvidqvid Veſuvius intra viſcera ſua clauſum habet; qvidqvid ſub communem rerum finem mundi machinam ſuos reſolvet in cineres; & demum ipſius inferni, igne, ac pice ſtagnantia maria, huc adeſte. Lingva Xaveriana vos vocat. Quorſum hæc Franciſce? ut cœlum & quæ præterea pulchritudinis, ac divitiarum illa habet patria, exuramus.

Ohe! quæ hæc vota Franciſce? qui hi impetus? quæ mens? cœleſtem patriam? felicitatis domicilium? beatitudinis habitaculum? ſedem beatorum? paradiſum gaudiorum? divinitatis templum? ubi lætitia ſinè mœrore; ſalus ſinè dolore, via ſinè labore, lux ſinè tenebris, vita ſine morte, omne bonum ſine qvovis malo; & hanc tu patriam ignibus impetere, incendere, vaſtare, exurere? illasqve beatas mentes exurere quiete, quam tantis laboribus, præmio, quod tantis ſudoribus, coronâ, quam tot certaminibus meruère? Non hoc, non hoc vult Xaverius. Vivant, triumphent glorioſi illi Athletæ, mundi victores, cœlorum domini; teneant, quod quæſierunt, videant, quod concupierunt; ament, qvod obtinuerunt Sit illis ſuus honor, ſua gloria; ſtet illis ſuum gaudium, & tripudia. Cœleſtem patriam exuſtam vellet Amor Xaverii, nè quis impoſterum Divinum Amorem, amore præmii amaverit. Non ut in cœlo ſalves me; amo tamen, amo Te!

Tolle ergo & in hac mortali, & in illa immortali vita ſua virtuti præmia; nihil ſit, quod hîc delectet, quod arrideat: non peculium, non domus, non habitaculum; non amicus, non ſoror, non frater, non mater, non pater; non potentia, non ſapientia, non honor, non æſtimatio, non conſolatio; nè quidem miſerrimorum ſolatium, quod eſt ſpes melioris. Peream more brutorum animantium, & in meum, unde exivi, redigar nihilum; nullus ſol, nulla luna, nulla ſtella beatis ſplendeat: nulla ſit poſthæc vita, nullum impoſterum virtuti præmium, nulla animarum, aut felix, aut infelix æternitas; adhuc amo Te!

Adde, quòd vitæ reſiduum, illudqve longum ſit, quod paupertas deprimat, adverſarius humi affligat, morbus extenuet; ubiqve deſpectum, ubiqve concuſſum, ab amicis vacuum, refertum hoſtibus, repletum ignominiis; inſultantibus dæmonibus; & nullo Cœlitum adjuvante: Adjice, quòd in meriſſimo planctu, & gemitu, non modò aliis, ſed & mihi inviſus, inter ſpelæa, & ſolitudines, tanquam fera beſtia victurus ſum; propter peccatorum enormitatem, multitudinem, turpitudinem, de æterna damnatione magis certus, quàm timidus; horum omnium unus ego centrum, quid facio? ſi Xaverianus ſum; Amo,

inqvam,

Digitized by Google

inquam, amo te, nec ut in cœlo ſalves me, aut quia non amantes te, æterno punis igne.

Minus te ô Domine amat, inquit Auguſtinus, qui aliquid tecum amat, & fortiter non amat, qui non etiam inter eqvuleos, & ſartagines amat, inquit verus Theophilus. Amanti ſolus Amatus ſufficit; nihil ad illum ſpes, nihil timores: omnem cordis angulum Amatus occupat. Dilectus meus mihi, & ego illi: tota amoris univerſitas eſt; cætera foris ſunt.

Non illi pro eſca prænia: quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum. Pſ. 73. Vox eſt Sepharini de montibus Jeruſalem. Non illi pro incentivo beneficia: quidquid mihi vult dare Dominus meus; auferat totum, & ſe mihi det. Vox eſt Serophiri Hipponenſis Præſulis. Nil pavet, nil timet: etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo; in Pſ. 26. Vox eſt Seraphini de terra Hus in cœlum è fimeto ſuſpirantis. Periculorum incurius eſt amor: ſe velle potius ſalutis incertum vivere, ut DEI honor promoveri poſſit, quàm certum gloriæ cœlos ſubire, vox eſt Seraphini de Loyolæis incendiis ſeſe in amoris holocauſtum conſecrantis. Si crederem me, uno ſolo verbo prolato, ob alium finem, quàm ob amorem DEI, poſſe evadere Seraphinum, nunquam illud proferrem. Ità Mariæ Magdalenæ de Pazzis amor dictavit: Amorem tui ſolum cum gratia tua mihi dones, & dives ſum ſatis, nec aliud quidquam ultrà poſco; ità ab amoris ignibus dicto Ignatio idem amor ille inſpiravit. Omnes hæ linguæ, etſi aliæ, & aliæ; linguæ novæ ſunt, linguæ Xaverianæ; & ut quid magis proprium dicamus, linguæ hominum Seraphinorum ſunt. Hominis Seraphini lingva eſt; O DEUS! quantum mihi gaudium eſt; quòd cùm ego pulvis, & cinis, & viliſſimus terræ vermiculus; tu ſis, qui es: Tu vita, tu lux, tu veritas; tu effector omnium, tu regnum univerſorum: tu potens, tu ſapiens, tu optimus, tu pulcherrimus, tu dilectus, & amabilis; tu Dominus dominantium, tu Sanctus Sanctorum; ineffabilis, immutabilis, æternus; circa quem omnia, ex quo omnia, in quo omnia, & in omnibus tu omnia. O magnum Numen! ô quantum gaudeo de te, ô quantum amo te; quamvis ego pulvis & cinis.

Hominis Seraphini lingua eſt: O DEUS! quantum cordi meo eſt ſolatium, quòd cùm ego vanitas, & nihilum ante te, inconſtans homo, & infirmus, natus in miſeria, vivens in laboribus, moriturus in anguſtia; Tu ſis, qui es: merum nunc, mera æternitas; quem nec capit locus; quem non habet tempus, quem non anni dividunt, non ſæcula. Te nec præceſſit præteritum, quia Tu omnium Primum: Te nec ſequetur futurum; quia tu omnium ultimum.

Digitized by Google

Sed neqve, quod fuit, tibi non eſt; neqve quod cum tempore erit, tibi futurum eſt. Semper es, faciens horas, dies, annos, ævum, & tempora; nunquam es, ultra omnes annos, ultra omne ævum, & tempora. O ſemper felix, ſemper durans, ſemper florens æternitas! Magnum Numen ô quantum gaudeo, ô qvantum amo Te; quamvis ego Vanitas, & nihilum, inconſtans homo, & infirmus ante Te.

Hominis Seraphini lingva eſt: O DEUS! quanta pectori meo tripudiorum ſeges eſt, quòd cùm ego regio egeſtatis, & putredo, & monſtrum vitæ, & mortis profunditas; Tu ſis, qui es, illa pulchritudinis, & amabilitatis infinitas, quæ proſpiciens per cancellos creaturarum, & ridet in pratis, & floret in hortis, & gemmat in vite, & cryſtallizat in aquis, & margareſcit in conchis, & candet in igne, & ſibilat in aëre, & lucet in ſtellis, & ardeſcit in ſole, & palleſcit in luna; & eminet in Angelis: ſeipſa verò univerſam creaturarum in ſe trahit proſapiam. O Pulchritudo tam antiqua, & tam nova, ô quàm ſero cognovi, quàm ſerò amavi Te. O quàm nihilominus, dum vivo, dum ſpiro, gaudeo de Te; quamvis ego regio egeſtatis, & putredo, & monſtrum vitæ, & mortis profunditas.

Hominis Seraphini vox eſt: O DEUS, quantùm jubilat animus meus, quòd cùm ego mille infernos, mille meritus incendia; tu ſis, qui es, ſcelerum vindex juſtiſſimus, cujus oculi lucidiores ſole, & qui ad iniquitatem reſpicere non poterunt; cujus opus, Luciferi de cœlo exterminium; cujus factura, inobedientiæ de paradiſo ſtatutum exilium; cujus virtute catacliſmi aquis ſceleratus mundus periit; cujus decreto flammavere Pentapoleos tuguria; cujus vindicta in noviſſimo, & ad cujus imperia in omnem æternitatem ardent inferi. O quæ nunquam temeratam ſervus juſtitia vindex bilancem; tuam ego humili poplite, exoſculor, ſeu ferias ſolùm, ſeu etiam vulneres, & occidas, dexteram! & tuam tibi gratulor poteſtatis celſitudinem, quamvis mille infernis, quamvis mille periturus eſſem incendiis!

Ità linguæ hominum Seraphinorum; ità lingvæ Xaverianæ, ità linguæ novæ. Amore plenæ ſunt; quem nec impellunt timores, nec trahunt ſpes; quem nec terreant minæ, nec blandimenta alliciant; Pyrauſta eſt; ſed qui nec Empyrei, nec inferorum vivit ab ignibus; ſolus illi cibus, qui ignis conſumens eſt. Non ut in cœlo ſalves me, aut nè æternùm damnes me, amo tamen amo Te. Ergo:

Diſcite gentes, quid faciat Amor!
Amor in cordis parvo hoſpitio
Parvum fruſtum, parvusqve hoſpes,

Dul-

Dulcis focus, & blandus tortor;
Inter tacitas animi voces,
Ad langventis modulos mentis,
Semper feſtos ducit ſoles,
Semper roſeis innatat annis,
Semperqve domi, ſemperqve ſuus
Inſtar ſudi ridet olympi;
Qvem nec gravidæ temerant nubes,
Nulli variant turbine venti.
Ardet; ſed ignem non poli accendunt faces,
Ardet; ſed ignem non ſtygis adurgent faces.
Irruat aſtris chaos, & tenebræ,
Cæcæqve diem claudant noctes,
Et Cimmeriis crucient ſpecubus:
Ruat infixis rota cardinibus,
Stellasqve timor, ſolemqve fera
Ipſo excutiant fulmina cælo.
Amor in cordis parvo hoſpitio,
Parvum fruſtrum, parvusqve hoſpes,
Dulcis focus, & blandus tortor,
Inter tacitas, animi voces,
Ad languentis modulos mentis,
Semper feſtos ducit ſoles,
Semper roſeis innatat annis;
Semperqve domi, ſemperqve ſuus
Inſtar ſudi ridet olympi.
Ardet; ſed ignem non poli accendunt faces!
Non ut in coelo ſalves me.
Veniat ſciſſis pallida frænis
Dulcis vitæ, ſæva Tyrannis,
Pullumqve indutus tortor amictum,
Triſtisqve fames, torvusqve timor,
Et quidquid monſtri amplius usquam eſt;
Vosqve æterni probra Cocyti,
Vosqve æternæ incendia flammæ;
Vosqve ignes æternum arſuri!

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Dominica Prima Adventûs.

Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis. Lucæ 21.

Sapiens perpendit ea, quæ præcedent diem judicii, in ſole, luna, & ſtellis &c.

INnumerabilia ſunt, quæ ab orbe condito, in genus humanum congeſta calamitatum monſtra, audivimus, legimus, ipſiqve vidimus Academici. Qvantum illud tonitru ſub mundi primordia fuit: multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, & in dolore paries filios. Quantùm fulmen: Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ; ſpinas, & tribulos germinabit tibi. Quæ non in una calamitate calamitas, qvando ad imperium irati Numinis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi, & omnes cataractæ cœli apertæ ſunt, & ſuo innatans extremo balneo merſus eſt mundus. Qvæ non inflammatæ Nemeſis divinæ iracundia; quando ſuper Sodomam & Gomorrham, & univerſam pentapolis viciniam, ſulphureos permiſtis fulminibus Dominus pluit imbres, & tota furoris ſui in miſeros illos populos effudit incendia? hæc olim. Noſtris temporibus, quanta non patravit cruoris Chriſtiani avidus, & in caput noſtrum jam toties vibratus Turcicus Acinaces; quid non auſa, provincias, & regna integra, depopulata peſtilentia? quas non ſtrages, quæ non vidimus funera? quis annus, quis menſis, quæ hebdomas, quis dies, nobis hactenus fluxit abſqve turbido? quæ hora, quam nullus temeravit dolor, nulla fœdavit miſeria? Nimium, quàm experimur, quod ille Gen. 47. dicebat Senecio: dies peregrinationis meæ parvi, & mali. Dies, ſed quos multum nubilum obſcuravit, multus imber maculavit, multa vexavit pruina, tonitru ſæpe exterruit, iratum fulmen ſæpe pæne exanimavit. Dies noſtri parvi, & mali Tabellæ luſoriæ ſimiles, quam latrunculorum dicimus; in hac loculum candidum, ſemper quatuor atri, atqve nefaſti obſident, hoſtium inſtar, à fronte, à tergo, à dextris, & ſiniſtris miſerum captivum cingentium. Imò parum iſtud, circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus, inquit Pſ. 39.

Sed enim, quantumcunqve aſſertum hoc dignum ſit tripode, illud tamen & divinarum ſcripturarum, & ipſius incarnatæ ſapientiæ teſtimoniũ certum habemus, eam calamitatem, ſub ultimis mundi temporibus mortales afflicturam, qualem, ſive gravitatem, ſive ejus vim, & efficaciam perpendimus, neqve ulla ætas, neqve ſæculum, neqve ulla retroacta tempora unquam videre. Erunt, inquit veritas æterna, erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitûs maris, & fluctuum; areſcentibus hominibus

præ

Digitized by Google

præ timore, & expectatione: & erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usqve modò, nec fiet.

DEUM immortalem, quanta non tulit mundus! ſeu bellorum furores, ſeu commotiones populorum, ſeu devaſtationes regnorum, ſeu ſtrages hominum, ſeu terrarum concuſſiones, ſeu eluviones aquarum, ſeu irata ſidera, ſeu graſſantem peſtilentiam, ſpectemus. Anno à nato Chriſto 302, ingenti totius orbis ſtupore, atqve terrore luna tota quanta in ſangvinem abire viſa. Anno verò 358. Nicomediam urbem tantus terræ motus invaſit, ut uno velut impetu, complura habitaculorum millia egerit in ruinam; reliqvum domorum, quinquaginta diebus ultro citroqve graſſatus pertinax Vulcanus abſumpſit. Anno 510 per immania cœli ſpatia, ingentes viſi armatorum exercitus; cruentæqve cædes, quas graviſſima bella, & interitus innumerabilium hominum ſubſecuti ſunt. Anno 553 Princeps urbs Conſtantinopolis, quadraginta continuis diebus adeò terræ concuſſionibus exagitata fuit, ut in momenta pæne ſingula in vetus chaos videretur abitura. Anno 940 ad omnium mortalium ingentem trepidationem per complures dies adeò à ſe ſol abire viſus, ut non jam diem, ſed ſangvinea diluvia parturire crederetur. Deniqve regnante Juſtiniano Antiochiæ, urbe nobiliſſima, per concitatas terræ convulſiones, intra breviſſimas horas qvater mille, octingenti ſeptuaginta homines, velut eodem ſepulchro abſorpti ſunt. Quid memorem recentia Neapolitani Regni funera? ſeptuaginta mortalium millia, illis terræ motibus cecidiſſe, atqve periiſſe nunciatum fuit. Quid Zeelandiæ nupera aquarum diluvia? ſexcenta incolarum millia ea tempeſtas abſtulit. Quid noſtræ patriæ memorem ex peſtilentia clades; alibi octona, alibi vicena, alibi tricena, alibi ſeptuaginta hominum millia malum abſumpſit. Deniqve quid nuper in captivitatem Turcicam abducta mancipia? centum millia fuiſſe ſcribuntur. Qvanta mala non tulit fertqve etiamnum hodie hic mundus.

Sed veriſſimè Seneca: non tantùm minimum in imo vaſis, ſed peſſimum remanet. Erit, inquit Chriſtus, tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi. In prioribus ſæculis tribulatio fuit vel exigua, vel ſi magna, brevis erat; vel ſi diuturna, unius elementi erat; vel ſi plurium elementorum, unius provinciæ erat; vel ſi plurium provinciarum, paucorum hominum erat; vel ſi plurium hominum, unica erat; vel ſi plures, adhuc aliquis locus, vel tempus, vel modus effugii erat: adhuc ſpes melioris erat; adhuc auxilium in cœlo erat. In die autem illa, & tribulatio magna erit, & diuturna erit, & omnium elementorum erit, & omnium regnorum erit, & omnium hominum erit, & omnis tribula-

bulatio ſimul erit, & locus effugii, aut ſpes melioris, aut auxilium à cœlo nullum erit. Accipiet, inqvit de Altiſſimo Scriptura, Sap. 5. armaturam Zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum; induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum; ſumet ſcutum inexpugnabile æqvitatem: acuet autem duram iram in lanceam: & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Pugnabit hic terræ, qvam calcamus ambitus, pugnabunt homines, pugnabunt jumenta, univerſaqve viventia; pugnabunt maria cum omnibus aquatilibus, pugnabunt auræ cum omnibus volatilibus, pugnabit ignis cum omnibus cœlorum virtutibus; pugnabit ſol, luna, univerſaqve cœli ſidera! verbo: totus orbis terrarum.

Tunc Tribulatio ex Antichriſto, filio iniquitatis, ſemine nequam: qui adjutrice Judaicâ tyrannide, alios de Chriſtianitate cædet virgis & ſcorpionibus, alios concludet vinculis, & carceribus; alios ſpoliabit vitâ, alios poſſeſſionibus, ſed potiſſimùm in ipſas animas bellum portabit, cum illis Chriſtum eripere, & ſe in DEUM recipi velet. Graviùs inqvit Iſidorus (de ſummo Bono c. 26.) tunc contra Eccleſiam deſæviet Synagoga, quàm in ipſo Salvatoris adventu Chriſtianos perſecuta eſt.

Tunc tribulatio ex gentibus. Surget enim gens contra gentem, & regnum adversùs regnum. Lucæ 21. Propinqvante hujus ſæculi termino, ſcribit Lactantius Firmianus (L. 7. c. 15.) humanarum rerum ſtatum commutari neceſſe eſt, & in deterius, nequitiâ invaleſcente, prolabi: ut etiam noſtra hæc tempora, quibus iniqvitas, & malitia usqve ad ſummum gradum crevit, in illius tamen inſanabilis mali comparatione, felicia, & propè aurea poſſint judicari. Itâ enim juſtitia rareſcet, itâ impietas, & avaritia, & cupiditas, & libido crebreſcent, ut ſi, qui tum fortè fuerint boni, prædæ ſint ſceleratis futuri. Nihil tunc quisquam habebit, niſi aut quæſitum, aut defenſum manu: audacia, & vis omnia poſſidebunt. Non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit. Atqve itâ nec ſecuritas, nec regimen, neqve reqvies à malis ulla. Omnis enim terra tumultuabitur, frementqve undiqve bella: omnes gentes in armis erunt, & ſe invicem oppugnabunt. Hæc Firmianus!

Tunc tribulatio ex fame. De vaſtanda per famem Jeruſalem, prædixit Propheta Threnorum 1. Omnis populus ejus gemens, & quærens panem: dederunt pretioſa qvæqve pro cibo, ad refocillandam animam. Et c. 4. Adhæſit lingva lactentis ad palatum ejus in ſiti: parvuli petierunt panem, & non erat, qvi frangeret eis. Qui veſcebantur voluptuosè; interierunt in viis; qvi nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora! Par & major erit tunc ex fame tribula-

bulatio; quando, ut idem ſcribit Firmianus c. 6. præ ardore, & æſtu flagrantium ſiderum, pæne nihil reſtabit in aëre de volucribus, in aquis de piſcibus; inter nemora de animantibus, in agris de ſegetibus, in pomariis de fructibus; adeò ut ipſi homines, quod etiam Jeroſolymitanæ obſidionis tempore contigit, ſint ſævituri in homines; nec parſuri patres filiis, nec matres prolibus, quin ſibi ex eis paſtum quæſituri ſint.

Tunc tribulatio ex peſtilentia, quæ urbes, & oppida, imò totas provincias, regna & imperia depopulabitur. Paſſim deſerta jacebunt, inhumataqve corpora; & inter ipſam ſtivam, & liram concidere ſe mirabitur arator; & qva parte mundi hodie millena, & millena diſcurrunt mortalium millia; vaſta regnabit ſolitudo, & horripilatio; ſibiqve ipſi ignotus ſuum inane ſtupebit mundus.

Tunc tribulatio ex terræ motibus, & concuſſionibus. Confractione confringetur terra; contritione conteretur terra; commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra, ſicut ebrius, prophetat Iſaias c. 24. Tunc, quod conſequens eſt, illa tot principum palatia, illæ tot regum baſilicæ, illa tam carò educta ædificia, tot cœlo minantes turrium apices, tot hoſtibus inexpugnata munimenta, triſtes agent ruinas, & ſemetipſa ſuis involvent ruderibus. Tunc illi tot in ſidera exporrecti montium vertices, ſcopulorumqve cacumina, aut hiſcentibus ſorbebuntur voraginibus, aut ſuo excuſſa centro, ſuisqve ſedibus, alia quærent habitacula, marium hiatus: aut alta implebunt mole ſua, præcipitia. Tunc ex cavernis, ſpeluncisqve ſuis prorumpent exterrita animantia, ſuosqve ferent in cœlum ululatus, & rugitus, & leones, & pardi, & elephanti, & tigrides, & ſi quid ferale magis hic mundus habet. Ipſæ præ horrore, in ſangvineos ſudores ibunt herbæ, & gramina, arbores, & fruteta; & quæ modò Arabiæ fundunt myrrhas, & Indica opobalſama, quaſi rerum agendarum conſciæ, & naturæ ſuæ oblitæ frondes, nonniſi ſangvine funeſtè rubentes, & felle aſpidum nociviores elacrymabuntur partus.

Tunc tribulatio ex mari, ex fontibus, & fluminibus. Nam, ut D. Hieronymus alicubi ſcripſit in regula mon. Tunc ardebit terra, areſcent flumina, maria ſiccabuntur contra naturam, & inſumpto divinitus humore, ariditatem in aquis ignis operabitur. Qua parte verò perſtabit pontus, rixantibus, & crudele in ſe pugnantibus ventis, ima miſcebuntur ſummis; nunc Africo, nunc Evro, nunc Noto crebris procellis oceanum exagitantibus; nec ſciet, cui Domino pareat unda maris. Ibunt, redibuntqve fluctus, & furiis concitatæ undas tradent undæ; ſonituqve vel ipſos exterreat cœlos, & ſtellas in ſtuporem vertat. Væ tibi, quæcunqve tunc altum navigabis ratis; ibis nunc usqve ad ſidera, rapta, &

evecta

Digitized by Google

evecta contra leges elementi, aquarum fluctibus; nunc fulminis ad inſtar, col-lapſo fulcro, ibis in abyſſum, qvò vix humanus oculus eat; nunc depugnantibus omni parte ventis rapieris, ac diripieris, dextrorſum ſiniſtrorum, antrorſum retrorſum, ipſa neſcia, quò verti expediet; idqve ludetur tibi tam diu, usqve direptis velis, diffractô malô, dilapſis remis, qvaſſata prora, concuſſa puppi, aquis obrutâ ſede mediâ, pallentibus, & jam pæne emortuis nautis ſubſides merſa, nunqvam ad auras, niſi in parte alicujus tabulæ, reditura.

Tunc tribulatio ex virtutibus cœlorum. Nam & ille Sol, qui hodie nobis tot lucidas horas, amœnasqve facit, obſcurabitur; & Luna, quæ hodie ſudo cœlo tot læta paſcit ſidera; non dabit lumen ſuum; & ſtellæ, quæ ſuis fulgurillis hodie nobis tam feſtivè noctium caligines temperant; cadent de cœlo; & virtutes cœlorum, quæ hodie nobis tot tacitis influxibus hæc inferiora conſervant, commovebuntur. Ibunt nempe, rediduntqve tunc divinæ Juſtitiæ furore, gravidæ nubes, & nunc dubia fulgetrorum luce, nunc non audito eatenus tonitruorum fragore, nunc repetitis fulminum ictibus exanimabunt, ſi mori poſſint homines. Homines trementes, ſqvallidos, pallentes, & ſeipſos, præ anguſtia, qværentes. Jamqve avidos, aut hiſcente ſorberi terra, aut mille mergi fluminibus, vel montibus obrui, vel in cineres, & ſuum nihilum redigi fulminibus. Tunc, inqvit Firmianus, deteſtabile, atqve abominandum tempus exiſtet, quô nulli hominum ſit vita jucunda. Eruentur funditus civitates, atqve interibunt non modò ferro, atqve igne, verùm etiam terræ motibus aſſiduis, & eluvie aqvarum, & morbis frequentibus, & fame crebrâ. Vitiabitur aër corruptus, & peſtilens; & modo importunis imbribus, modò inutili ſiccitate, nunc frigoribus, nunc ſæviet nimiis æſtibus. Neqve terra homini fructum dabit, non ſeges, non arbor, non vitis feret. Fontes areſcent cum fluminibus, & aqvæ vel nullæ, vel ſangvis erunt, atqve ita & qvadrupedes in terra, & piſces in aqvis, & volucres in aëre deficere erit neceſſe. Prodigia qvoqve in cœlo admiranda mentes exterrebunt hominum; & crines cometarum, & ſolis tenebræ, & color lunæ, & lapſus cadentium ſiderum miſeros aut invenient, aut facient mortales.

Tribulatio, ſed omnium maxima, ex ignibus. Scribit enim Apoſtolorum Princeps. 2. c. 3. qvia adveniet dies Domini, ut fur, in qvo cœli magno impetu tranſibunt, elementa verò calore ſolventur; terra autem, & qvæ in ipſa ſunt opera exurentur. Ibunt, inqvit Salomon Sap. 5. emiſſiones fulgurum, & tanqvam à bene curvato arcu nubium (peccatores) exterminabuntur, & ad certum locum inſilient. Et à petroſa ira plenæ mittentur grandines, excandeſcet in illos aqva maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis

 (igni-

Digitized by Google

(ignium nempe, & flammarum) & tanqvam turbo venti dividet illos, & ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas evertet ſedes potentium.

Sidera ſideribus concurrent, (inqvit Lucanus L. 1. pharſol.) ignea pontum
Aſtra petent, tellus extendere litora nolet,
Excutietqve fretum; fratri contraria Phæbes
Ibit,& obliqvum bigas agitare per orbem
Indignata diem poſcet ſibi; totaqve diſcors
Machina divulſi turbabit fœdera mundi.

Itaqve inqvit Leonardus Leſſius apud Corn. à Lap. in 2 Petri c. 3. exuretur terra profundiſſimè, & omnia opera, qvæ in ea ſunt; exurentur montes, & montium fundamenta; diſſolventur omnia ſaxa, & metalla, & rupes inſtar ceræ liqveſcent; exuretur mare, ità ut conſumatur, qvidqvid in eo eſt terrenum, vel concretum: deniqve exuretur, qvidqvid in aëre eſt materiæ inflammabilis. -- Fient hæc omnia incredibili fragore, & ſtrepitu, ſaxis ignitis, & cinere in aërem altiſſimè ejectis, flamma fumo permixta in cœlum exeunte; torrente ſulphuris, & liquatorum vi ardoris ſaxorum, paſſim decurrentibus.

Tunc erit timor ille tremendus, inqvit Petrus Damianus, cùm cœlis ardentibus, pugnantibus elementis, terra ſuccensâ, conſcientiis obvolutis, dæmonibus accuſantibus, trementibus Angelis, judice furibundo, & miſericordiam neſciente, fiet illa diſcuſſio, qvæ utinam nos paratos inveniat.

O utinam! ergo ite Academici, ite, & fruamini bonis, qvæ ſunt; utamini creatura, tanqvam in juventute celeriter. Ite, & vino pretioſo, & ungventis vos implete, coronate vos roſis, anteqvam marceſcant: nullum ſit pratum, qvod non pertranſeat ſaltem lætitia veſtra. Ite, & qværite roſeta oculis, qværite cantatrices auribus veſtris; qværite amores amoribus veſtris, honores veſtris vanitatibus, ſplendores veſtris ſtemmatibus, divitias veſtris commoditatibus; ſed ſimul videte, nè ſuperveniat in vos repentina dies illa; & ut digni habeamini fugere iſta omnia, qvæ futura ſunt; & ſtare ante Filium hominis. Ite, & domos,& prædia ſtruite, hortos, & pomaria plantate, agros & nemora parate; ſed ſimul recolite; qvod dixit D. Petrus Apoſtolus ep. 2. c. 3. Adveniet dies Domini, ut fur: in qvo cœli magno impetu tranſient; elementa verò calore ſolventur; terra autem, & qvæ in ipſa ſunt opera, exurentur. Cùm igitur hæc omnia diſſolvenda ſunt, qvales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus, & pieta-

Digitized by Google

pietatibus. Imò ſtate, & neſcio qvem inter ruinas, & mundi incendia cantillantem auſcultate:

Quid domos exſtruis, lataqve prædia?
Quæ ſæpe corruunt juventâ mediâ?
Quod heri luſum eſt velut Comœdia,
Cras forſan nobilis erit tragœdia.
Qvid vaſta nemora, qvid agros cumulas?
Qvid ædes ædibus regnorum æmulas?
Ut venti tumidas diſpellunt nebulas,
Sic anni perimunt has terræ papulas.
Qvid hortos paſcuis, fontesqve accumulas,
Qvid rupes montibus, vallesqve vinculas,
Ut has poſteritas enarret fabulas,
Fortunæ vomitus, funeſtas crapulas.
Qvid lacus flumina, torrentes numeras,
Qvid caſtra & oppida, ſceptraqve memoras
Cum Crœſos, opibus, Midasqve ſuperas
En ad ſupplicia, flammasqve properas.
Qvid regna ſeqveris per alta maria?
Qvid mundi prodiga captas donaria?
Heu! tanqvam noctibus ſudata ſomnia
Sic iſta defluent; & cinis, omnia!

(* * *)

Digitized by Google

In feſto immaculatæ conceptionis B. V.

Signum magnum apparuit in cœlo; Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus; & in capite ejus corona ſtellarum duodecim. Ap. 12.

SIgnum magnum apparuit in cœlo, Academici; qvando Maria in utero concepta eſt materno, niſi Magnus Damaſcenus Annæ uterum perperam vivum cœlum appellàrit. Mulier amicta ſole; ſignum magnum. Fugite tenebræ! purpurei vultus aſpectu ſignum hoc matutinam naſcituris ſæculis invehit ſerenitatem: diem luce pleni ſpargunt oculi Virginis; radiorum conſtantem ſeriem exuperat redeuntibus comis anguſtè perplexum crinale: pro innocentiæ amiculo induta eſt candorem lucis æternæ: pro veſtimento, utroqve orbe latiùs ſeſe infundens adepta eſt jubar: Oram indumenti vagæ circumlambunt flammulæ: totum Mariæ corpus lucidiſſimi fulgores innocentes incendunt; totus quantus eſt ſol ſeſe in regiæ mulieris auratum ſinuavit paludamentum.

Luna ſub pedibus ejus. Erubeſce mortalitas! Mulier hæc fugacium infra æternitatem decurrentium annorum inconſtantiam ſub pedibus habet; ab initio, & ante ſæcula creata. Mulier, quæ non inter eclypſantium Lunarum viciſſitudines, præordinata; ex ore Altiſſimi prodiens, ſupra Lunam ſtat. Qvidqvid in divinitatem cornutâ volet inſanire ſuperbiâ, vel ultra fas æternitati miſcere mortalia, calcaneum Mariæ timeat. Qvidqvid maculam dederit in gloria ſua, qvamvis ut ſiderum regina Luna, cæteris fulſerit anguſtiùs, infra Mariam ſit. Argenteus Lunarum candor in pallorem diffluat neceſſe eſt, ad conceptæ Mariæ ſplendores, & incendia. Qvidqvid demum macula eſt, huic nè quidem calceamentum Virginis contingere liceat.

Et in capite ejus corona ſtellarum duodecim. Fugite inſidiæ! tot oculos, qvot ſtellas Mulier iſta habet. Vident illi poſt carecta, & frondium folia infamem latentis ſerpentis aſtutiam; Steterunt excubiæ illæ in cuſtodiis ſuis, & priusquam hoſtis tentaret mœnia, vocatæ dixerunt: adſumus! adverſarios accuratiſſimis obſervaturæ obtutibus. Tremulæ hæ cœleſtes faculæ, dederunt lumen ſuum circùm caput, circum conceptæ Mariæ principium, nè fortè, in communi tenebrarum genus humanum involventium nocte, cum Matre morientium Eva, mater vitæ, à ſemitis vitæ deflecteret.

Bene habet Academici. Non uni Apocalypticæ Aquilæ luxerunt hæ faculæ, hæc illuſtriſſima ſtellarum duodena. Non uni Diſcipulo, quem diligebat

JESUS,

Digitized by Google

JESUS, ſeſe, à muliere amicta ſole, emiſſus veritatis infudit meridies: dies diei eructat verbum, & jam Virginem inter mulieres benedictam, Lunam inter cuncta ſidera pulchram, Mariam inſtar Solis electam, conceptionem inter Adæ filios immaculatam orbis veneratur univerſus. Vidimus & nos Lunam virgineis premi pedibus: audivimus & nos ſponſi cœleſtis immaculatæ ſuæ applaudentis cantica. Novimus in orbe Catholico, jam non eſſe regnum, non provinciam in regno, non urbem in provincia, non cætum in urbe, non gentem in populis, non nationem in gentibus, non peripatum in Lycæis, qvorum non ſit una vox: Tota pulchra es Amica mea, tota pulchra es ô MARIA, & macula non eſt in Te. Ità me Virgo ames, etiam juramento ſubſcripturum: Macula non eſt in Te.

Mulier amicta Sole. Qværite in hoc meridie, qværite in hac muliere tenebras noctuabundæ volucres, & facite vobis neſcio qvas umbras de hac Virgine: præter immenſum lucis jubar, vel ipſæ Aqvilæ iſthic deprehendunt nihil. Prima, ſinè labe conceptæ, qvibus excipitur, incunabula; prima, in quam virgineus fætus effunditur lux, primæ, quibus hæc innocentia ſtringitur, faſciæ; primi, quibus Mariana infantia circumveſtitur, amictus, primum, quo adoleſcens virgo exornatur indumentum; primum, qvo Mulier Regia honoratur, indumentum, eſt Sol. Iſte primùm conceptam, iſte naſcentem, iſte adoleſcentem excepit, ſtrinxit, inveſtiit, exornavit.

Erraverit olim latebrarum ſtudioſa parens noſtra; in tenebris, in umbra mortis ſedentium Mater fuit. Evæ naſcentis cunæ, Adamitici lateris latebræ; nativitatis tempus, tempus ſomni, tempus tenebrarum. Evæ infantia, mentis cæcitas, quâ nec ad ſuam nuditatem erubuit, neqve oculos aperuit priùs, qvam cùm in arborem ſcientiæ boni & mali errabunda impegit. Fecit, qvod nocturni fures ſolent; tenebris uſa eſt. Protoparenti noſtro coſtam, hoc eſt, ſeipſam abſtulit, cùm in illo ſuo capite omnes dormirent homines. Non loqvitur Solem hic amictus: umbroſum tegumentum eſt, quod malè conſutæ æmulantur frondes, & folia: & exiguum conſervatæ innocentiæ teſtimonium eſt veſtis pellicea. Nimirum de latere Adami ſurrexit Eva, de latebris, partus umbroſus, daturus in gloria ſua maculas.

Non ſic ad furtivos tenebrarum receſſus formatur Maria, quæ ex ore Altiſſimi, à Patre luminum, ipſa lumen indeficiens deſcendit; præordinata in ſplendoribus Sanctorum; educata in plenitudine lapidum ignitorum. Virginis prima incunabula; Os Altiſſimi: Virginis faſciæ, ſplendores Sanctorum. Non habuit illa neceſſe in amictum latebroſa conſuere folia, quæ ſua originali integritate

tate involvebatur, nec indui veſtibus pelliceis,quam pleniſſimo meridie Sol veſtiebat. Niſi fortè tunc id eveniſſe dicamus, cùm Agno, velut ſponſa viro ſuo circumdata eſt, formoſa, ut pelles Salomonis. Mulier hæc, adhuc innocentis Adami filia, neſcit veſtium vituperia, loqvitur Cyrillus Alexandrinus, quando ſe ſeptam ſuperni ſplendoris conſpicit velamento, adſtipulatur Chryſologus. Sole amicta eſt hæc Mulier, non quò abdatur aliqva ejus nuditas; ſed ut ſingularis ejusdem exhibeatur puritas & majeſtas.

Nolite jam Academici Mariam conſiderare, quòd fuſca ſit: Formoſa eſt; fuſca, quia decoloravit eam Sol; poſuerunt eam cuſtodem in vineis. Ibi ad urentis ſolis faces elegit decolorari, quàm inter frondes arboris ſcientiæ boni & mali meridiari. Formoſa tamen eſt; ubi enim vulgata legit: decoloravit eam Sol, Philo Carpathius legit: circumſpexit eam Sol, admiratus pulchritudinem, in qva nullam maculam inveniret.

Et Luna ſub pedibus ejus. Quid nocere poſſit miſella, quæ infra Virginis pedes victa hæret. Qvid præſumat afferre infans Luna; in conſpectu Virginis, quæ verbum vitæ æternæ ſæculis parturit? An conſurrecturam putem in cornua, quæ jam olim audivit: ipſa conteret caput tuum. An umbroſum hoc corpus, Marianum præſumat eclypſare Solem? Dominetur in caput Adami frigidum aſtrum; Mariæ à pedibus eſt. Terræ filiis, non ſupernæ menti, qualis Virgo eſt, veniunt tenebræ, quas umbraticis affectibus præpeditus oculus ſe vidiſſe finxit, ratio non invenit. Maculas Luna, ſi quibus mundum ſcandalizat, de luteis Adami ſordibus, non de virgine ab æterno in meridiè divinitatis concepta, contraxit. Pulvis, quem fortè in Lunam excuſſit Virgo, non è pedibus, ab omni labe præſervatis, ſed de calceamento Adami ortum habet.

Pallida Luna pluit: in proverbio eſt! pluat; imbribus eam concutiat terram, quæ ex peccato maledicta, ſpinas fert, & tribulos. Nè ſtillam vel timet, vel ſpirat inde Vellus Gedeonis inundatum dilecto, cujus caput plenum diviniſſimo rore, & cincinni guttis, quas intemerata tacitis ſtillant ſidera noctibus. Rubicunda flabit? flaverit, vel ſæva inter turbines, vel blanda inter zephyros; Virginem nil movent ventorum ludibria: cujus auditum una vox dilecti præoccupavit. Alba ſerenabit? ſerenaverit Adamo, cæterisqve ejus poſteris lucem, ſerenumqve reducat, quod ſuperinductis ſcelerum tenebris abſtulit: illic ſit poſt nubila Phœbe: Mariæ ſerenum, dilectus eſt, cujus facies reſplendens ut Sol; cujus veſtimentum ſicut nix. Protoparenti papaver ſpargant Lunam circumeuntia ſomnia; Lunâ plenum caput Adami totum in mortem obdormiat: non dormit Maria; quæ per noctes quærit, quem diligit; & ſi quando dormit oculus,

Digitized by Google

lus, vigilat affectus; nè quà furtivus ſerpens ſeſe in Virginis inſinuet conſortia. Urat per noctem Adamum Luna; qui per diem ab altitudine ſolis non timuit; eritis ſicut Dii. Mariam laudet Sol, & Luna, illam, cujus humilitatem reſpexit Altiſſimus. Illum, qui qvaſi mare fervens Lunaticis patet, ſubjectusqve eſt in fluxibus, tumidum attollat, ut deprimat; ſub hac deprimatur, ut Virginem attollat.

O qvàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis Filia Principis! Tibi, Luna, ſi fortè fulcimentum eſt, ſubſternitur, nè commoveantur pedes tui. Si facula eſt, luxit, nè in arborem ſcientiæ boni & mali offenderes! ſi regina cœli eſt, quanta ſis, à qua calcatur, oſtendit. Si verò Luna ſuperbiæ ſymbolum eſt, tuis prematur pedibus: ſi inconſtantiam figurat; infra tuum calceamentum hæreat: ſi maculis indecora; jam ab initio puriſſimæ Conceptionis tuæ obſtupuit ſplendores, ut aut ad tuam palleat Majeſtatem, aut ſuos nævos verecunda erubeſcat. Pulchri ſunt greſſus tui, ſive Lunam, hoſtem dixero, quem premant, ſive ducem, quem ſequantur.

Verùm, unde nobis incipiendum erat, ad caput Virginis, ad primum conceptæ inſtans, capita levemus Academici; atqve ità conceptus noſter pedes habeat, & caput. Non qvàm purus fluat rivus, ſed quàm limpidus, ac mundus ſit in ſua origine, indagamus: neqve qvàm feliciter meridiem mundo invexerit MARIA, verùm qualis ipſa in primo manè, diluculo, & in primo conceptionis ortu extiterit. Si momentum fuit, qvo umbram jecit, ſi inſtans fuit, quô maculam dedit in gloria ſua, ſi primum nunc, habitavit cum habitantibus Cedar; immaculata quidem ſit, immaculata tamen non ſemper fuit. Non fruſtrà concludere videtur Philoſophus: Omnes in Adam peccaverunt; ergo & MARIA, quæ aut nulla, aut inter omnes fuit. Sit amicta Sole, cùm Mulier in cœlo apparuit; non cùm infans in utero conciperetur, talis erat. Erat in Matre, cùm Filius Matrem redimeret; Calcavit illa Lunam, ſed quæ priùs aſcendit de deſerto, de maledictionis patria. Triumphant circùm Virginem ſplendores, ſed de expulſis tenebris. Ità inanes ſine viribus iræ; & vacua fulmine fulgetra volatilium ingeniorum.

Sed audiant hi cæteris perſpicaciorem Aquilam Apocalypticam. Vidi, inqvit, & ecce ſignum magnum apparuit in cœlo; Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim. Quid corona in capite Virginis? Corona inſigne Victorum eſt: hinc coronæ murales, coronæ navales, coronæ civicæ, dabantur iis; qvi primi mænia hoſtium conſcendiſſent, primi adverſarios navigio invaſiſſent, primi turbatos cives compoſuiſſent; qvare

 Virgi-

Virgilius l. 5. Victorem magnâ præconis voce Cloanthum declarat, viridiqve advelat tempora lauro. Nè jam miremini Academici Coronam in capite hujus Mulieris: vicit illum, qui omnium noſtrum Matrem primùm vicerat; vicit, qui caput generis humani proſtraverat; vicit illum, qui totam humanam maſſam ſibi ſubegerat; Omnes in Adam ceciderunt; non cecidit Maria; omnes victi in Adam, una vicit MARIA, omnes dederunt maculam in gloria ſua, non dedit MARIA, inde ad illam dictum: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in Te. Depugnâſti, concertâſti, viciſti: veni, coronaberis! unde? coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum: ſeu ut breviùs & noſtræ intelligentiæ accommodatiùs dicamus, coronaberis de profligatis hoſtibus inferorum! Corona in Capite ejus.

Sed quid ſibi vult corona in capite? Magna erant capita illi viginti quatuor ſeniores, quos in Apocalypſi ſua vidit Apoſtolus c. 4. & tamen mittebant coronas ſuas ante thronum viventis in ſæcula Quid igitur corona huic Mulieri in capite? Caput uniuscujusqve rei principium. Caput Mariæ; principium, & primum inſtans conceptionis Mariæ. In illo principio, in illo inſtanti jam victrix erat MARIA; ergo corona in capite MARIÆ. De nobis omnibus mortalibus dictum eſt Iſ. 1. omne caput langvidum. Et Pſ. 7. dolor ejus in caput ejus; ſiqvidem peccator, (diabolus) impinguaverat oleo ſuo caput noſtrum, & multiplicatæ ſunt iniqvitates ſuper capillos capitis noſtri; inde illud 4 Reg. 4. caput meum doleo, caput meum doleo! verbô: omnes laboravimus capite, omnes victi in primo noſtro capite. Non ſic Maria. Ad hanc Cant. 7. dictum eſt: Caput tuum ſicut carmelus. Carmelus, inqvit Luyſius Legionenſis eminet cæteris Judææ montibus; eaqve ſitûs triumphat naturâ, ut hoſtibus inacceſſibilis ſit. Qværite jam Academici, cur corona in Mariæ capite? Carmelus eſt, omnibus eminet, omnibus excelſior eſt, rex montium eſt: nulli hoſti pervius, nulli unqvam adverſario patuit; benedictio Domini ſuper caput iſtud; qui proinde coronam poſuit in hoc capite! Imò hoc illud caput eſt, qvod tot contrivit capita: Maria eſt illa felicior Evâ mulier, quæ caput ſerpentis contrivit: Jahele fortior, quæ Siſaræ caput confregit, Judithâ generoſior, quæ Holoferni caput ſicâ abſtulit; vera Davidis filia, quæ infernalem Goliath lapide, ſinè manibus abſciſſo, in capite proſtravit. Ergo veni ſponſa Chriſti, veni coronaberis; victrix de capite Amana, triumphatrix de vertice Sanir & Hermon; veni coronaberis in capite.

Sed adhuc, quid ſibi volunt ſtellæ in capite hujus Virginis. Si hoſtium victrix

Digitized by Google

victrix eſt, debebatur illi laurus; ſi Regina, corona illi ſuffecerat aurea, ſi Imperiorum Domina, coronam de lapide pretioſo deſtinaverat illi Dominus. Ità quidem, ſi cæteros Adæ filios, ſi hæc terreſtria, & mortalia ſpectemus; non ſi filiam Altiſſimi, non ſi cœlorum Dominam. Laurus tam vile apud ſuperos nomen, ut in totis divinis ſcripturis nusquam legatur. Aurum, quantumcunqve mortalibus in pretio ſit, ortum tamen de limo habet. Corona de lapide pretioſo, pretioſa illa quidem; ſed tamen ſervis DEI communis eſt. Corona ſtellarum, quæ quinta quædam rerum eſſentia ſunt; & ſolum cœlum pro patria habent, uni debetur Mariæ, Mulieri cœleſti, & inter omnes creaturas maximæ, qvæ ſuo judicio ancilla Domini, judicio Domini totius mundi Regina eſt. Qvanqvam adhuc alia lux mihi ab iſtis ſtellis venit; quæ quadantenus immaculatiſſimam Virginis conceptionem mihi demonſtrat.

Cùm nos filios ſuos parturiret Protoparens noſter, hæſimus in eo omnes ut in capite: ſed in capite, quod tandem princeps tenebrarum ſuum fecit. In hoc capite non hæſit Maria, ſed latebat in divino; tanqvam Pallas, quæ Pythonem interfectura, & caput Meduſæ conculcatura erat. Aut ſi demus in Adami capite latuiſſe: Maria lucidum capitis illius intervallum erat, tot ſtellis illuminatum, ac proinde nulli caligini, nulli umbræ peccati obnoxium! Cùm cæteri parturiremur, erant tenebræ ſuper faciem abyſſi: ſed non ſuper eam, quæ jam concepta erat, quando nondum erant abyſſi: tenebræ quidem ſuper Ægyptum, ſed non tenebræ in Geſſen! cæteri dormitaverunt, & dormierunt; & venit homo inimicus; venit, vidit, & vicit: Non dormiit Maria; quæ magis ad illas cœli faces, caput ſuum ambientes, quàm Cleanthes ad lucernulos ſuos vigilavit; nè quis hoſtis furtivus ſurreperet: indè nunqvam victa, nunquam maculata. O mirè pulchram Virginem! ad cujus objectam ſpeciem, ipſæ ſtellæ ſiſtunt curſus ſuos; & velut illam intueri nunquam ſatis ſaturæ, in coronam abeunt; nè altera alterius curioſo affectui obſtaculum faciat præcedendo. O cœlum! cœlum! qvàm metuo, nè ſi fiat licentia diſcedendi locô cæteris ſideribus, univerſa in coronam hanc abeant, teqve inane vacuum efficiant.

Demum in capite Mulieris corona ſtellarum duodecim! Novum myſterium! duodecim prærogativas DEI Matris intelligit hic Bernardus. Nam primò, inquit ſingularis fulgor refulget in Maria, in generatione: ſecundò, in Angelica ſalutatione; tertiò in Spiritus ſuperventione; quartò in Filii DEI inenarrabili conceptione; quintò, quòd Virginitatis ſit primiceria; ſextò, quòd ſine corruptione fæcunda; ſeptimò, quòd ſinè gravamine gravida; octavò, quòd ſinè dolore puerpera; nona, eſt manſvetudo pudoris; decima, eſt devotio humili-

litatis; undecima, magnanimitas humilitatis; duodecima eſt martyrium cordis! O fulgidas ſtellas, ô lucidas cœli faculas, quæ omnes Virginis immaculatam conceptionem mirum in modum illuminant, illuſtrantqve. Tot nempe, tantisq; teſtibus, quod piè de Virgine creditis, certum habemus Academici; tot ſignatum ſigillis, quot Virgo fulget ſtellis; tot hic immaculatus conceptus ſtabilitus eſt argumentis, qvot divina Mater cumulata eſt ſupereminentiſſimis gratiis.

O Matre pulchrà filia pulchrior, jam ſubſcribo, quod dixit Auguſtinus l. de nat. & grat. Propter honorem Domini, nullam prorſus, cùm de peccato agitur, de Matre Dei oportet facere mentionem! ipſa enim ab omni peccato immunis fuit. Jam credo, qvod dicit Anſelmus: Decens erat, ut eà puritate, quâ ſub Deo neqvit major intelligi Virgo niteret, cui Deus Pater unicum Filium ſuum daturum diſpoſuerat. (de conceptu Virginali c. 18.) Jam aſſentior eidem ad Epiſcopos Angliæ ſcribenti: non eſt verus amator Virginis, qvi celebrare reſpuit feſtum conceptionis. Sed, dicet qvispiam, nunqvid Maria Chriſti redempta non eſt? ſi autem redempta eſt, qvomodo in ea macula non eſt? Intellexi; nec redemptam nego, neq; maculatam ſcio. Quomodo redempta, ſi non maculata? Legatur à Philoſophis Philoſophus, identidem inculcans: ab eo auferri formam, qvi qvalitates abſtulerit, qvas niſi abſtuliſſet, forma ſecutura fuiſſet. Chriſtus Mariam, inqvit Auguſtinus, ſalvavit, non qvia nocuerit aliqvis hoſtis, ſed nè nocere permitteretur. Legatur ab Excellentiſſimis Angelicus: Medicus dicitur ſolvere morbum, non modò, qvem profligârit, ſed etiam à qvo præſervaverit per medicinam. Legatur juris regula à Clariſſimis, qvâ ſtatuitur legibus communibus, & generatim latis Auguſtam legiſlatoris conjugem non perinde illigari. Non pro te, ſed pro omnibus hæc lex. Eſth. 15. Legatur ab eximiis purpuratus Cajetanus: non ſolùm redemptione indiget, qvi actualiter captivus eſt, ſed etiam, qvi captivitati obnoxius eſt. Legatur ab univerſo Doctorum orbe, qvod Pſalmiſta cum jubilo cecinit: adjuvabit eam Deus manè, diluculo; Hieronymus legit; in ortu matutino; hoc eſt, ut gloſſatur pietas in Virginem: in conceptionis primo inſtanti, in principio, & capite.

Stet nunc, qvam hodie tot Lycæa, & Academiæ jurabant, pia ſententia! Maria immaculata. Ità eſt, ità eſt, Maria tota pulchra eſt, non eſt vel umbra maculæ in capite, qvod ſtellæ coronant, & illuſtrant; non eſt in pedibus, qvi lunam, maculoſum illud aſtrum, pedibus calcant; non eſt in tota Virgine, quam circumfuſus ſol circumdat: ità omnes ſubſcribimus, ità omnes DEUS, & ſemper immaculata adjuvet, & ſancta ejus, per qvem hodie ſacramentum dicemus, Evangelia.

Domi-

Digitized by Google

Dominica ſecunda Adventus.

Tu es, qui venturus es. Marci 11.

Sapientis occupatio, Judicis venturi meditatio.

POſteaqvam igitur omnia ea, quæ ſuperiore exhortatione, ſub diem extremi Judicii eventura diximus, ſibi conſtiterint; tunc videbunt, ait Sacra Evangelii Hiſtoria, Filium hominis, venientem in nubibus cœli, cum virtute multa; & ſedebit in ſede majeſtatis ſuæ; & congregabuntur ad eum omnes gentes, & ſeparabit bonos à malis, conſtitutus Judex vivorum & mortuorum. Qvis ille Academici? qui nuper locum non habuit in diverſorio, qui nuper infantulus vagiebat in præſepio; qvem nuper viles ſtringebant faſciæ, & panniculi: cujus lectus rude fænum, rude ſtramen; cujus famulitia, pecudes; cujus nutritius, faber lignarius; cujus mater, pauper Virgo, de filiabus Nazareth: & ecce iſte venit conterere gentes, & confringere celſiſſima cedrorum Libani. Qvis ille Judex? qvem nuper exſibilaſtis ſcribæ, blaſpemâſtis Phariſæi, contempſiſtis turbæ, illuſiſtis Principes; ille factus Judæis in ſcandalum, gentibus in ſtultitiam, venit ventilare aream ſuam; non jam mitis, blandusqve agnellus, ſed fortis, immanisqve leo: non jam rex manſvetus, ſed inexorabilis, juſtus tamen Judex: non jam in præſepia abjectus puſio, ſed Dominus plenus majeſtate, in tremendo ſpectandus ſolio. Quis? Ille, quem infelix Judas vendidit, Petrus negavit, Annas ut latronem comprehendit, Caiphas ut blaſphemum reum mortis proclamavit, Herodes ut ſtulto illuſit, Pilatus, ut de crimine convictum, ad crucis ſupplicium condemnavit. Ecce, iſte venit plenus honore & gloria, reddere unicuiqve ſecundùm opera ſua; ex reo Judex, ex condemnato Victor, ex crucifixo, Rex regum, & Dominus dominantium, plenus gratiæ & veritatis.

Ergo tu es, ô millies venerande, milliesqve adorande mundi Salvator, Tu es, qvi venturus es? cui omnis poteſtas in cœlo & in terra? Tu, nuper nobis tam vilis, tam projectus, & contemptus? Vidimus te, & non erat aſpectus, non ſpecies, non decor; vultus tuus abſconditus, & non reputavimus te. Tu inquam nobis venis, jam timendus, & in reos decretoria vibraturus fulmina? Placetne intelligere Academici, qvàm timendus nobis veniat? Judex eſt, qui nec gratiâ prævenitur, nec miſericordiâ jam flectitur, nec pecuniâ corrumpitur, nec ſumptâ poſt hanc vitam pœnitentiâ mitigatur. Nihil tunc preces noſtræ Academici, nihil vota, nihil lamenta, nihil lacrymæ; niſi id nunc facimus. Judex eſt, qvem nemo fallit, quia infinita ſapientia eſt: quem nemo fruſtrà læſerit;

Digitized by Google

quia ipſa juſtitia eſt: quem nemo effugerit, quia ipſa omnipotentia eſt. Nihil tunc noſtrum AA. aut latendi ſtudium, aut quæſita interceſſio, aut ingenioſè captata effugia: vel ipſius Ariſtotelis, Platonisve argumenta tunc nihil proderunt, ut ad Heliodorum ſcribens monet D. Hieronymus. Judex eſt, magnus, & metuendus nimis: terribile nomen ejus in univerſa terra; omnipotens, & fortis, ſubvertens montes, & conterens petras; & continebunt ſuper eum omnes gentes os ſuum. Nihil hic, Academici, poterit Heroum animoſitas, nihil audacia, nihil præſumptio: ipſi etiam potentiſſimi Reges, (ſcribit Hieronymus) tunc nudo latere, trementes, pallentesqve palpitabunt.

Adhuc in cunis jacebat hic Judex, infantulus inter vagitus, & lacrymas; inops, vilis, contemptus, & vix ulli de mundo cognitus. Et audiit Herodes, quia Rex naſceretur in Bethlehem; & turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo, ſcribit Evangeliſta Matthæus c. 2. Qvid erit tribunal judicantis, quando ſuperbos reges, terrebat cuna Infantis? qværit Auguſtinus ſerm. 30. de temp. Quid facies timidule Princeps, cùm hic puſio, qui modò blanditur nutibus; verterit riſus in tonitrua! cum lacrymas in cataclyſmos, & diluvia? cum vagitus, in improperia, & fulmina; cùm præſepe in tribunal; & tacitas noctis tenebras in arſuri mundi incendia; cum faſcias in compedes, & æternum non ſolvenda inferorum vincula. Quid erit tribunal judicantis, quando ſuperbos Reges terrebat cura infantis?

Miſerat qvondam hujus magni Domini æternus Pater conſolatorem Angelum, ad ſervum ſuum Manue, qui eidem filium naſciturum promitteret, futurum in ſalutem, & redemptionem populi, ut habetur Judicum 13.c. Rem ſtupendam? videt Angelum Manue, audit lætiſſima nuntiantem Manue: & exclamat: morte moriemur, quia vidimus Deum. Cœleſtem genium, blandè renidentem viderunt, dulciter conſolantem, audierunt, & ſe morituros conclamaverunt. Qvomodo ferre poterunt aſpectum judicantis, qui non poſſunt perferre faciem Angeli conſolantis? Qværit hìc Origenes! Qvid facies ô Manue, quid facies ô Academice, qvando os Domini non amplius loqvetur roſas, & lilia, blanditias & lenocinia, ſpes & præmia; ſed detonabit ſpinas & tribulos, fulgetra & fulmina, æternum væ, æterna lamenta? ah qvomodo ferre tunc poterimus aſpectum judicantis, qui ferre non poſſumus faciem Angeli conſolantis.

Adhuc Judex iſte, reus agebatur, ad ſupplicia, & ad mortem quærebatur. Diſcipulus prodiderat; Principes Judæorum emerant: Phariſæi inſectabantur: latrones cum laternis, gladiis & fuſtibus ad inveſtigandam prædam proceſſerant.

Domi-

Digitized by Google

Dominus tunc inermis, & ſponte ſuâ impotens, jamjam in funes, & vincula ibat; cùm ecce JESUM Nazarenum perqvirentibus, inqvit: ego ſum, & ecce illico abiit omnis illa ſeu militum, ſeu latronum turba retrorſum in terram, ut habetur Jo. 18. c. una vocula: una inermis lingvæ aſpiratio: ego ſum, integras hoſtium ſternit phalanges; & humi fuſos cuncos agit in præcipitia. Quid judicaturus, faciet, qui judicandus hoc fecit? quærit iterum Auguſtinus tr. 112. in Joem. Qvid judicaturus faciet, ſtipatus tot millibus Angelorum? tot adſtantibus millibus dæmonum? ardentibus cœlis? pugnantibus elementis, hiſcente præ concuſſionibus terrâ: tumultuantibus marium fluctibus, fulminante undiqve cœlo, tenebreſcente ſole, in ſangvinem versâ luna, ruentibus de curſu ſuo ſtellis, commotisqve univerſi totius virtutibus, quid judicaturus faciet, qui judicandus, uno eoqve dulci alloqvio militares ſtravit cohortes?

DEUM immortalem! quid dicetis tunc boni paſtores, qui naſcentem Dominum vidiſtis natum in ſtabulo, reclinatum in præſepio, ſtipatum brutis animantibus, & cinctum vilibus panniculis, & ecce iſte jam venit magnus Dominus in ſanctis ſuis millibus, & iſti curvatur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; & iſti columnæ cœli contremiſcunt, & ad iſtius aſpectum pallent conterrita ſidera.

Quid dicetis Herodes, quid Pilate, quid univerſa Judaica pravitas; cùm illum videbitis, in cujus capite nuper corona ſpinea, in cujus manu levis arundo, in cujus humeris plena contemptu & ignominiis purpura; in cujus vultu livor, & ſputa; in cujus genis, verberum vibices, in cujus toto corpore crudelia vulnera, cùm inquam illum videbitis venientem in nubibus cœli; & jam facies ejus, ut ſol, omnium veſtrarum neqvitiarum conſcia: & oculi ejus ipſo ſole lucidiores, penetrantes usqve ad cordium intima; & ex ore ejus gladius bis acutus, horrendas portans mortes & funera: & in manu ejus tonitrua & fulmina, dudum cuſa in veſtra capita; & in circuitu ejus vos devoraturi ignes & incendia.

Qvid agemus, qvid dicemus tunc Chriſtiani, hujus Majeſtatis toties neglectores, toties contemptores? quid enim diſſimulare juvat; aut quid fruſtra nosmetipſos palpemus? quid inquam dicemus, cum videbimus Chriſtum jamjam venientem, jamjam cum ſanctorum millibus progredientem; jamjam ſedem Majeſtatis ſuæ occupantem, & nunc in hunc, nunc illum torva tuentem; nunc vultu irato ſuſpenſum, nunc prorumpentem in verba atrociora omnibus fulminibus?

Intellexerant aliqvando ex Maria Magdalena, ejusqve comitibus Apoſtoli Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe, ac vivere, ut eſt Lucæ 24. & rem ſanè ſtupendam!

Digitized by Google

dam! Mulieres quædam ex noſtris, inqviunt, terruerunt nos, quæ dicunt eum vivere. Qvid ſibi per DEUM immortalem volunt hi Chriſti diſcipuli? indè exterriti, attonitiqve, quod Magiſtrum, ac Dominum ſuum intelligunt vivere. Nonne ô chariſſima Chriſto capita vos illi, quos mundi Salvator in Apoſtolos aſſumpſit, qvos ſuæ menſæ commenſales & amicos habuit? Nunquid vos non illi, quibus omnium primis myſteria à ſæculis abſcondita patefecit, & ſolem intelligentiæ oriri juſſit? nonne vos illi, quibus poteſtatem in dæmones, & omne morborum genus contulit; quos ſui corporis & ſangvinis fecit participes; quos ad prædicandum ſuum Evangelium deſtinavit; & qvibus jam ſedes diſpoſuit etiam Angelos, in die judicii judicaturis? qvibus deniqve vitam æternam benignus paravit promiſitqve? Qvi ergo illi terrores? terruerunt nos mulieres, qvæ dicunt eum vivere. Hoc unum vobis in votis eſſe debuerat; qvorſum enim omnia veſtra, ſi ille non vivit?

Ecce Academici nihilominus contremiſcunt hæc cœli columina, audientes Chriſtum vivere; quia ſimul intelligunt, vivere Magiſtrum, quem ſæpe negligentes audierunt, Dominum, cui minùs, ut oportebat, obſecuti ſunt; Judicem, qvi cuncta ſtrictè ſit diſcuſſurus; Vindicem, qui nihil inultum ſit relicturus. Videte, quàm juſtè metuat peccator, quando ad ſolum nuntium Chriſtum vivere, exterritus exhorruit Evangelii Prædicator. Habetis certè, quod metuatis, habetis omnes perjuri, adulteri, malefici, viduarum & pupillorum oppreſſores; ſiqvidem ille vivit; ſiquidem ad judicium venit, qui per ſervum ſuum Malachiam (c. 3.) dixit; accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, & humiliant viduas, & pupillos, & opprimunt pauperem; nec timuerunt Dominum, dicit Dominus exercituum. Habent quod metuant qvæqve impudica corda; qvia ille vivit, & ad judicium venit, de quo Joëlis 30. ante faciem ejus ignis vorans, & poſt eum exurens flamma, neqve eſt, qui effugiat eum. Habent, qvod metuant omnes fures, & latrones, omnes homicidæ, & divinarum ſanctionum prævaricatores: ſiqvidem Chriſtus vivit, & ad judicium venit, de qvo Iſaiæ 10. Ecce nomen Domini venit de longinqvo: ardens furor ejus, & gravis ad portandum: labia ejus repleta ſunt indignatione, & lingva ejus, qvaſi ignis devorans; Spiritus ejus velut torrens inundans, usqve ad medium colli; ad perdendas gentes. Ah quis non timebit Te Domine? Et qvamvis fortè ſit, qui non timeat, erit, cùm timebit.

Iudicaturo Domino (ſcribit D. Hieronymus ad Heliodorum) lugubre mundus immugiet: tribus ad tribum pectora ferient; potentiſſimi Reges, nudo

do

Digitized by Google

do latere palpitabunt. Exhibebitur tunc cum prole ſua Venere, Jupiter; adducetur & cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis, & Ariſtotelis argumenta nihil proderunt.

Tunc anguſtiæ erunt undiqve reprobis, inqvit D. Bernardus: ſuperius erit Judex iratus; ſubtus horrendum chaos: à dextris peccata accuſantia: à ſiniſtris infinita dæmonia ad ſupplicium trahentia: intus urens conſcientia; foris ardens mundus. Et idem alibi: Quid tam plenum anxietatis, & vehementiſſimæ ſolicitudinis excogitari poteſt, qvàm judicandum adſtare illi terrifico tribunali, & incertam adhuc exſpectare ſub tam diſtricto judice ſententiam?

Libet hoc loco meminiſſe, quod de magno illo belli Imperatore Xerxe, tradunt Hiſtorici. Luſtraverat ille copias ſuas militares, regiâ majeſtate, cultuqve ſceptris digno, inſignis; & in omnia intentus, qualis in hoſtem eſſet iturus, animo ferociore deſignabat: cùm ecce videt generoſiſſimum qvemqve ſuum militem, ad primos ejus conſpectus expalleſcere. Hæſit princeps, & facti cauſam rogat. Auſus unus aliquis proloqvi; reſpondit: Xerxem vidimus: quis non palleſcat!

Academici, qvis non palleſcat? ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere judicium, contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatum eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, qvæ locuti ſunt contra DEUM impii Judæ. v. 15. Qvo tempore is vultus Chriſti Judicis futurus eſt, ut Vincentius Ferrarienſis (ſerm. 2. de Adventu) ſcripſerit ex D. Hieronymo: qvòd tunc peccatores eligerent potiùs ad infernum pro eo tempore duci, qvàm irati numinis aſpectum ferre! & Euſebius: tantus terror, invadet in illa die malos, cùm viderint Judicem, ſententiam proferentem, ut niſi eſſent immortales effecti, iterum morerentur. Et D. Auguſtinus ſerm. 120. de temp. majus tormentum malis erit, furorem vultûs divini tolerare, qvàm cruciatus infernales perpeti, quis non palleſcat?

Qvis non palleſcat? Dominus de Sinai venit, inquit Moyſes Devt. 33. & cum eo ſanctorum millia? qvot putas millia? numera ſtellas, ſi potes, numera arenas maris, & omnem terrarum pulverem: omnem arborum, fruticum, radicum, foliorum, florum & herbarum numerum. Vidit Angelorum exercitus innumerabiles Propheta Daniel; & exclamavit (c. 7.) millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia miniſtrabant ei. Neqve omnes dixit; ſed aliqvid dixit, ut omnia dici non poſſe intelligeremus. Atqve hi Sancti omnes cum Domino venturi ſunt, non blando vultu, non ridente ore, non cervice ad amplexandum pronâ, non extenta ad auxiliandum manu, non ſcuto armati

Digitized by Google

ad protegendum: ſed oculis minas ſpirantibus, ſed romphæis flammantibus inſtructi, ſed Zelum juſtitiæ induti, & ad perdendas gentes expediti. Dæmonum verò ferociſſimorum, & in peccatores crudeliſſimè graſſantium is erit numerus, ut ſi ſingulis non aliud, qvàm culicis corpus tribueretur, non modo nobis Solem, ſed toti mundo diem ſint erepturi. Qvis non palleſcat?

Qvis non palleſcat? quando ex univerſis regnis & imperiis, urbibus & oppidis, palatiis & mapalibus congregabuntur gentes & populi, ſenes cum junioribus, dives & pauper, libanus & hiſſopus, triticum & zizania, urticæ & lilia; omnes ſqvallentes, pavidi, exterriti, attoniti, & nihil magis, qvam tribunal illius dei pertimeſcentes.

Ad hæc, quid crepundiis & tonitruo? quid poppiſmis puerorum, & cœli fulminibus? volo dicere: quid Xerxi exercitum ſuum luſtranti, & Chriſto Domino orbem judicaturo? Ille miſella terræ gleba: Hic ipſa divinitas! Ille fragile, luto refertum vaſculum: Hic ipſa omnipotentia. Ille ſesqvipedalis, deſpicabilisqve homuncio: Hic ipſa diviniſſima Majeſtas. Ille gemmis auroqve fulgidus mulcebat magis, quàm terrebat. Hic pro thorace habet juſtitiam, pro galea judicium; pro ſcuto æquitatem, iram pro lancea. Ille venerat conſolaturus; Hic veniet judicaturus. Ille ſtipatus aliqvo militum manipulo; iſte innumero ſanctorum Angelorum circumdatus numero. Ibi nullus fragor elementorum; nulla naturæ convulſio; nulla judicantis aut ſedes, aut majeſtas; inter oris blandimenta, non inter irati vultus tonitrua. Adeſt Xerxes; non apparitoribus, non commilitonibus armatus: nullum auditur convicium, nullum paratur ſupplicium: & tamen etiam veteranus expalleſcit miles; quid igitur faciat homo, cùm viderit filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna, & majeſtate, inter mundi ruentis fragores, inter ipſorum cœlorum deliquia; & continuata elementorum omnium prælia!

Amantiſſime mundi Salvator, qui ut hominem redimeres, tormentum crucis ipſe ſubire voluiſti: ecce nos miſellæ creaturæ tuæ, & redempti tui, ecce ante pedes divinæ Majeſtatis tuæ humillimè proſternimur; non habentes, quò fugiamus à Te irato, niſi ad Te placatum. Domine mi, non ſuppetit, quid dicam; non occurrit, quid reſpondeam! & cùm jam interſim ſævo illi diſcrimini, torqvet me conſcientia, cruciant cordis arcana; coarctat avaritia, accuſat ſuperbia, conſumit invidia; inflammat concupiſcentia, infeſtat luxuria, dehoneſtat gula, ebrietas confutat, detractio lacerat, ambitio ſupplantat, rapacitas objurgat, diſcordia diſſipat, ira perturbat, lenitas diſſolvit, torpor opprimit, hypocriſis fallit, adulatio frangit, favor attollit, calumnia pungit. Aug. Medit. c. 4. Sed

in

tu miſerere! Domine, cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Nunc, nunc parce, nunc, ut parcas tunc.

O Domine! nè ſubire judicium tuum
Judicium inire, nè tuum ſervum jube.
Væ! ſi peractos ponderas vitæ dies,
Væ ſi bilancem, concutis gravior Themis!
Et facta libras. Eſt ſtipula, quidquid meis
Surrexit arvis. Dumus, & ſtipula levis
Ardere facilis, dignaqve æternis rogis.

Itaqve miſerere! Recordare JESU pie, quod ſum cauſa tuæ viæ: nè me perdas illa die. Habes Domine confitentes reos: novimus, qvòd niſi dimittas, rectè nos perimus. Ergo parce nunc, ut parcas tunc.

(* * *)

Digitized by Google

Dominica tertia Adventus.

Tu quis es. Jo. 1.

Examinis extremi ratio, Sapientis meditatio.

REfertur in vita admirandæ Virginis Marinæ de Eſcobar, Sebaſtianum Sarmiento è noſtra Societate Sacerdotem, viſum eſſe à morte, huic ſanctiſſimæ animæ, admodum hilarem, exclamâſſeqve: Bona nova, bona nova, victor! victor. Illâ obſtupeſcente, & ſubtimente, nè fortè ſibi alioqvin chariſſimus Pater qvodpiam periculum ſalutis inter vitæ extrema incurriſſet; ſubjunxit Sebaſtianus: ſubtiliſſima fila, ducuntur illâ horâ, ſed gratiæ DEO, quòd evaſerim victor. Academici, ô qvàm ſubtilia fila ducuntur illa hora! quâ? cùm ſtatur ante tribunal Chriſti; cùm reus ſiſtitur homo, & omnia opera ejus, ut referat, prout geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum. Id primum fieri ſolet, cùm vita noſtra ad finem decurriſſe deprehenditur: tunc enim illico anima hominis divino ſiſtitur judicio; juxta quod ſcriptum eſt: ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc judicium. Alterùm verò id futurum eſt, cùm Filius hominis venerit in nubibus cœli, cum majeſtate magna, & magna gloria judicare ſæculum per ignem; & retribuere unicuiqve ſecundum opera ejus; de quo ſuperiore dictione à nobis actum eſt, utrobiqve autem, ducuntur fila ſubtiliſſima; & longè alia feruntur judicia, quàm miſera cæcitate percuſſi mortales æſtimemus.

Atqve hoc eſt, in quod ſapientis figendus eſt oculus; neqve tam inſpiciendum, quid noſtrum hoc præſens, ſed quid futurum ferat ſæculum. In omnibus rebus reſpice finem, inqvit Thomas Kempenſis, (l. 1. de imit. c. 24.) & qvaliter ante diſtrictum ſtabis Judicem, cui nihil eſt occultum; nec excuſationes recipit, ſed quod juſtum eſt, judicabit. Qvid vita hominis? ex ſententia Auguſti Cæſaris comœdia eſt; cujus theatrum mundus; actor, ſimul & ſpectator, homo: naſci prologus, epilogus mori, inter media, reliqva intercurrens ætas. Imò & Apoſtolus ità ſenſit: Facti ſumus ſpectaculum, DEO, Angelis, & hominibus: Hoc maximo diſcrimine, quòd ſæpe homo actorem probet, qui DEO, & Angelis inviſus eſt; ex adverſo DEO, & Angelis probetur, qui homini inviſus fuit. Nempe miſeri mortales, quod foris patet, inſpicimus, & victorem proclamamus, qui ſolenniùs haſtam fregerit; ex adverſo Deus ſcrutatur intima: Tu qvis es? qvis es in corde? qvis in anima? qvis ab intrinſecus? qvis in viſcerum penetralibus? Homo judicat ſecundum faciem, ille autem intuetur

cor.

Digitized by Google

cor. Sæpe nobis videtur ſericum, quod de lino, vel lana ſpiſſus camelus eſt: & longè alia ſunt judicia Dei, alia hominum! videamus!

Adventus ſui diem, & tribunal ſupremum futurum ipſe deſcribens Dominus, apud Prophetam Sophoniam c. 1. Silete à facie Domini, inqvit, qvia juxta eſt dies Domini; qvia præparavit Dominus hoſtiam; ſanctificavit vocatos ſuos. Et erit in die hoſtiæ Domini; viſitabo ſuper principes, & ſuper filios regis, & ſuper omnes, qvi induti ſunt veſte peregrinà, & viſitabo ſuper omnem, qvi arroganter ingreditur ſuper limen, in die illa; qui complent domum Domini DEI ſui iniqvitate & dolo: & erit in tempore illo: ſcrutabor Jeruſalem in lucernis; & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis; qui dicunt in cordibus ſuis: non faciet bene Dominus, & non faciet malè. Senſus Allegoricus hujus textus eſt. Judicaturo mundum Domino, ſilebunt ora hominum, qvia tunc loqvetur DEUS. Ceſſabit & dies mundi, quia tunc inchoabit dies DEI. Obſtupeſcent & pavebunt, non tantum pauperum mapalia, ſed viſitabuntur etiam principum, & filiorum Regis palatia: patebit tunc non ſolum quod veſtis domeſtica oſtendit, ſed etiam quod ſub veſte peregrina latuit: neqve ulli tunc aut ſuperbia, aut dolus patrocinabitur, neqve qvenqvam ſua tuebitur arrogantia. Veniet Dominus, & ſcrutabitur Jeruſalem in lucernis, id eſt, ut gloſſatur Cornelius à Lapide hîc: In die judicii ſcrutabitur DEUS arcana locorum & mentium, & revelabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: tunc enim etiam de minimo verbo otioſo & de ſubtiliſſimis cogitationibus rationem à qvolibet exiget. Tunc, qvod ſuperius dicebamus, ſubtiliſſima fila ducentur.

Qvæ modo fila homines ducimus, ò qvàm non fila, ſed potius nauticus camelus ſunt. Qvid homines de peccatis, quandoqve graviſſimis. Sunt, qui fornicationes peccatilla vocent: qvi cæde proximi defenſum honorem, inter generoſi animi dotes habent: qui furtum, modò ingeniô fiat, in gloriam reputant, & ſunt, ut Tragœdus loquitur, quibus proſperum, ac felix ſcelus virtus vocatur. Tales erant qvondam inter Corinthios; ſed heus, inqvit Apoſtolus, 1 Cor. 6. nolite errare, nolite errare! qvin potius certum habetote; qvia neqve fornicarii, neqve idolis ſervientes, neqve adulteri, neqve molles, neqve maſculorum concubitores, neqve fures, neqve avari, neqve ebrioſi, neqve maledici, neqve rapaces regnum DEI poſſidebunt. Videtis qvàm aliud ſit judicium DEI futurum, ac nunc ſit iſtorum. Profectò faciliùs crediderim camelum per foramen acûs evaſurum, quàm ut hujusmodi à mortalibus ducta fila in cœlum penetrent! Deinde, qvid homines de peccatis, quæ ſecundùm Theologiam ve-

 nia-

Digitized by Google

nialia ſunt? nec inter peccata habent. Severitas, inqvit Albertus Magnus, in paradiſo animæ; inter mortales, vult vocari juſtitia, melancholia gravitas; garrulitas, affabilitas; diſſolutio alacritas; prodigalitas liberalitas; curioſitas, circumſpectio: obſtinatio, conſtantia: aſtutia, prudentia: vana gloria, generoſitas; præſumptio ſpes: amor carnalis charitas: diſſimulatio, patientia: hypocriſis deniqve ſanctitas dici amat. Sed erit tempus, cum Jeruſalem viſitabitur in lucernis; & cùm dicetur: Tu qvis es? dolus, an virtus? ſpes an præſumptio? charitas an carnalitas? Ah nolite errare fratres, nolite exiſtimare, qvaſi iſta aut non peccata ſint, quia non maxima ſunt; aut qvaſi hæc non viſitaturus ſit Dominus. Qvid levius verbo otioſo? & tamen ſcriptum eſt; (Matth. 12.) Dico autem vobis, qvoniam omne verbum otioſum, qvod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ducite argumentum Academici: ſi otioſum verbum non eſt absqve periculo ejus, qui loquitur; qvid faciet verbum impudicum? quid verbum calumnioſum? quid verbum deriſorium?

Qvid homines de peccatis, cùm fortè pœnitentes ſuam conſcientiam inſpiciunt? Id ſolùm pleriqve objurgant, quod limen tranſiliit, & foris viſum eſt. Dolent, ſi qvem injuria affecerunt, ſi in furorem lapſi ſunt; ſi contentionem, ſi rixam habuerunt. At ubi illa, quæ domi tuæ, quæ intra cordis tui conclave, quæ intra mentis tuæ penetralia latent. Ubi illæ tuæ cogitationes tam otioſæ, tam vanæ, tam impuræ, tam guloſæ, tam acedioſæ, tam iracundæ, tam in divino ſervitio tepidæ, tam in res temporarias abſorptæ, tam ſæpe fruſtra ſolicitæ, tam adverſum alios murmuratoriæ, tam inconſtantes, tam laborantes reſpectibus & tantum ad ſpes, aut timores humanos reflexæ. Hæc omnia illo die adducentur in judicium. Horum temporum Hiſtoricis relatoribus in more eſt, ut cùm de futuris divinant; ſcriptum finiant clauſulâ: veritatem rei tempus dabit. Quod tempus dabit nobis hæc omnia? Tempus, de qvo ſcriptum eſt: Eccl. 3. tempus omnis rei tunc erit, tunc nempe: quando liber proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur. Qvare D. Bernardus ſerm. 55. in Cant. ſcripſit: Time ſcrutinium Judicis; time oculos Capreæ; time illum, qvi per Prophetam dicit: & erit in die illa; & ego ſcrutabor Jeruſalem in lucernis. Acuto viſu eſt, nihil inſcrutatum relinquit. Oculus ejus ſcrutabitur renes & corda, ipſaqve hominis cogitatio confitebitur illi.

Sed nec modò in his Judex ille acutiſſimus eſt pervidendis, quæ ſunt, verum etiam ſcrutabitur ea, quæ non ſunt, vocans ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, ad Rom. 4. Nempe non ſolùm in judicium veniet ſervus, qui fecit, quod non debebat, ſed & qui quod debebat, non fecit. Pauperem non cibaſti: in judi-

Digitized by Google

judicium venies. Sitientem non potâſti? in judicium venies; infirmum, incarceratum non viſitaſti? in judicium venies, nudum non cooperuiſti? in judicium venies, mortuum non ſepeliviſti? in judicium venies, parum dixi: in cœlum nôn venies, non credis? lege Matthæi caput vigeſimum quintum, & credes.

Si hæc in judicium venient, & tu propter ea, ſic neglecta in cœlum non venies; quantò magis in judicium veniet, quoties peccantem corrigere poteras, nec correxiſti: quoties ignorantem erudire, & in ſalutis viam ducere poteras, nec erudiviſti, quoties deſperatis conſilio adeſſe poteras, nec adfuiſti, quoties mœſtos, afflictosqve conſolatione revocare poteras, nec feciſti, quoties injurias ferre patienter poteras, nec tuliſti, quoties adverſantibus tibi veniam erratorum facere poteras, nec dediſti: qvoties pro viventibus atqve defunctis DEUM exorare poteras, nec exoraſti? Et quia Academicis loqvor, addendum, quia in judicium veniet, qvoties Academicus matutinas preces neglexerit, miſſæ ſacrificium ſphæriſterio poſtpoſuerit, à concionibus conſvetis, & marianis conventibus præſentiam ſuam ſubtraxerit, coronam beatæ Virginis, aut ejus curſum omiſerit, confeſſiones & communiones in longum diſtulerit, veſpertinum examen conſcientiæ ſomno præverterit; oculos, aures, guſtum & lingvam in nullo fræno habuerit; illuſtrationes cœleſtes & pios ad hæc illave devotionum, & mortificationum exercitia inſtinctus aut contempſerit, aut velut non advertens præterierit; hæc atqve ſimilia mille, & mille in judicium venient, & ad normam ſubtiliſſimorum filorum conſiderabuntur.

Neqve hic ſatis: ſed univerſa tam facta, qvàm infecta in examen venient, etiam quoad modum, & rationes in agendo obſervatas, fietqve diſtrictum arbitrium, quoties in his conſvetis operationibus, aut omiſſionibus interceſſerit inconſideratio, ante, in, & poſt opus; quoties defectus in deliberando, in eligendo, in exeqvendo, quoties ſeſe inſinuaverit langvor, & mentis tepiditas conatum fervoris evertens, aut enervans, nec ſinens effectum proportionari affectui, aut cælitus illapſo lumini. Qvoties interturbàrit opus inconſtantia, quas ob cauſas, leves, an nullius planè momenti; qvæſitas, an ultro acceptatas? Qvoties dilatio facta de die in diem, de hora in horam; in qvantum tempus, & an non res planè ſubinde oblivioni datæ. Qvoties in operibus pietatem ſpirantibus intervenerit nimia fiducia ſui, & virium ſuarum ponderatio, minorqve ad divinam opem recurſus; & cœleſtis auxilii agnitio. Qvoties intentionis ſanctioris defectus, eò quòd vel nulla adfuit, vel certè proprio commodo multùm permiſta; vel jam obſoleta, & qvamvis recta, frigida tamen, & dudum non renovata in ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritu. Qvoties interceſſerit præcipitatio, tumultuatio & inqvieta feſtinatio; nec cauſam rationabilem habens, nec modum; incogitantia item, & impræviſio agendorum; & centena his ſimilia. O quàm ſubtilia fila tunc univerſim ducentur! De Beſeleel ſummo artifice dicitur Exodi 39. quod bracteas aureas extenuaverit & extenderit in fila! Hoc tunc de cujusqve noſtrum operibus, etſi aurum videbuntur, faciet Dominus. O quam tunc tenui pendebunt omnia filo. Neqve hic adhuc ſatis, ſed in ipſos vitiorum fontes fiet indagatio & judicium. Nos homines, cùm in Ethnicorum Philoſophorum, aut hujus temporis Politicorum voluminibus quidpiam ad humanam ſalivam faciens deprehendimus, aut proprio amore duce, ut nobis videtur, ſapientes ſumus, digito cœlum judicamur pertundere poſſe; & jam ſcalas tenere, quibus ultra fixas ſtellas conſcendamus. Talia ex mundanæ Politicæ decretis ſunt: nonnunqvam tempori, cedendum: non eſt hominis, ſectari perfectiſſima qvæqve: qvandoqve remittendus arcus. Majores noſtri fuêre ſapientes, nec tamen ſcrupulis obnoxii: qvi minutiis obſervandis inhæret, nunqvam ille ibit ad majora: ſimus corporis noſtri domitores, non hoſtes. Habenda eſt ratio honoris proprii, quia & DEI. Curandum, ut ſi omnibus non placeas, nemini diſpliceas. Quid mihi cùm internis, dum modo externa ſplendeant; & valetudinis decet qvemqve habere ſuæ rationem. Futuris proſpiciendum. Amicis dandum aliquid; jucunda vita, ſi poteſt, & quantum poteſt, eligenda. Sic DEO ſerviamus, ut tamen diabolum non offendamus. Hæc eſt illa via, de qua Sapiens: Eſt via quæ homini videtur juſta, noviſſima ejus autem ducunt ad mortem. Sed erit tempus, cùm hi pulvillorum ſartores viſitabuntur; & hæc arenaria baſis luſtrabitur in lucernis; & cum tota ſua ſuperſtructa mole in grandes ibit ruinas, juxta id, quod Ezechielis c. 13 dicit Dominus: Væ, quæ conſuunt pulvillos ſub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas: & cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et juxta id, qvod Matth. 7. dictum eſt: Similis erit viro ſtulto, qui ædificat domum ſuam ſuper arenam, deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. Tunc enimverò dicetur iſtis: quid vobis cum Stoa, qui Chriſtiani eſſe debebatis? Qvid cum gentili Philoſophia, qui Chriſti doctrinam ſectabamini? machiavellusne, an Chriſtus vobis Magiſter fuit? Qvid autem Chriſtus? nonne dixit: qvi vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, nonne profeſſus eſt? Qvi non odit patrem & matrem, non eſt me dignus, annon monitum ejus eſt? qvia regnum cœlorum vim patitur: & quia anguſta porta ad vitam ſit: & non dixit? neminem duobus

Digitized by Google

bus dominis ſervire poſſe. His & ſimilibus, omnis illa mundi ſapientia devorabitur, & in nihilum redigetur.

Illud in primis horrorem judicandis incutiet, cùm Judex omnium, atqve ſingulorum, ſeu verbo, ſeu cogitatu, ſeu opere, ſeu omiſſione contractorum peccatorum noſtrorum numerum inire, atqve ad æternam damnatorum confuſionem recenſere cœperit. Sciendum qvippe, divinæ ſapientiæ nihil occultum omnino, ſed omnia in numerato eſſe. Novit ille electos ſuos: dinumerabo eos, inqvit Pſ. 118. & ſuper arenam multiplicabuntur. Novit ille reprobos: non eſt qui bonum faciat, non eſt usqve ad unum Pſ. 35. Novit ille menſes vitæ noſtræ: Numerus menſium ejus apud te eſt. Job. 14. Novit ille dies vitæ noſtræ. Sæculi dies, quis dinumeravit? ipſe vidit & dinumeravit, Eccl. 1. Novit ille greſſus noſtros: tu qvidem greſſus meos dinumeráſti. Job. 14. Novit ille capillos capitis noſtri: capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Luc. 12. Novit ille cogitatus noſtros: Cogitationes cordis veſtri ego novi. Ezech. 11. Et Pſalmiſta David Pſ. 138. Domine probâſti me, & cognoviſti me, tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longè, ſemitam meam, & funiculum meum inveſtigâſti. Et omnes vias meas prævidiſti, quia non eſt ſermo in lingua mea (qvem tu non noveris) Ecce tu Domine cognoviſti omnia, noviſſima & antiqva. Nihil itaqve Judici illi incognitum, nihil obſcurum; ſed omnia tunc ſecundùm omnem numerum, & omnem rationem, & omnes circumſtantiarum modos ſubtiliſſima diſtrictione examinabuntur; id quod Auguſtinum graviſſimè terrebat; & in ejusmodi voces prorumpere coëgit: (medit. c. 4.) novi Domine, quia manifeſtus venies; novi quia non ſemper ſilebis, cùm in conſpectu tuo tempeſtas valida ingruerit: cùm advocaveris cœlum deſuper, & terram diſcernere populum tuum. Et ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniqvitates meæ; tot agminibus Angelorum patebunt univerſa ſcelera mea; non ſolùm actuum, ſed etiam cogitationum ſimulqve locutionum. Neqve verò tantum ô homo patebunt ea, quæ in tuo corpore geſſiſti; ſed ad ſtrictiſſimos numeros, recenſebitur, qvoties proximo ſcandalo fueris; qvoties peccare ignorantes docueris, qvoties peccare nolentibus perſvaſeris: qvoties reſiſtentes coëgeris; qvoties ſanè gradientibus torqveum induxeris; qvoties foveam quærentibus, viam retexeris: qvoties conſilio, auxilio, conſenſu, palpô, diſſimulatione te alienorum ſcelerum participem feceris. O qvis tunc acervus, imò qvod mare iniqvitatis tot guttis, qvot iniqvitatibus redundans apparebit? Septies in die dicitur cadere juſtus, fueris ergo juſtus; & non ultra ſepties in die cecideris: jam omni anno ſepties

Digitized by Google

millies & treçenties, intra annos viginti qvinqvageſies millies, & centies cecidiſti. Cecideris ſepties in die verbo, ſepties opere, ſepties cogitatione, ſepties omiſſione: qvod qvàm pronum ſit hominibus, exiguam ſalutis curam habentibus, qvis non videt? jam numerus unius anni habebit peccatorum decem millia, ac præterea ducenta viginti. Facit intra viginti annos ducenties centena & quatuor millia, ac ſupra hæc peccata qvadringenta. Quid ſi jam non juſtum, ſed hominem peccatorem imaginemur trahi in judicium, cui omnis hora, integram ſegetem peccatorum parturit; credendum ne plures illi capitis capillos, quàm peccata fore?

Qvod ſi jam & illud perpendamus, fore, ut Chriſtus Judex ipſas noſtras juſtitias, & quæ bona egiſſe viſi ſumus, in judicium, & quidem ſubtiliſſimum vocet; qvis non vel ad ſolam tribunalis illius memoriam expalleſcat, contremiſcat? ſupra meminimus, quia ſcriptum eſt: ſcrutabor Jeruſalem in lucernis! Qvid Jeruſalem? urbs ſancta: urbs perfecti decoris; viſio pacis, viſio perfecta, mons DEI, mons pingvis, mons in quo beneplacitum habitare DEO! Puto, inqvit D. Bernardus ſerm. 55. in cant. in hoc loco Prophetam, Jeruſalem nomine, deſignâſſe illos, qui in hoc ſæculo vitam ducunt religioſam, mores illius ſupernæ Jeruſalem, converſatione honeſta, & ordinata, pro viribus imitantes; & non veluti hi, qui de Babylone ſunt, vitam in perturbatione vitiorum, ſcelerumqve confuſione vaſtantes. Jam credo intelligitis A. A. quid ſit illud: ſcrutabor Jeruſalem in lucernis. Jeruſalem, id eſt homines à ſæculo remotos, vitiorum hoſtes, virtutis amatores; declinantes à malo, & facientes, quod bonum eſt: in oratione freqventes, in amore ferventes, continuos in jejuniis, conſtantes in vigiliis; mortuos mundo, uni intentos cœlo; & ad hos qvoqve perveniet ſcrutinium. Quid ità autem? quia etiam in ſtellis, quantumcunqve cœli incolis reperta eſt pravitas; & juſtitias mortalium panno menſtruatæ ſimiles dixit Propheta. Nempe multa ſunt, quæ bona videntur, & non ſunt; quemadmodum & multa videntur non bona & ſunt. Qvare citato loco Bernardus ſcripſit: Verendùm valde, cùm ad hoc ventum fuerit, nè ſub tam ſubtili examine, multæ noſtræ juſtitiæ (ut putantur) peccata appareant. Quam metuendum, ne qvod nos nunc cælaturam, & Apellis opus vocamus, tunc conditorium oſſium mortuorum fuiſſe deprehendatur. Qvàm metuendum, nè quod nos aurum diximus, ibi ſtipula ſit, & qvem nos putavimus proclamatum, & cedris inclytum montem Libani, ſpinis refertum dumetum extiterit! Qvanqvam etſi opus tuum, aurum fuerit, adhuc nihilominus tunc in examen veniet! Fiet tunc ſcrutinium de auro tuo; qvis tu? Religioſus, an ſæcularis; à DEO magis, an minus

Digitized by Google

minus illuſtratus; beneficiis paucioribus, an pluribus cumulatus; auxiliis quibusdam, an multis præventus? fiet ſcrutinium; quid? delictum grave, an leve, in DEUM, in proximum, in teipſum? Cogitatu, verbo, opere an omiſſione contractum? furti, an fornicationis, an irreligionis, aut aliâ maculâ infame; quando; & an mente plena, & voluntate deliberata patratum; qvoties in hora, die, menſe, anno, & univerſim in tota vita. Fiet ſcrutinium; ubi, & coram quibus; an Eccleſiam DEI profanando, res ſacras inhonorando; in præſentia unius, plurium, cum ſcandalo, vel ejus periculo; quibus ſociis perſvaſis, an perſvaſoribus; qvibus mediis licitis, illicitis, hanc illam diverſam ſpeciem continentibus; fiet ſcrutinium, quibus de cauſis, DEUS, Creator, Redemptor, creaturis tam vilibus, tam contemptilibus, tam noxiis, & nonniſi cum periculo æternæ damnationis, poſtpoſitas. Hæc quantum ad aurum, qvod tale ſolum ſpecie, ſed in re, ſordidum lutum erat. Qvantum verò ad aurum verum, quæretur, an opus, quod ſanctè cæptum fuit, uti putabatur, id fuerit, quod eſſe debebat. Factam orationem in exemplum accipiamus. Quæretur itaqve an Academicus acceſſerit ad orationem mente præparatâ; ſepoſitis curis, negotiis, diſtractionum occaſionibus; num ſeſe receperit in Eccleſiam, vel conclave ſuum, vel in ſolitudinem; An ſi fortè gravis criminis ſibi conſcius fuit, illud per veram contritionem prius, quò DEO oratio acceptior eſſet, delere ſtuduerit; offenſas ſi qvas habuit, adverſariis remiſerit; & ſi quid alienum in domo ſua, legitimo Domino reſtituere ſtatuerit. Deinde cùm ad orationem acceſſit, quæritur, quæ ea fuerit, mentalis, an vocalis; quæ devotionem, & affectum excitare poſſet, an quæ ſolâ conſvetudine trahente, ſine omni flamma eſſe ſolebat. Tum, quo ſitu peracta, an per hortum deambulando, & oculos magis, qvam mentem paſcendo; an ſedendo; an jacendo? ſi flectendo, an uno, an utroqve genu? an cubitis ſedili innitendo; an planè toto corpore irruendo! an verò, nunc flectendo, nunc ſtando, nunc ſedendo, nunc jacendo, nunc ambulando, ac nullibi quieſcendo, tecto an diſcooperto capite, elevatis in cœlum oculis, an ultro citroqve vagantibus, decuſſatis ante pectus manibus, aut dependulis? Qua item intentione oratum? nullâ, an aliqua? ad impetrandum quid cœleſte, an terrenum ordinatâ; corpus, an animam ſpectante? ſcientiam, an ſanctitatem concernente? Qva item attentione oratum? quoties nunc quidem de DEO, nunc de Angelis, nunc autem & de Sphæriſterio, de Hyppodromo, de Sempronio, & Copronymo, de Ludmilla, & Euſtochio cogitatum?. qvoties frigidulè verba pronunciata, qvoties interrupta, qvoties deproperata, qvoties truncata, qvoties nunc liber ſcholaſticus inſpectus, nunc calamus inter orandum refectus,

nunc veſtis purgata, qvoties caput pexum, manus lotæ, nunc auris affricta, nunc theca luſtrata. Per DEUM immortalem, quàm ſubtilia fila ducentur illâ horâ. Jam novum ducite argumentum Academici! Si judicium DEI primum à nobis, inqvit, divus Petrus 1. c. quis finis eorum, qui non credunt DEI Evangelio? Et ſi juſtus vix ſalvabitur, impius, & peccator, ubi parebunt? Qvid tutum in Babylone, qværit D. Bernardus, ſi in Jeruſalem manet (& qvidem tale) ſcrutinium? Si in judicio omnipotentis juſtus ſecurus non erit; quid de nobis peccatoribus erit? Si ad examen diſtricti Judicis nec juſtitia juſti hominis erit ſecura; nos miſeri, qvid faciemus in die illa, qvi qvotidie multiplicamus peccata noſtra? Si in die judicii vix ſalvabitur juſtus, nos qvi innumerabilia peccata fecimus, in illa die ubi parebimus?

Ajunt, neſcio qvem ab altera vita reducem, exclamâſſe auditum: nemo credit, nemo credit, nemo credit, qvàm nempe diſtrictè in divino tribuli, hominum diſcutiantur opera! Ego credo! & conſeqventer credo: qvia anguſta porta eſt ad cœlum! qvàm anguſta? qvàm anguſtum acûs foramen! cur itâ; qvia tam ſubtilia ducuntur fila in illa hora! Ecce Academici! qvàm in ſubtili filo pendet omnium noſtrum, vita, ſalus, æternitas, beatitudo, & æterna felicitas! ergo ducite cautè.

(* * *)

Domi-

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Dominica qvarta Adventus.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur. Lucæ 3.

Sapientis occupatio, ultimæ ſententiæ meditatio.

SPectavimus Academici, in nuperis exhortationibus, inter colliſarum nubium fragores, & coacervata irati cœli fulmina; inter obſcurati ſolis, & turbatæ Lunæ deliqvia, cadentiumqve ſiderum ruinas, & mundi flagrantis incendia venientem Majeſtatem divinam; hodie in ſceleratos detonantem, & optimum qvemqve præmio afficientem audiamus.

Huc, qvotqvot ab orbe condito lucem uſpiam vitalem aſpexiſtis mortales, huc ſeu vos purpura, ſeu ſaccus habet, cedrus & dumetum, montes & colles, triticum & zizania, huc omnes ad judicium, hodie audituri, à quo omnium pendet felix, aut infelix æternitas; qvodqve ſtabile, ac fixum habebit omnis futura æternitas. Adeſtis?

Qvænam illa, caput multâ canitie conſperſorum cohors? Æqviſſime Judex! Patriarcharum eſt. Ille Adamus, protoparens noſter, nongentorum, & amplius annorum pænitentiâ inſignis: ibi innocens Abel, improbi fratris manu cæſus: ibi Noë, vel in conſpectu DEI juſtus inventus; ibi continens Loth, & in medio nationis pravæ, virtutis retinens; ibi altiſſimi ſacerdos Melchiſedech: Ille fide inclytus Abraham; ille plenus ſpe divinâ Iſaac; ille dilectus DEO Jacob; ille, Ægypti Salvator, Joſeph, ille manſvetudinis prodigium Moyſes; ille fortis Joſue; ille vir ſecundum cor DEI David, & cætera ſanctæ ſenectutis decora! Bene eſt, noſtri ſunt, ad dexteram.

At quinam illi, horridi vultu, oculo hirquo, frementibus labiis, corroſis dentibus, & tetram mephitim halantibus? Æqviſſime Judex! pravitas Judaica eſt: illa gens, quam cùm ex Ægypti eduxiſſes captivitate, & terrâ donâſſes lac, & mella fundente; te in ſiti tua potaverunt aceto: cùm ei dediſſes ſceptrum regni, & diadema regium in capite ejus: te coronavit coronâ ſpineâ, & dedit vilem arundinem in manu tua; cùm ei dediſſes ſerpentem æneum in deſerto, cujus aſpectu malè habentes ſanarentur, ipſa te omnibus affectum opprobriis ſuſpendit, & occidit in ligno: hi ſunt, qui Prophetas tuos occiderunt, noviſſimè autem & ipſum Regis Filium trucidaverunt. Apage, noſtri non ſunt, ad ſiniſtram.

Quænam illa, melotis & pellibus caprinis veſtita, & vultu exſucca turba? æqviſſime Judex! Manipulus Prophetarum eſt. Ille Iſaias ſerrâ medius ſectus, ille Ezechiel raſô capite peregrinus, ibi Jeremias ad exilia damnatus, ibi Daniel

cum leonibus commoratus; ibi Elias toties ad necem quæſitus, ibi Oſee, Joël, Amos, Jonas, & reliqva tibi ſacrata nomina, quorum veſtimenta ſaccus, cibus jejunium; habitatio mundus, diſtenti ſunt, ludibria & verbera experti ſunt; lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, quibus dignus non erat mundus. Bene eſt, noſtri ſunt, ad dexteram, ad dexteram.

At quænam hæc, ſolem & ſtellas in vota vocantium turba? Æqviſſime Judex! Turba gentilium Idololatrarum eſt, qui cùm Te unum ſummum rerum principium ac Dominum venerari debuiſſent, non modò omnem militiam cœli in Deos habuère, ſed ipſis etiam crocodilis & ſerpentibus, ipſis cepis, & aliis divinitatem attribuerunt: quorum ſumma religio, nullam rejeciſſe impietatem, & ſumma pietas, conculcato veri numinis honore, ac decretis, coluiſſe vaccas & vitulos, & opera manuum hominum, qui cùm cognoviſſent Te DEUM verum, non ſicut DEUM glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe ſapientes ſtulti facti ſunt & ſervierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Apage cum his; colligantur in faſciculos, & ad ſiniſtram.

Jam æqviſſime Judex adeſt tibi chariſſima Apoſtolorum & diſcipulorum tuorum turba; qui cùm amore tui reliquiſſent omnes, ipſos adeò Patres & matres, uxores, & fratres, & ſorores, & omnem domeſticam familiam, Te ſecuti vitam tolerârunt magis quàm vixerunt, in laboribus, & periculis, in vinculis & carceribus, in fame, & nuditate, in vigiliis & jejuniis, in morbis & mortibus. Ille Petrus, ille Paulus, ille Andreas, ille Bartholomæus, & reliqua tibi notiſſima nomina. Noſtri ſunt! dignus eſt operarius mercede ſua, collocentur ad dexteram. Sed qui iſti?

Æqviſſime Judex, Hæreticorum & Schiſmaticorum fæces! qui veſtem Eccleſiæ tuæ non modò diſſuere, ſed ſcindere conati ſunt. Iſte Simon Magus, qui Spiritum Sanctum pretio pecuniario æſtimare auſus. Ille Pelagius, qui te Redemptorem humani generis negavit: ibi Samoſateni, qui tibi æternitatem, ibi Gnoitæ, qui tibi ſapientiam, ibi Ariani, qui tibi divinitatem auferre voluerunt. Inter illos & ſceleratus Eutyches, & inſaniens Neſtorius, & blaſphemus Sabellius; & deniqve Calvinus, atqve Lutherus, quorum prior Te omnium neqvitiarum Autorem fecit, alter à te fundatam Eccleſiam evertere voluit. Apage, noſtri non ſunt, labia mea deteſtantur impium, ad ſiniſtram.

Ex adverſo, æqviſſime Judex, hi ſunt, qvi venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas in ſangvine agni, & dealbaverunt eas in fontibus ſui Redemptoris. Viri ſancti ſunt, qui glorioſum ſangvinem fuderunt pro Domino: ama-

Digitized by Google

amaverunt eum in vita, & imitati ſunt eum in morte. Tradiderunt corpora ſua propter DEUM ad ſupplicia, & meruerunt habere coronas perpetuas. Ecce tibi Laurentii craticulam, Georgii urentes faces, Sebaſtiani tela, Vincentii ardentes carbones, Pontiani leones, Euſtachii æneos boves, Apolloniæ rogos, Agathæ eqvaleos, Catharinæ rotas, Anaſtaſiæ incendia. Bene eſt. Ab hodie abſterget DEUS omnem lacrymam ab oculis eorum. Noſtri ſunt, ad dexteram.

Sed & ibi, æqviſſime Judex, magna confeſſorum turba, qui contemnentes mundi gaudia, unicè ad cœleſtia aſpirârunt regna. Ibi Eremita Paulus, Antonius, Hilarion, Macarius cum ſuis: his amore tui, eremus & ſolitudo ferè in totam vitam incolatus fuit. Ibi Benedictus, Dominicus, Franciſcus, Bernardus, Bruno, Ignatius cum ſuis; quibus una cura ſervire DEO, & inhiare cœleſtibus. Ibi Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Gregorius, Baſilius cum ſuis, quibus unum ſtudium fuit, tuum circumferre, tueriqve coram mundo Evangelium. Ibi Conſtantini, Ludovici, Elzearii, Wenceslai, Henrici, Leopoldi, cum ſuis; qvibus mundus in cœlum ſcala fuit, thronos conſcenderunt, ut propter Te calcarent. Bene eſt, centuplum promiſi, ultra accipient, ad dexteram.

Adhuc, æqviſſime Judex, ecce turbam, non maximam quidem, ſed pretioſam Virginum; candidæ ſunt, lacte lotæ columbulæ ſunt; ſinè macula ſunt; ſic liliorum conſervavêre candorem, ut multæ earum etiam martyrii purpuram affuderint. Dignæ, quæ inter læta cantica ſeqvantur Agnum qvocunqve ierit. Seqventur, noſtræ ſunt, ad dexteram.

At verò, æqviſſime Judex, ibi illa peſtis hæret mortalium, illa populorum colluvies; quæ nihili habens, quidquid divinum, quidquid fas humanum exigeret, in DEUM, in homines, in ſeipſam injuria, nullum non novit ſcelus, nullum non patravit. Si quid ratio ſvaſit, ſi quid leges, ſi quid bonorum exempla, illud omne ſuperbo pede calcatum eſt. Blaſphemi ſunt, fornicarii ſunt, idolis ſervientes, adulteri, molles, fures, avari, rapaces, ebrioſi, maledici, ſuperbi, invidi, iracundi; verbo: per omne ſcelus itum eſt; de quibus tuus Apoſtolus: qvoniam regnum DEI non poſſidebunt. Nec poſſidebunt, ad ſiniſtram.

Academici! quis tunc mentis ſtupor? quis animorum pavor? quæ tunc mortalium erit trepidatio? quàm diverſa ab hodierna, noſtrûm opinatio. O qvod ſolatium tunc erit, DEO vixiſſe! quod gaudium, vitam in pœnitentia transegiſſe, & falſa hujus mundi calcaſſe tripudia. Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt & depreſſerunt. Tunc plus valebunt pura corda, qvàm aſtuta verba; & conſcientia bona, plusqvam marſupia plena. Tunc videbitur ſapiens in hoc mundo fuiſſe, qui pro Chriſto didicit ſtultus, & deſpe-

Digitized by Google

deſpectus eſſe. Tunc ſplendebit habitus vilis, & obtenebreſcet veſtis ſubtilis. Tunc omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.

Tunc incipiet ille vivorum atqve mortuorum Judex revelare occulta & abſcondita, à conſtitutione mundi. Audite cœli, inqviet, audite terræ & inſulæ, & maria, audite populi & gentes! omnis poteſtas mihi data eſt in cœlo & in terra! ego Judex, & Dominus; & merces mea mecum eſt, reddere unicuiqve ſecundùm opera ejus. Juſtitiam meam non minùs ſcelera vindicantem, qvàm bonos præmiantem hodiernus aſpiciet dies. Hæc illa juſtitia eſt, quæ pœnitentiam Adami, obedientiam Abrahæ, caſtimoniam Joſeph, in pretio habet; ſed & illa, qvæ Sodomitis paravit incendia, Pharaones merſit maris fluctibus, & in ſceleratos filios hodie parata vibrabit fulmina. Adeſte ſervi mei! macte animis, dilecti Patris mei, ſeu vos mundus Patriarchas, ſeu Prophetas, ſeu Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, ſeu Virgines habuit, omnes mei; corona mea, & gaudium meum. Eſurivi, & dediſtis mihi manducare; ſitivi & mihi potum dediſtis: nudus eram, & cooperuiſtis me; infirmus, & viſitâſtis me! fide potentes, ſpe validi, charitate fervidi; mundi victores, carnis triumphatores! amore mei reliqviſtis patrem, matrem, domos, & agros, & omnia! tuliſtis pondus diei & æſtus: ſeminâſtis in lacrymis; poſſediſtis animas veſtras in multa patientia. Bene eſt! mercedem laboris hodie ego reddam vobis, ut venientes veniatis cum lætitia, & cum exultatione portetis manipulos veſtros. Quod ergo in omnem æternitatem vobis, bonum, felix, fauſtum, fortunatumqve eveniat, venite benedicti Patris mei; & poſſidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi. Corona mea, & gaudium meum; qvos ego pretioſo ſanguine meo redemptos tuli de manibus inimicorum, mihi in gloriam, vobis in æternam felicitatem & ſolatium! venite in amplexus illarum manuum, quæ pro vobis expanſæ fuerunt in cruce: venite ad illius oris baſium, quod pro vobis felle & aceto potatum, nunc vobis meram aſpirabit ambroſiam. Venite illo recipiendi ſinu, qvem vobis longinus lanceâ aperuit. O æternùm benedicti! non vos ultra gladius non perſecutio, non fames, non ſitis, non frigora, non nuditas conficiet, in omnem æternitatem: nulla rerum, aut felicitatis viciſſitudo, nulla fortunæ inconſtantia, aut varietas; nulla amoris in vos mei obumbratio terrebit in omnem æternitatem: Benedicti inter mera cantica, & tripudia, & cœleſtes amores DEO veſtro, felicitatis omnis perenni fonte fruituri, in omnem æternitatem. Ergo venite, de tenebris ad lumen, de ſepulchris ad vitam, de ſervitute ad libertatem, de paupertate ad divitias, de miſeria ad felicitatem, de tribulatione ad refrigerium, de labore ad reqviem, de inſtabilitate temporum, ad ſemper duraturam æternitatem.

Aca-

Digitized by Google

Academici, quis mihi, quis nobis det omnibus, tunc numerari, vel inter piſcatoris Petri famulitia! ô quod gaudium; ſi & nos miſelli peccatores, mereamur audire illud: venite. O quis jam non toto pectore ſpernat mundum, omnemqve ejus quàm brevem, tam futilem gloriam, ut ad illam perveniat cœlitum patriam. Qvid eſt, quod pati nolis, quando æternum gloriæ pondus operatur in nobis, quidquid adverſitatis pro Chriſto tuleris. Ite, ah ite, felices beatorum animæ, ite ſervi DEI ad ſemper duratura præmia, & qui ſecuri jam eſtis de vobis, ſoliciti qvoqve eſſe velitis de nobis.

Inter hæc, ex adverſa parte immugire tonitrua, & per efflictarum nubium hiatus ſpargi fragores; totamqve ſuis cardinibus velle emovere machinam. Hærent attoniti montium apices, dubii in quam partem agant ruinas, atrocitate rerum ſuperventurarum ſtupefactus ſol roſeos poſuit amictus, & luna in ſangvinem mæſta erubuit: ipſæ ſedibus ſuis diffiſæ ſtellæ cœlum ultro deſerunt, & inter infelices lapſus ductorem ſeqvuntur Luciferum. Eunt redeuntqve fulgetra; & continuata fulmina jam hac jam illa parte mundi molem dividunt; & jam omnibus fulminibus horridiores audiri occipiunt Judicis æterni voces, auſcultemus.

Audite cœli, audite terræ, & quidquid irati numinis verba percipere poteſt; audite, qvoniam Dominus locuturus eſt. Filios enutrivi, & exaltavi; vineam mihi poſui, dilectam meam, & ſepivi eam, & lapides elegi ex ea; & plantavi eam electam, & ædificavi turrim in medio ejus, & extruxi torcular in ea; & expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas; & ſpreverunt me. Væ genti peccatrici, populo gravi iniqvitate, ſemini neqvam, filiis ſceleratis; Dominum dereliqverunt, blaſphemaverunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum. Audite populus non meus, vaſa neqvitiæ, quid inveniſtis in me iniquitatis, quòd dereliqueritis Dominum? nonne tot dona naturæ, tot dona gratiæ contuli, tot dona gloriæ promiſi, ut quod mihi omnibus titulis debebatis, vel beneficiis tot onerati præſtaretis. Dedi corpus ſua pulchritudine, & viribus neceſſariis inſtructum: dedi animam, ratione & libero arbitrio præditam; ſubjeci pedibus veſtris elementa, & quidquid ad victum, veſtitum, habitationem idoneum: miſi ſervos meos, Prophetas, & Apoſtolos, qui vos ab iniqvitatibus veſtris in viam reducerent, & myſteria fidei edocerent; quin ipſe de ſinu æterni mei Patris deſcendi, ſaccumqve humanitatis veſtræ ipſe indui. Teſtor Bethlehemiticum ſtabulum, cunas, & faſcias, vagitus & lacrymas, ipſe vobis Dux, & Magiſter, & Paſtor veſter fui. Ipſe demum, cùm infelici æternitati ob ſcelera veſtra ſacrandi eſſetis, lytrum redemptionis ſolvi. Teſtor hæc mea vulnera, quæ mihi amor veſtri inflixit:

flixit: hanc crucem, qvam veſtri cauſà ſubii; hunc ſangvinem, qvem pro vobis fudi: hoc corpus meum, quod in flagella, & mortem pro vobis dedi.

His ità conſtitutis, quidnam ſcelerum eſt, quod adverſum me non perpetràſtis, quæ lex, quam non prævaricati eſtis? quod genus neqvitiæ vobis ignotum, aut non patratum? Atqve ut minus qvid ſtatuam contra faciem veſtram: ecce eſurivi, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & mihi potum non dediſtis; hoſpes eram, & non collegiſtis me; nudus eram, & non cooperuiſtis me; infirmus, & in carcere eram, & non viſitaſtis me; inſuper in Patrem meum, in ſanctos meos, blaſphemi, idololatræ, & dæmonum cultores, fures, homicidæ, latrones, adulteri, molles, fornicatores, verbo omnium ſcelerum peripſema, indigni qvos terra ferat, quos ſol aſpiciat. Hoc ergo meæ divinitatis incarnatione, hoc carnis meæ paſſione, hoc ſangvinis mei profuſione effectum, ut hæ mortalium ſordes haberent, qvem conſpurcarent? hæc impudentia haberet, quem ignominioſiſſimè contemneret? nihil ergo meæ Bethlehemiticæ lacrymæ, nihil vagitus, nihil prædicationes, nihil tolerati labores, nihil crux & vulnera potuère, ut video, nihil potuère apud ſceleſtos, & meis amoribus indignos mortales.

Quod ergo vos in omnem æternitatem cruciet, & torqveat, ite, ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Ite maledicti! Huc usqve vobis in Patrem, & paſtorem fui, hucusqve vobis bene miſericordia mea, & oculi mei ſuper vos, & ſuper opera veſtra. Ab hodie, & in æternum faciem meam non videbitis. Ab hodie, & in æternum amabilis ſolis jubar vos non aſpiciet; Ab hodie, & in æternum cœlo, & omnium beatorum conſortio excludimini. Nullus meus in vos amplius amor, nulla benevolentia, nulla melioris ſpes, nulla miſericordia! Ite maledicti, vaſa iniqvitatis, filii ſcelerati, populus non meus, nati ad omne malum. Maledicti in omni cogitatu, verbo, & opere veſtro. Maledicti in conſpectu Patris mei, omnium Angelorum, ac omnium beatorum, non vos invocati montes obruent, non quæſitæ valles tegent, non ſoles illuſtrabunt, non tenebræ excæcabunt; voletis vitam, & morte moriemini: voletis mortem, & fugiet à vobis. Servi mei comedent, & vos eſurietis: ſervi mei bibent, & vos ſitietis: ſervi mei lætabuntur, & vos confundemini: ſervi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus ululabitis.

Ite maledicti in ignem æternum, ibi erit fletus & ſtridor dentium, ibi æternùm ardebitis, uremini, cremabimini, torquebimini, ibi inter æternum væ, & æterna lamenta, ſuper ſulphuratis ſartaginibus, ardentes titiones æternùm aſſabimini. Spectacula veſtra, hydræ, ſcorpiones, trifauces cerberi, & univerſa maledicto-

dictorum monſtra dæmonum. Cantica veſtra: æternum ah! æternum væ! æterna lamenta! Roſeta & lilieta veſtra: putredo, tabes, horror & fœtor. Cibus veſter; pix & ſulphur, & ſpiritus procellarum. Lectus veſter, æternum ardentes pyræ, & rogi, & incendia. Ergo ite maledicti in ignem æternum, nulla vos inde dies, nullum ſæculum, nulla ſpes, nulla miſericordia eripiet. Dum terra terra, dum cœlum cœlum, dum DEUS DEUS erit, ardebitis.

Qvi furores? heu qui furores? quæ ira hæc? quæ fulmina! eheu! qvorſum infelices animæ dehiſcimus! quo diripimur? heu! qui nos ceraſtæ, qui tenebriones, qui nos cerberi diſtrahunt? Æqviſſime Judex; quando vidimus te eſurientem, aut ſitientem, & non miniſtravimus tibi. Amen dico vobis, qvamdiu non feciſtis uni de minoribus his, mihi non feciſtis, ite maledicti. Diviniſſima Mater Domini, itane ergo te inſpectante æternum perimus? nunc tempus faciendi ô Advocata noſtra, nunc faciendi tempus! Qvis me matrem vocat? illi mihi in filios, qui unigenitum meum in crucem egerunt? Serò iſta vota ſunt, non reſurgent impii in judicio, cecidiſtis, non reſurgetis. Deum immortalem: montes! montes, cadite, obruite, necate, mactate, annihilate nos, montes tantis medicina malis. Colles! colles, vosqve ex celſis pendula de verticibus ſaxa, operite miſeros, operite nos! & de tantis eripite malis. O Cherubini, ô Seraphini! ô ardentia corda, ô amoris incendia! opem ah opem tutelares Angeli! Ah quid egimus? quorſum acti ſumus? ergone cœlum deperditum eſt? & in æternùm miſeri ardebimus? Quis nos hîc in Patronos vocat? clientes, qui monita noſtra toties, ac tam protervè conculcavêre, qvoties non diximus? meliora, meliora paremus; & melior primis effluat iſta dies! qvoties intonuimus? momentaneum, qvod delectat; æternum, quod cruciat, hæc & ſimilia dicebamus: cœperunt carmina venti, & in aurem clientis nihil fluebat. Nunc repetunt: Tutelares Angeli, ſuccurrite, Cherubim & Seraphim! adeſte, & miſeris opem ferte. Sed ſera ſunt hæc omnia! Miſericordiæ tempus nullum amplius.

Heu! animæ miſellæ! qui enim nos melius vocem? animæ miſellæ, ah in quod malum ruimus? quâ infelicitatis abyſſo haurimur naufragi? O juventus! juventus! ô caro! caro, quantùm deſipuiſti, quantum decepiſti! ſtultis inſaniens amoribus; æternis arſura ardoribus! ô diva Patriarcharum cohors, ô glorioſi mundi principes Apoſtoli, ô cœli cives univerſi, miſeremini ſaltem vos amici noſtri! Maledicta dies, quæcunqve nos naſcentes vidit, maledicta hora, quæcunqve mortali luci intulit, ità perituros. Maledicta tellus, quàm puer pede meo temeravi. O nunqvam has lucis auras hauſiſſem! ô nunquam eſſem aliquid impoſterum. Sed bene eſt! juſtum eſt. Numen contempſimus; æqvum eſt! æternum periimus! heu! æternum.

Digitized by Google

Ergone in his doloribus lugebo ſemper? ſemper.
In inferis ardoribus ardebo ſemper? ſemper.
Tantisqve de doloribus exibo nunqvam? nunqvam.
Deqve inferis ardoribus exibo nunqvam? nunqvam.
Dic quaſo nobis, quamdiu ardebit ignis? ſemper.
Dic quæſo in iſto, quamdiu cremabor igne? ſemper.
Dic quæſo adhuc me, quamdiu torqvebit ignis ille?
Torqvebit ille tamdiu dum vivet unus ille.
Ibunt dies cum menſibus, annisqve ſæculisqve.
Ardebitis vos menſibus annisqve ſæculisqve.
Sed quando tandem tartarus nos enecabit? nunqvam.
Aut quando ab igne tartarus nos liberabit? nunqvam.
Semper necabit tartarus, nunqvam ſed enecabit,
Semper vorabit tartarus, nunqvamqve devorabit.
O ſemper, & nunqvam.

O homo, utinam ſcires præterita, cum dolore, malum commiſſum, bonum amiſſum, tempus dimiſſum!

O homo! utinam intelligeres præſentia cum timore: mundi vanitatem, carnis infirmitatem, dæmonis fallacitatem.

O homo! utinam proſpiceres futura cum tremore; faciem Judicis infallibilis propter ſapientiam: inflexibilis propter juſtitiam, inevitabilis propter potentiam.

O homo! utinam perpenderes ignem infernalem, quo nihil crudelius, nihil horribilius, nihil infelicius.

O homo! utinam noſſes æternitatem, ad quam properas, fortè cras, fortè hodie futurus incola.

Gens absqve conſilio, & ſinè prudentia eſt, utinam ſaperent, & intelligerent atqve noviſſima providerent.

(* * *)

In

In feſtivitate Naſcentis DEI.

Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus eſt vobis hodie Salvator. Lucæ 2.

Deus in ortu mundi Deus timoris, in fine mundi Deus terroris, in cunis Deus amoris.

IAm tandem diviniſſima illa Sapientia, quæ ex ore altiſſimi prodiit ab annis æternis, attingens à fine usqve ad finem fortiter, & diſponens omnia ſvaviter, jam venit, jam adeſt AA. ad docendum nos viam prudentiæ! Chriſtus, ô verbum dulce! verbum amoris! Chriſtus natus eſt nobis, venite adoremus. Princeps ille, & Dux domûs Iſraël, bellator omnipotens, ad conterendas gentes, & turres excelſas; jam venit ad redimendos nos in brachio ſuo extento: Radix Jeſſe, exercituum Dominus, qvi ſtat in ſignum populorum; ſuper qvem continebunt reges os ſuum, & qvem deprecabuntur omnes principes terræ, inclinavit cœlos, & deſcendit; jam venit. Clavis David, & ſceptrum domus Iſraël, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit, jam adeſt educere vinctos de domo carceris, ſedentes in tenebris & umbra mortis. Rex ille gentium, & deſideratus earum, lapis angularis qui facit utroqve unum; Emmanuel Rex, & Legifer noſter, totus amor, totus ignis, & incendium, jam venit.

Et qui nuper per montis Sinai altitudines, nubes cogebat in fulgura, & fulmina; quiqve per territos cœlos, ventorum, ac tonitruorum inter ſeſe collidentium miſcebat pugnas, & prælia, mille minatus mortes, mille interitus; verè DEUS timoris: & qui olim venturus nubium ſubſidio in majeſtate Judicis, confringet cedros Libani, in gloria; verè DEUS terroris; ecce Puer natus in Bethlehem, ſtringentibus faſciolis manſvetior agnello tenetur in cunis, verè DEUS amoris.

Aſpicitis A. A. ut frontis ocelli, ſi ſudum illorum ſpectemus, cryſtallus: ſi qvas jaciunt flammas, ſidera; ut inqvam ſuum circumerrent cœlum; neqve jam protoparentes noſtros de paradiſo requirant ad vindictam; ſed qvam humeris imponant, inqve ovile referant oviculam!

Aſpicitis labellorum purpuram, non quæ jam indignatione, & furore plena abyſſos in mundi provocent ruinas, & exterminium; ſed quæ merum mel, merumqve lac miſericordiæ diſtillent in amatoria eloquia.

Aſpicitis illas alabaſtri nivibus perfuſas manus, non jam illas, quæ de flammarum fulgure fabricatas romphæas, verſatilesve gladios verſent ad exigendum peccatorem de loco paradiſi; ſed manus, quæ poſitis armorum furoribus, poſitis arcu, & fulminibus, in noſtros extenduntur amplexus.

Digitized by Google

O liqvidos cœlos! ô arcûs, meiqve meta; dulciſſime Parvule! ô jaculabilium amorum ſcopus! ô igneorum cordium commune cor, deliciumqve; & meræ felicitatis bajulus, & prima noſtræ fauſtitatis Autore! ô auree, ô gemmee, ô diviniſſime Puer; Flamma mera, merus amor, merum incendium. Te! te! ego hîc usqve & usqve amabilibus ſtringam ſuſpiriis.

Infans caſtore pulchrior!
Compto luce novâ blandior Heſpero!
Pictâ lætior iride,
Et naſcente Puer ſole ſerenior!
Infans virgine lilio,
Et lotâ nivibus candidior roſâ!
Pomo carior aureo;
Gemmarum vigili fulgure clarior!
Ut condita favo natat
Parvi lingva Jovis; labraqve dulcibus
Manant ebria rivulis!
Miſti cum liquido nectare balſami!
Stellæ mollibus illigant
Se circùm pueri tempora crinibus;
Cinnorumqve volubiles
Curvant ſe radii lucis in annulos.
Hunc hunc ô tenerum Jovem
Formoſis charites tollire brachiis,
Florentesqve roſariis
Delibate genas mitibus oſculis.
Hunc in rore liguſtrico
Qvem ſudant tacitis ſidera noctibus,
Aut in flumine nectaris,
Primo caſtalides merg'te balneo.

O Parvule, Parvule! qvàm nobis metuendus ibas, cùm primùm DEUS paradiſum inambulabas poſt meridiem; audivit enimverò tunc vocem tuam protoparens noſter Adamus, & timuit. Verbum arguendi tunc eras; cùm diceres: quis enim indicavit tibi, quòd nudus eſſes, niſi, quòd ex ligno de quo præceperam ne comederes, comediſti? Ohe! quàm timendus nobis veniebas, cùm univerſæ mortalitati ſententiam ſcriberes: Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: Verbum condemnandi tunc eras,

DEUS

DEUS timoris: Qvam metuendus humano generi univerſo; cùm verbum puniendi dictares: pulvis es, & in pulverem revertêris! Qvàm expaveſcendus dein, cùm ad verbum tuum rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt, & facta eſt pluvia ſuper terram qvadraginta diebus, & qvadraginta noctibus, & deleta eſt omnis ſubſtantia, qvæ erat ſuper terram, ab homine usqve ad pecus; tam reptilo, quàm volucres cœli!

Sed & quàm horrendum erit incidere in manus DEI viventis, quando cuncta quæ fiunt ſub ſole adducet hic Parvulus, tunc maximorum maximus in judicium. Ipſe enim eſt, qui ventilabit aream ſuam; & reddet unicuiqve ſecundùm opera ejus. Adhuc enim modicum, aliquantulumqve, qvi venturus eſt veniet, & non tardabit. Ad Heb. 10. Et tunc patebit ſignum Filii Hominis in cœlo; & tunc plangent omnes tubus terræ; & videbunt Filium Hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa & majeſtate. Matth. 24. Tunc Parvulus iſte verbum condemnandi, atqve perdendi erit, DEUS terroris.

At enim, DEUM immortalem, hodie mortalem! jam Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis; merus ignis, mera flamma, purus DEUS amoris.

Qui detonat in nubibus, & ludit cum flammibus,
Hic jacet parvus puſio, ligatus in præſepio. DEUS amoris.
Qvi rerum eſt principium, ad pedes jacet pecudum,
Fit Herus ipſe famulus, ut ſervus fiat Dominus! DEUS amoris.
Æternus ecce naſcitur, & lacte matris paſcitur,
Jam incomprehenſibilis arctatur lini faſciis. DEUS amoris.

Parvule conde manus, nè forſan flaverit Auſter;
Eſt nimium auſterus floribus ille tuis.
Parvule conde pedes; nè forſan flaverit Eurus,
Eſt nimium pedibus barbarus ille tuis.
Ohe! qvàm Boreas teneros tibi vexat ocellos;
Ohe! qvàm laceras bella labella notus.

Dormi mea ſtella dormi,
Stellæ die dormiunt:
Dormi Phœbe ô amor mi,
Soles noctu dormiunt!

O qvàm magnus eſt Academici hic Parvulus; qvàm parvus eſt iſte Magnus! Cœlum ſuſpicite! & ecce geravit illud in circuitu gloriæ ſuæ, manus excelſi (hujus Parvi) aperuerunt illum. Imperio ſuo acceleravit nivem, & accelerat coruſcationes emittere judicii ſui. Eccl. 43. Propterea aperti ſunt theſauri, & evo-

& evolaverunt nebulæ, ſicut aves. In magnitudine ſua poſuit nubes, & confracti ſunt lapides grandinis. In conſpectu ejus commovebuntur montes, & in voluntate ejus aſpirabit notus. Vox tonitrui ejus verberabit terram; tempeſtas Aquilonis, & congregatio ſpiritus; & ſicut avis deponens ad ſedendum, aſpergit nivem, & ſicut locuſta demergens deſcenſus ejus. Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus, & ſuper imbrem ejus expaveſcet cor. Gelu ſicut ſalem effundet ſuper terram; & dum gelaverit, fiet tanqvam cacumina tribuli. Frigidus ventus Aquilo flavit, & gelavit cryſtallus ab aqua, ſuper omnem congregationem aquarum reqvieſcet, & ſicut loricâ induet ſe aquis. Et devorabit montes, & exuret deſertum, & extingvet viride, ſicut igne. In ſermone ejus ſiluit ventus, & cogitatione ſuâ placavit abyſſum, & plantavit in illa Dominus inſulas. Verbo: terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius: verè DEUS timoris. Sed & in futurum reſpicite; & ecce inqvit: accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qvi calumniantur mercedem mercenarii, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timent me, dicit Dominus. 3. Malach. v. 5. Eritqve repente confeſtim à Domino exercituum viſitabitur (Jeruſalem) in tonitru, & commotione terræ, & voce magna turbinis, & tempeſtatis, & flamma ignis devorantis. Iſaiæ 29. Tunc Parvus hic utiqve erit DEUS terroris.

At enim, quod mortalium ſummæ felicitatis compendium eſt; jam nobis idem Parvulus eſt DEUS amoris! Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Chariſſime, ſcribit ad Titum ſuum Gentium Doctor Apoſtolus: Chariſſime; apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri; non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus, ſed ſecundùm miſericordiam ſalvos nos fecit. Gaudeat, quisquis eſt, inquit mellitus Bernardus ſerm. 1. in Vig. Nativ. qvem perpetuæ damnationis reum adjudicabat conſcientia peccatorum! excedit qvippe pietas JESU omnem criminum quantitatem, ſeu numeroſitatem! Naſcitur Chriſtus! lætetur, quicunqve vitiis expugnabatur antiquis. Naſcitur Filius DEI; exultet, qui magna ſolet deſiderare; quia magnus numerator advenit. Reſpirate perditi; venit JESUS quærere, & ſalvum facere, quod perierat. Morbidi convaleſcite; venit Chriſtus, qui contritos corde ſanat unctione miſericordiæ ſuæ. Exultate, quicunqve eſtis grandia concupiſcentes; deſcendit ad vos Filius DEI, ut regni ſui faciat cohæredes.

Miſſus de cœlo, ſub carnis velo, ardeſcit zelo,
Mitis agnellus, dulcis ocellus, puer tenellus.
In fœno jacet, & Verbum tacet, ut Patrem placet;

Noxæ

Noxæ communis Infans immunis jacet in cunis,
DEUS Amoris.

Fuerit timendus, qualis Prophetæ Danieli olim viſus eſt antiqvus dierum; & veſtimentum ejus candidum, quaſi nix; & capilli capitis ejus, quaſi lana munda, thronus ejus flammæ ignis; rotæ ejus ignis accenſus. Fluvius igneus, rapidusqve egrediebatur à facie ejus. Millia millium miniſtrabant ei; & decies millies centena millia aſſiſtebant ei! Dan. 7.

Sit expaveſcendus, qualis Apocalypticæ Aquilæ viſus eſt, & qualis nobis Judex venturus eſt, ſimilis Filio hominis veſtitus podêre, & ad mammillas zonâ præcinctus aureâ; Caput ejus & capilli candidi, tanquam lana alba, & tanqvam nix; & oculi ejus tanquàm flamma ignis, & pedes ejus ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum; & habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem; & de ore ejus gladius utraqve parte acutus, & facies ejus ſicut ſol. Apoc. 1.

At enim jam totus mitis, totus blandus nobis venit, DEUS amoris. Nihil in oculis de furore; nihil in labiis de ardore, nihil in vultu de terrore, nihil in verbis de horrore, nihil in toto de timore. Merus amor eſt; blanditur oculis, procatur labiis, invitat ſuſpiriis, perorat lacrymis, ſtringit faſciis, tenet vagitu, comprehendit amplexu. Caput ejus aurum optimum: comæ ejus ſicut elatæ palmarum: oculi ejus ſicut oculi columbarum; genæ ſicut areolæ aromatum; labia ejus diſtillantia myrrham primam; manus ejus tornatiles plenæ hyacinthis, totus amabilis, deſiderabilis, puer tenellus, ſicut agnellus.

Parve tuus vertex Panchæo clarior auro,
Excedit pretio cuncta metalla ſuo.
Ludunt in nivea lacte ebria, lilia, fronte,
Malas purpureæ diſtribuêre roſæ.
Suntqve merus murex tua dulcis Parvule labra,
Voxqve etiam flentis nonniſi mella pluit.
Ludit amabilibus manibus candorqve, ruborqve,
Purius hoc Parvi non habet orbis ebur.
Verbo: totus amor, totus blandiſſimus ardor!
Te nil terra, nihil pulchrius aſtra tenent.

Fuerit timendus, cùm gladium ſuum vibravit, cùm arcum ſuum tetendit, & paravit illum; & in eo paravit vaſa mortis; cùm ſagittas ſuas ardentibus effecit; Pſ. 7. Commota eſt, & contremuit terra, fundamenta montium conturba-

turbata ſunt, & commota ſunt; quoniam iratus eſt e's. Aſcendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Pſ. 17.

Sit expaveſcendus, quando accepturus eſt armaturam zelus illius, in noviſſimis, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum: quando induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum, ſumet ſcutum inexpugnabile, æqvitatem; acuet autem duram iram in lanceam; & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Sap. 5.

Verumenimvero jam nobis eſt DEUS amoris. Nihil præ ſe fert, quo feriat, quo vulneret, quo perdat. Caſtrorum locus illi vile tugurium: Armatorum exercitus, mater & nutritius; apparatus bellicus, viles pecudes, & faſciæ; campus Martius, cunæ de præſepio; enſes & tela, oculorum fulgetra; arcus, brachiorum amplexus; ſpicula, ejaculata cordis ſuſpiria; pectus pharetra; globi bellici, imbelles lacrymæ, tormentorum boatus, infantiles gemitus! Et qvorſum iſta? niſi quia lacrymis potatur amor: niſi quia ſuſpiriis vivit amor; niſi quia inter præſepis fæna, incendia quærit amor; niſi quia faſciis ut vinculis ſtringere, & ſtringi vult amor; niſi quia inter pecudes paſtor eſt amor; niſi qvia in ſtabulo ruſticari quærit amor; & nocte quidem naſci voluit; quia cæcus amor; & inter ſilentia noctis naſci voluit; quia audiri voluit amor; & hyeme naſci voluit; ſignificare volens quàm inter homines divinus frigeat amor!

Parvule ſi poſſem Boreales tollere ventos,
Qvàm vellem ventos tollere chare Puer.
Parvule ſi poſſem frigentem accendere brumam,
Quam vellem brumam accendere chare Puer.
O ego ſi poſſem furibundos frangere coros,
Quàm vellem coros frangere chare Puer.
O ego ſi poſſem ventorum pellere murmur,
Quam vellem murmur pellere chare Puer.
Nimirum iſta tuam turbant tibi Parve qvietem;
Nec dormire potes, nec vigilare voles.
Dormi aurille Puer; Boreas, Eurusqve tacete;
Hirſuti, dormi Parve, tacete noti.
Vosqve vagi veſtros venti componite mores,
Pro rixa, carcer, nî taceatis erit.
Dormi Parve dormi,
O dulcis Amor mi.
κατεύϑε ϑεόσμυ
τὸ αἰτεῖ πατῆρσυ.

Flam-

Flamma mea dormi, Dormi ô Amor mi!

O quàm fortunata nobis fulgent tempora Academici. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore Pſ.2. Ità dicebatur nuper: Qvis poterit cogitare diem adventûs ejus, & qvis ſtabit ad videndum eum. Malach. 3. Hoc dicetur olim: Diligite Dominum omnes Sancti ejus, Pſ.30. hoc jam.

Terribilis eſt Dominus, & magnus vehementer,& mirabilis potentiâ ipſius Eccl. 43.Hoc nuper:videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli,& plangent omnes tribus terræ. Luc.21. Hoc olim: parvulus natus eſt nobis,& filius datus eſt nobis; & factus eſt principatus ſuper humerum ejus; & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, DEUS fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Hoc jam.

Unus eſt Altiſſimus, Creator omnium omnipotens, & metuendus nimis. Eccl. 10. Hoc nuper. Cùm ſublatus fuerit,timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Job.41. Hoc olim. Ibi invenietis eum reclinatum in præſepio. Luc.2. Hoc jam. Et ecce, Dominus tranſit; & ſpiritus grandis, & fortis ſubvertens montes, & conterens petras,ante Dominum. 3.Reg. 19. Hoc nuper. DEUS manifeſtè veniet, & non ſilebit; in circuitu ejus tempeſtas valida. Pſ. 49. Hoc olim. Et poſt ignem ſibilus auræ tenuis. 3. Reg. 19. Hoc jam.

Deniqve, in principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM; & DEUS erat Verbum, hoc in principio erat apud DEUM. Jo. 1. Hoc nuper. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani, Pſ.28. Hoc olim. Et Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis. Jo. 1. Hoc jam. Ibi DEUS timoris, ibi DEUS terroris, iſthic DEUS amoris.

O qvotqvot carnem mortalem ſectamini mortales; huc huc! ſi qvem cincinnus illaqveat, ſi cui frontis ebur oculos faſcinat, ſi cui ſuperciliorum arrident irides; ſi quem oculorum fulgetra vulnerant; ſi quem genarum trahunt roſeta,ſi cui labiorum dulcè rubet purpura:Nunc ama, ſi non amâſti; ſiq; amaſti,nunc ama.

Timebas Dominum? paveſcis Judicem? Ama Amorem. Timebas dicentem: morte morieris? paveſcis dicturum: mihi vindicta? ama tui amore in cunis vagientem. Timebas qværentem: Adam ubi es? paveſcis interrogaturum; Tu quis es? ama in tuos amplexus ultro ruentem. Timebas,cùm mundum mergeret diluvio; paveſcis mundum judicaturum in judicio; ama ad redimendum mundum venientem.Timebas,cùm Sodomam & Gomorrham everteret ignibus; paveſcis, qvòd mundum purgaturus veniet ignibus; ama hodiè omnia accedentem ſuis ignibus. Nunc ama ſi non amaſti, ſiq; amaſti nunc ama:

Et ſi amare pigebat, ſaltem redamare non pigeat.

Digitized by Google

In feſto SS. Innocentum.

Rachel plorans filios ſuos, quia non ſunt. Matth. 2.

Abſterguntur Racheli lacrymæ, eò quòd multi Innocentes in religioſis ordinibus ſint.

ET quid ni ploret Rachel filios ſuos, quando jam non ſunt? nuper è collo materno chara onera pendebant; nuper plena vacuabant ubera; nuper ludebant in genitricis ſinu; jam non ſunt. Blandiebantur oculis, baſia figebant baſiis, innocenter rixabantur cum materculis; jam non. Quis non fleat hujus mundi perpetuum: jam non. Felix prima mortalium ætas: jam non. Pacata quondam luſtra; jam non. Felices nuperi anni; jam non. Aurei quondam menſes & hebdomades: jam non. Quis non ploret! ſic ipſi nobis inter lacrymas, mœſtaqve ſuſpiria cantillamus: Fuère Troës Ilium, Tros, Ilium, fuère; ubi ſteterunt Pergama, nunc fluctuant ariſtæ. Rachel plorans filios ſuos, quia non ſunt.

O quàm longè diverſas Rachel, & quàm alias lacrymas fundit Rex David! David, cùm non moritur puer, non vult conſolari ſuper filio; ſurgit & manducat lætior, cùm moritur puer. Rachel noluit conſolari, quia non ſunt. Flevit Alexander plures eſſe, quos deprædaretur mundos; Rachel plorat, in hoc mundo tam paucos eſſe mundos. Ille lacrymatur tot reſtare, iſta, nullum ſupereſſe. Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus; non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus. Quid ita? Migravit Judas (Innocentia inqvam) propter afflictionem, & multitudinem ſervitutis: habitavit inter gentes, nec invenit reqviem; omnes perſecutores apprehenderunt eam inter anguſtias. Thren. 1.

Nimirum parùm tuto loco ſtat Innocentia, inquit Ammianus l. 15. Vidit illam aliquando paradiſus in viro: & vidiſſet fortè adhuc, niſi ſerpens, atqve ſerpente infelicior mulier in viri conſpirâſſent exitium. Cavete, cavete, quotquot Innocentiam diligitis; cavete ſerpentem, & mulierem, utrobiqve latet angvis in herba.

Quid ageret paradiſo exul Innocentia? à viro, ad adoleſcentem, Abelem inquam divertit. Sed nec ibi diu tuta; quando in agrum educta, tenetur; invaditur, percutitur; & trucidato hoſpite, jam alterum hoſpitium mutare adigitur. Ergo ad puerilem ætatem itum, & quod olim Jovem, cùm hoſtes gigantes fugeret, dixiſſe ferunt; ite inqvit; ite procul radii, ſemperqve inviſa poteſtas dixit: & infantes Dea ſe ſuperinduit artus.

Sed

Digitized by Google

Sed ecce, cùm multiplicari cœpiſſent homines ſuper terram; vidit ſimul DEUS, quòd fugatâ denuò Innocentiâ, multa malitia hominum eſſet in terra, Gen. 6. Et quod cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum; Deniqve quòd omnis caro corruperat viam ſuam, quare & ſtatuit delere hominem. Qvorſum jam toties exul, toties fugata Innocentia? Una in totius mundi naufragio ſupereſt tabula: Arca Noë. Fortè locum dabunt pecudes, quando adeò crudeles evasêre homines. Itá quidem, niſi ſcelus hominumqve pecudumqve Chamus ille, indignus Patre tanto, & tam ſancto filius, indeqve merito chamo, & fræno conſtringendus, inde te quoque hoſpitio exegiſſet. Ibis jam ad Sodomæ, & Gomorrhæ viciniam; liberalem eam, fertiliſſimamqve omnium rerum, præterqvam virtutum patriam: cum innocente Loth in brevi vaſa collectura; ubi & ſulphur, & picem, & flammas, & incendia ſuper habitatores loci illius pluere cœperit Dominus.

Ergo ad cunas infantiles, per diverſas mundi regiones, ac demum in, & circum Bethlehem properatum eſt, ubi faſciis conſtricta, omnibus ignota, ac proinde ſecura lateret Innocentia. A bimatu, & infra, quidquid erat, Innocentia fuit; quod ſupra fuit, inter millena millia vix Innocentia erat. Si prætextâ induebatur, ſi jam verba formare, ſi pedem ducere idonea; jam aliud, quàm Acaciam præferebat. Quanquam neqve in cunis ſinè Herode illa innocens ætas fuit. Mittens enim Herodes, occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus à bimatu, & infra. Atqve hoc eſt, quòd Rachel plorat filios ſuos, quia non ſunt. Non in paradiſo: quia ibi cecidimus tanquam folium univerſi: non extra paradiſum; quia ibi tollitur juſtus, & nemo recogitat corde: non in arca Noë, quia ibi & Chamus: non in Sodoma; quia ibi malitia completa: non in Bethlehem, quia ibi mittens Herodes occidit omnes pueros. Noluit Rachel conſolari, quia non ſunt.

Verùm, pone luctum bona Rachel. Eſt, quô tibi tuas abſtergam lacrymas. Nondum ex orbe toto diſceſſit Innocentia. Et quid ſi tibi monſtro tuos filios, de quibus tu dicis: quia non ſunt. Quid ſi multitudinem; quid ſi locum? qui ſi plures, quàm te peperiſſe exiſtimas. Numerat Apocalypſis 144 millia ſignatorum: qui ex duodecim tribubus Iſraël agnum ſeqvebantur: quid ſi tibi plures quàm tribus duodecim, plura quam 144 agnum comitantium hodie exhibeo millia? nunquid adhuc non conſolari voles?

Subridet jam noſtra Rachel. Et dic, quæſo, inquit, ubinam tandem eſt Innocentia? dicam, ſed ſub roſa, prodi timet, ubiqve enim etiam hodie ſuos Herodes habet. Ibi eſt Innocentia, ubi homo vivit puriùs, cadit rariùs, ſurgit

velociùs, purgatur citiùs, incedit cautiùs, rigatur frequentiùs, fructificat uberiùs, moritur ſecuriùs, præmiatur copioſiùs. Ænigma tibi locutus ſum. D. Bernardus illud aperiet. Dicam ergo, clariùs. Fons ſignatus illi domicilium; qvem antiqvus ſerpens, quantumcunq; conetur, venenis ſuis non inficit; aut ſi hoc non capis: hortus concluſus illi habitatio eſt; nullis beſtiis terræ pervius: aut, ſi mavis, arca Noë illi hoſpitium; quà ſuper omne, quod mundus eſt, elevata fertur ſui ſecura Innocentia, & ſi etiam hoc non capis, Theodorus Stumpivicius Carthuſianus te erudiet, ibi eſt: ubi comeditur parciùs; jejunatur freqventiùs, oratur diutiùs, vigilatur ſæpiùs, ſtudetur intenſiùs; diſputatur modeſtiùs, obeditur promptiùs, laboratur ſtudioſiùs. Verbo: in clauſtris religioſorum, ibi inqvam eſt adhuc Innocentia.

At ubi, dices, illæ tribus duodecim? ubi, de quibus diceebus, centum qvadraginta quatuor millia? Dicam; & quamvis plures ſint, dabo tribus duodecim, & ſi voles, dabo plura qvàm 144 millia. Ergo veni, & perambulemus hujus mundi vicos, & oppida, viſuri numerum, qvem is habeat de Innocentiis.

Ubi ſumus? in Carmelum, nos, credo, ſuo curru divus Propheta Elias extulit. Hic ego video Dionyſios, & Cyrillos, Hilariones, & Spiridiones, Anaſtaſios, & Gerardos, Thomas, & Petros, Brocardos, & Serapiones, Albertos, & Corſinos, Avertanos, & Bertholdos, divasqve Eugeniam, & Euphraſiam, Euphroſynem, & Magdalenam, & Thereſiam; & ſub uno Abbate interdum inter abſtruſa nemorum, & prærupta Aſiæ ſeptem Monachorum millia!

At ubi nunc ſumus? in magni Auguſtini patria. Geminus hic Innocentiorum numerus innumerus. Ex Canonicis regularibus divi Auguſtini Eccleſia numeravit Pontifices 54, Cardinales 1567, Epiſcopos ſinè numero: Beatorum ſedecim millia, ducentos. (Ticinenſis p. 2. hiſt. l. 2. c. 1.) Rexitqve hic ſacratiſſimus ordo Romanam Eccleſiam in Petri ſede collocatis ſuis Innocentiis, annis pluſqvam quingentis. Ex religioſis verò divi Auguſtini, qvos Conventuales vocant, is ordo conflatus eſt, qui ut obiter dicam, mille ducenta nonaginta quinque numerat domicilia. Demus in qvovis domicilio perſonas eſſe nonniſi duodecim, (cùm in plurimis quinquageſimum numerum excedant) jam habebimus Innocentiorum quindecim millia, quingentos quadraginta. Quantus verò futurus ſit, ſi computum à primordio religionis ducamus, quis explicet? nihil dico de glorioſiſſimis Athletis, qui ſanguinem pro Chriſto, non minus ac ſub Herode Innocentes fudêre, & jam olim bis mille quingenti numerabantur. Non meminerim etiam eorum ſacrorum ordinum, qvorum 40 cenſentur, qui de Auguſtini regula, velut fonte, velut rivi puriſſimi prodière.

At

At ubi nunc ſumus? per Græciam, inde in Italiam, hinc in Ruſſiam, & Lithvaniam ire oportebit, ſi magni Baſilii ſidera, contemplari libeat. Numera ſtellas, ſi potes, & ſanctiſſimi hujus Patriarchæ familiam complexus es; adeò hic ordo quoddam ſideribus lucidiſſimis plenum cœlum eſt.

Jam miteſcunt nonnihil Rachelis ſingultus. Bene eſt. Progrediamur porrò, & ſanctiſſimi Norberti candidiſſimam ſtationem inviſamus. Cùm D. Norbertum nomino, candidiſſimam, innocentiſſimamqve lacte lotam Columbulam nomino. Cum Præmonſtraſenſes dico, duces, qui nos ad lacteam cœli viam promoveant, oſtendo. Cùm Norbertinos appello, eas dicere volo columbulas, quæ vel juxta fluenta pleniſſima ſuam candore plenam contemplantur pulchritudinem, vel optatiſſimam pacis DEUM inter, ac homines circumferunt olivam. Neqve hic dici poteſt illud Canticorum 6. Una eſt columba mea; innumeræ ſunt; utpote quæ intra primos 800 annos, cenſuerunt mille octingenta domicilia; in quibus ſæpe trecenti, quandoqve etiam mille unà degebant Innocentii. De hoc ſacerrimo ordine, Innocentius IV. optimus Innocentium Arbiter; ità aliquando è Petri ſede effatus eſt. Sanè mundo celebris, & ſupernis grata civibus, ſacra religio Præmonſtratenſis ordinis, à ſuæ plantationis initio, Regis æterni fuit habitaculum, virtutum ſplendoribus illuſtratum, qvod ſemper honore proficiens, & honeſtate concreſcens, generalis Eccleſiæ decus extulit, & decorem multis modis ampliavit. Ipſa in domo Domini contra tentatoris impetus & turbinem vitiorum eſt quaſi turris eburnea, virtutum munita propugnaculis, in qua lectum amœnæ quietis habeat, veri excellentia Salomonis. Nec minus clarum, quod Bonifacius VIII de illis, & ad illos, ſcriptum reliqvit: In Eccleſiæ firmamento, inqvit, veſter ordo, claro nitore coruſcans, univerſalem dominici gregis aulam illuminat, currentibus in ſtadio rectum iter inſinuat, quô ad ſalutis bravium facilius pervenitur.

Jam, neſcio, qvem vocantem audio. Venite benedicti! O vos benedictos à Domino, qvotqvot D. Benedictum ſeqvimini, & miſericordiam feciſtis cum ſorore noſtra Innocentia; nec perire ſiviſtis; quod mundo tantum decus adferebat. Hem quis numerus aſcendentium de lavacro? Trithemius Abbas jam ſuo tempore ſcribebat in hoc ordine animarum in cœlos receptarum cenſeri quindecim millia. Petrus Meſſias poſterius paulò, numeravit triginta, Bibliotheca Caſſinenſis quadraginta quatuor millia. Cenſet hic ordo Imperatores tres, Reges viginti duos, Reginas quadraginta & unam, præter viros principes innumerabiles, qui ſpretis mundi deliciis iſthic Innocentiam coluêre. Romanos vero Pontifices refert Genebrardus 24. Cardinales 200. Archiepiſcopos 1600.

Epiſco-

Epiſcopos 4000. Abbates 15700. Martyres, de quibus eſt conſtans fides 8531. Numerabat hæc religio Trithemii temporibus virorum monaſteria 37000. Monialium millia duodecim. Quod ſi unicuiq; domicilio modo una innocens obveniſſet anima, jam Innocentiorum habuiſſemus 52000. Quid ad hæc noſtra Rachel?

Abſtergit illa nonnihil ſuas lacrymas. Sinamus & pergamus; erit tempus, cùm forte riſum dabit. Et ecce, ad ciſternam, an fontem? pervenimus; qui crevit in fluvium magnum, & demum converſus eſt in ſolem, ut eſt in libro Eſther. Hic credo Ciſtercius ordo eſt, cujus omnes religioſos inſtar Angelorum, candidis amictos, ſancti Bernardi viderunt tempore. Fons parvus in principio, ſed in quo byſſum ſuam lavit Innocentia. Crevit in fluvium magnum, cui unus Bernardus 160 erexit cœnobia; & verſus in ſolem purpureum, quando hic ordo ter mille, quadringentos quadraginta purpuratos dedit Martyres. De hac ſacra religione Clemens IV. Ciſtercienſis ordo prælucidus, eſt fons amænus, varietate virtutum: præclarus munditiæ puritate; pietate patens, indeficieris ſanctitate. De hac Benedictus XI. ſicut ſtella matutina, in medio nebulæ, ſacer Ciſtercienſis ordo in Eccleſia militante, ſtrenuè militat operibus, exemplis, fervideqve ſatagit per ſanctæ converſationis applauſum, & innocentis vitæ meritum, montana ſcandere cum Martha; ſeq; per exercitium laudabilium actionum, & penſum piorum operum, curioſum Marthæ ſatagentis officium conſervare. De hac religione beatiſſima Virgo ipſa Innocentio III. ſummo Pontifici edixit: Tu ordinem Ciſtercienſem, cujus ego advocata ſum, deſtruere conaris? & eadem beato Alberico: ego ordinem iſtum uſqve in finem ſæculi protegam & defendam. De hac religione refert Miræus, in congregatione Ciſtercienſi fuiſſe quater mille virorum, monialium verò cœnobia ſexies mille. Numera ſi potes, cuivis domicilio tantum tribuendo perſonas decem, cùm tamen una Clara Vallis ſolita ſit religioſos habere ſeptingentos ſeptuaginta.

Pergamus, nî fallor, in Gallia ſumus. Carthuſianos hîc morari loquitur ſilentii majeſtas, & ſolitudo. De Carthuſia refert Petrus Sutor l. 2. c. 4. Novitio cuidam diſceſſionem ab ordine meditantem, revelatum eſſe, omnes, qvotqvot ad id temporis religioſi in eo loco obiiſſent, præter unum converſum, ſalvatos eſſe. De hoc ſacerrimo ordine refert Petrus Dorlandus, A. 1430. Adoleſcentem Romæ poſt duodecimum à morte diem revixiſſe, ac, cùm neſcio, qvem de Carthuſianis religioſis conſpexiſſet, exclamâſſe: talibus cœlum, talibus cœlum plenum eſt. Et Daventriæ Hieronymum qvendam, qui ab exceſſu mentis in ſe reverſus, & interrogatus fuerat, num & Carthuſianorum aliqvem

Digitized by Google

qvem in illa beata patria conſpexiſſet, reſpondiſſe: vidi inſtar apum, eorum agmina!

Moveamus hinc! & ad divi Dominici familiam appropinqvemus. Hos vera mundi lumina appellavit Honorius III. numera hæc ſidera, ſi potes. Numerare conatus eſt ea, Antonius Sabellicus, & jam ſuo tempore, viginti & unam provinciam, quater mille centum quadraginta tres conventus, 26460 perſonas cenſuit. (Enneade 9.l. 6.) De hoc S. Fundatore DEUS Pater ità ad S.Catharinam Senenſem fatus fertur (c. 158. dial.) Dominicus dilectus filius meus, tuus Pater, ordinavit naviculam ſuam ordine perfecto, itaq; perfecti bene ſtare poſſunt in iſta navicula, eſt laudabili modô larga, totaq; jucunda, & in omnibus odorifera. De hac ordine Alexander Papa IV.Ordo ſacer Prædicatorum honeſtate floridus, præclarus ſcientiâ, virtute fœcundus, à ſede Apoſtolica meritò approbatus; qvi inter alia plantaria dominica, puritate converſationis, ſapientiæ dono, & virtutis merito dignoſcitur, & ſpecialiter inſignitur. Hujus ſacri, clari, conſpicui & approbati ordinis Fratres ſacrarum literarum ſtudio inſtanter incumbunt animarum profectibus, divinis officiis & orationibus inceſſanter intendunt; atq; evangelicæ prædicationi ardenter inſiſtentes, lumen divinæ doctrinæ, ubiq; per orbem diffundunt. Hi ſunt viri doctrinâ clariſſimi, qui contemplationi cœleſtium ferventer invigilant, & piæ vitæ ſtudio ſine intermiſſione deſudant. Hi ſunt viri probati, & plenè in lege Domini eruditi, efficaces quidem in opere, & in prædicatione potentes; quorum labia, gratia cœleſtis edocuit, ad propinandam ſalubrem doctrinam aliis, & commodum, ac profectum animarum, Chriſti fidelibus exponendam. De hoc ordine meminit Placidus Filingerius oratione habitâ Romæ A.1623 inter beatos cœlites ex hac ſacra religione cenſeri bis mille, & animas ducentas. Venerabilis verò Virgo Marina de Eſcobar, tot ſibi inter cœleſtia gaudia videre viſa eſt, ut exiſtimârit totum mundum ab iis impleri poſſe.

Quid jam dictura eſt Rachel, ſi, ut parcus ſim, illi duo millia, octoginta quatuor, (nam alii trecenta ſuperaddunt) conventus divi Patris Franciſci Seraphici recenſuero: ad qvos cùm jamjam mundum fulminare pararet divina juſtitia, velut ad aſylum confugerat Innocentia. Habitaverat illa aliquando in foraminibus petræ, columbæ gementis inſtar: in vulneribus inquam Salvatoris: ſed illo in cœlum abeunte, recepit ſeſe in cavernam maceriæ, in vulnera Seraphini illius Franciſci, ambulantis in medio lapidum ignitorum. Habuit hic ordo inter innumerabiles, qui aut Innocentiam tuiti ſunt, aut ipſi Innocentios egerunt, Imperatores qvatuor, Imperatrices & Reginas 20. Regios Principes 55. è ducali proſapia 270. Pontifices 6. Cardinales complures, Archiepiſcopos 740. Viros illuſtres univerſim

K 640.

640. Thaumaturgos 1630. Sangvine pro Chriſti nomine fuſo claros ultra mille. Perſonas, in cenſum non vocatis Capucinis, A. 1625 in generali conventu cenſuit centies ſexageſies ter mille,& nongentas.

Qvid dictura eſt Rachel, ſi his ingentem numerum ſervitarum beatæ Virginis addidero; inter qvos triginta tres ſanctitate & ſapientià claros ordinis referunt chronica. Qvid dictura, ſi his magnam, eamq; longam ſeriem minimorum S. Franciſci de Paula adjunxero; qui exiguo annorum ſpatio 262 vidêre domicilia, & hodie jam 536 numerant. Deniq; qvid dictura eſt, ſi Societatem Jeſu nominavero! O me felicem, dicebat aliquando inter extremam luctam, Leonardus Leſſius, cui mori conceſſum, ubi Angeli ſerviunt. Populus ſedens in tenebris, vidit lucem magnam, nihil dico amplius. Hoc ſolum adhuc, quod Adamus Weberus refert in ſua curioſa Philoſophia diſcurſu 29. ſub finem, nimirum A. 1549. fuiſſe per totum mundum virorum, atqve ſanctimonialium domicilia, numero ducenta viginti qvinqve millia qvadraginta quatuor.

Subridet jam Rachel noſtra, & quid ergo, inqvit, cùm jam duodecim diverſos religioſorum ordines, veluti totidem tribus enumerâris, ubi Clerum reliquiſti, illum præcipuum Innocentiæ Chriſtianæ defenſorem ac Patronum, nunqvid illi non cura de Innocentia? Reſpondeo, vel maximè. Et Clerum qvidem omnium primo loco collocare, nominareq; oportuerat; utpote cui in Eccleſia Chriſti omnis debetur primatus. Nec de hoc ulla controverſia eſt, ſed quia proceſſionem duxi eorum, qui Agnum ſeqvuntur, jure ſuo Clerus poſtremo, hoc eſt, honorificentiſſimo loco procedere debuit. De hoc Pſalmiſtæ dictum intelligo: Dominabitur à mari usq; ad mare: & illud Apocalypticum: poſt hæc vidi turbam magnam, qvam dinumerare nemo poterat. Qvis enim Eccleſiaſticas totius mundi perſonas cenſeat; qvando in ſola Italia,& adjacentibus Inſulis, præter ſummum Pontificem, numerantur Patriarchatus duo, Cardinales plerumq; bis triginta, ſubinde longè plures, Archiepiſcopatus 41. Epiſcopatus 295. Abbatiæ 489. Parochiæ 43540. Sacerdotes Clerici, (religioſos non annumero;) 77162. Clerici 44327. Tot enim A. 1685 cenſi ſunt. Greg. Læti in Cærimoniali.

Qvid jam ad iſta Rachel? quid dicam? niſi quia mihi riſum fecit Dominus. Hoc eſt, quod volebam. Ploravit Rachel, & noluit conſolari, quia non ſunt: rideat ergo nunc, quia ſunt.

(*,*)

Domi-

Digitized by Google

Dominica infra octavam Nativitatis Chriſti Domini.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum. Luc. 2.

Prognoſtica in annos ſecuturos.

CLaudimus Academici annum præſentem, imò non præſentem, cum jam ejus finis præ foribus ſit. Propediem inchoabimus alium, ſi ſuperi volent, eumqve ut loqvi ſolemus, Novum. O qualis ille erit? qvis det, ut intelligamus, qualis ipſe nobis venturus ſit. Quis, qvalisve fuerit, qui nunc ad extrema vergit, utcunqve novimus; & fortè vellemus neſcire, qvis, aut qualis fluxerit; tot bellis, & tumultibus, tot terræ motibus, tot naufragiis, tot incendiis, tot mortibus, & populorum oppreſſionibus infamis fuit. Sed de his, quid profuerit, meminiſſe videamus potiùs, quid à futuris temporibus expectandum, timendumve habeamus.

Eqvidem nullus Propheta ſum; ſed nec Pater, nec Avus meus ullus ex Calendariorum fabris; tentabo nihilominus hodie aliquid eorum proferre in medium, quæ mihi non tam aſtra, quàm mortalium genius aperuit. Et quædam prorſus adducam certa, tum quòd ex diviniſſimis ſcripturis deſumpta ſunt, tum quòd eadem jam dudum doctiſſimi, pientiſſimiqve viri ſuis Calendariis inſeruêre, ac deniqve quia longâ experientiâ ſemetipſa comprobârunt. Sic tamen ea accipi volo, ut quæ dicturus ſum, non in ſeqventem annum modò, ſed usqve in finem mundi trahi, & notitiæ mortalium ſervire poſſint. Audite & favete.

Omnium ergo primo, ajo & dico, quòd imminens annus ejusmodi erit, qualem nobis Chriſtum Dominum deſcripſit ſeniculus ille Propheta Simeon; dicens: ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum. Itaqve hoc anno multi grandi affligentur fame: multi verò egregiè omni epularum genere abundabunt: multi vehementem experientur ſitim, cùm alii interea ad omnes delicias usqve bibituri ſint: multi item præ gaudio exultantes exultabunt; ex adverſo multi præ dolore, atqve cruciatu clamabunt & ululabunt. Cauſa hujus rei eſt, quia anno venturo multi reperientur ſervi DEI; & iſti ſemper habituri ſunt, quod bibunt, quod edant, unde gaudeant: ex adverſo multi derelinqvent DEUM ſuum, & ibunt poſt inſanias falſas, & iſti famem, & ſitim, & dolorem, & cruciatum omnem expectent, neceſſe eſt. Tota hæc Prophetia deſumpta eſt ex Iſaiæ c. 65. ubi ità DEUS: Ecce ſervi mei comedent, & vos (intelligit peccatores) eſurietis: ecce ſervi mei bibent, & vos ſitietis: ecce ſervi mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce ſervi mei laudabunt præ exultatione cordis;

Digitized by Google

& vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione Spiritûs ululabitis. Qvæ omnia confirmantur ex capite 26. Levit. ubi DEUS per Prophetam ità vaticinatur: Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis: dabo vobis pluvias temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum; & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem, & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & absqve pavore habitabitis in terra veſtra. Qvod ſi autem non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore, qui conficiat oculos veſtros, & conſumet animas veſtras; fruſtrà ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus devorabitur. Et hoc eſt, quod dicebam, annum hunc fore in ruinam, & reſurrectionem multorum: veſtra eſt A A. electio, qvodnam horum velitis.

Ultra hæc, anno venturo, imò & temporibus ſecuturis erit, ut homines ſuperbiæ dediti, & qui tantùm ambitionibus ſtudent, quadrupliciter ſe malè habeant. Primò enim ſuis Patronis, ac mœcenatibus erunt admodum ingrati; deinde toti in eo erunt, ut miſeros opprimant; tum in aliorum famam, honoremqve deſævient; ac demum eis cum nullo bene conveniet. Totum id fundatur in Sapientiſſimi Salomonis ſententia, Prov. 13. dicentis: inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt; Senſus eſt, inqvit hic Cornelius à Lapide, ſuperbia facit, ut ſuperbi jugiter litigent, & rixentur; dum quisque alium anteire, & præ eo ſapere, ac honorari prætendit. Ex adverſo venturo anno pax & quies magna futura eſt inter humiles; juxta illud Lucæ 2. in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Qvam ob cauſam quisquis pacem diligis, ſuperbos fuge: fecit hoc David, de ſeipſo faſſus, Pſal. 100. Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.

Tertiò, in ſeqventem annum, quicunqve gulæ dediti ſunt, quatuor res, easqve permoleſtas, & graves expectandas habent, ſcilicet; corporis ægritudinem, deinde famæ dehoneſtationem, tertiò opum, & peculii conſumptionem, & demum præmaturam mortem. Deſumitur hæc prophetia ex Eccleſiaſtici c 37. Noli, inqvit, avidus eſſe in omni epulatione; & non te effundas ſuper omnem eſcam; in multis enim eſcis erit infirmitas; & propter crapulam multi perierunt. Ex adverſo, qui abſtinens eſt adjiciet vitam. Unde in epiſtolis D. Hieronymus: Mater ſanitatis eſt abſtinentia, mater ægritudinis eſt voluptas. Et Rabbi Hillel dicebat: qui multiplicat carnes, multiplicat vermes. Qvos, qvalesve vermes? illos intelligo, de qvibus Propheta: ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes!

Qvartò, anno futuro, iis, qui acediæ dediti ſunt, quatuor res evenire neceſſe

Digitized by Google

ceſſe eſt. Primum erit, quod tutiſſima quæque timebunt: ità Prov. 18. ſcriptum legitur; pigrum dejicit timor; dicit enim: leo eſt in via, & leæna in itineribus. Prov. 26. Alterum, quòd Dominis ſuis erunt odibiles. Ità enim Prov. 10. Sicut acetum dentibus,& fumus oculis, ſic piger his, qui miſerunt eum. Tertiùm, quòd in agris eorum multa ſit futura vaſtitas. Ità iterum Prov. 24. Per agrum hominis pigri tranſivi, & vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat. Qvartum deniqve, quòd eos mendicos habebimus in æſtate, ex Prov. 20. Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo æſtate, & non dabitur illi. Omnia contraria evenient his, qui in operibus ſuis alacres, expeditiqve ſunt,& ad labores prompti. Manus enim fortium divitias parat; Prov. 10. Et qvi velox eſt in opere ſuo, ſtabit coram regibus; & vetus, ac ſimul æqvè verum eſt prognoſticon: ora & labora, & habebis omnia bona.

Quintò, quatuor anno ſequenti, ex hominibus neceſſe habebunt, ut opus quod præ manibus erit, aggrediantur circumſpectè, & cum prudentia. Primus eſt Sacerdos, confitenti aſſignaturus ſatisfactionem, & pœnitentiam. Nam ut in Canonibus pœnitentialibus dicitur, circumſtantiæ diligenter ſunt à Confeſſario attendendæ, principaliter circa qualitatem perſonæ, & præcipuè utrum perſona obnoxia ſit vinculo alicujus ſervitutis; ubi Presbyter cavère debet, nè illis quibus pœnitentes obſtricti ſunt, præjudicium ſiat: conſiderandum etiam, utrùm ſit perſona nova in fide, quia novis in fide pœnitentia minor imponenda eſt. Extra de pœnitent. & remiſſ. c. DEUS, qui, atqve ſic de aliis circumſtantiis. Alter eſt Judex laturus ſententiam. Huic enim incumbet perpendere, quod Iſaias c. 10. habet. Væ, inquit, qui condunt leges iniqvas, & ſcribentes, injuſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent! Quid facietis in die viſitationis & calamitatis, de longè venientis; ad cujus confugietis auxilium?

Tertius, cui prudentia, circumſpectioqve erit neceſſaria, eſt medicus ægroto potionem medicam porrecturus. Qvemadmodum enim Cornelius Celſus, initio libri primi docet, oportet medicum noſſe, quæ ſit ægri natura, humidum magis, an ſiccum corpus ejus ſit; validi nervi, an infirmi; frequens adverſa valetudo, an rara: eaqve cùm eſt, vehemens eſſe ſoleat, an levis: brevis, an longa, quod is vitæ genus ſit ſecutus, laborioſum, an quietum; cum luxu, an cum frugalitate. Quæ niſi Domini Medici in obſervantia habeant; enim verò exigu-

um tuebuntur laudem illam, quam iis dedit Eccleſiaſticus c. 38. Diſciplina Medici exaltabit caput illius; & in conſpectu magnatorum laudabitur.

Quartus deniqve circumſpectè agat oportet dives, qui facturus eſt theſauri ſui diſtributionem. Etenim peſſima infirmitas eſt, quam ſe ſub ſole vidiſſe ſcripſit Ecc. 5. nempe divitiæ conſervatæ in exitium Domini. Pereunt enim in afflictione peſſima. Generavit filium, qui in ſumma egeſtate erit. Ergo honora Dominum de ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperi, & implebuntur horrea tua ſaturitate. Prov. 3. Vel ut Lucæ 18. dictum eſt: da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo.

Sextò. Venturo, & futuris annis, quatuor res, erunt admodum inconſtantes, atqve mutabiles; unde iis prorſus nulla fides habenda. Primum horum eſt ventus, quare in Flaviſſis Poëticis ventus levis, citus, vagus, mobilis, incertus, ambiguus, mollis, rapidus, procax, protervus, ac poſtremò etiam inſanus dicitur. Et Ovidius 1. metam. de ventis ait: vix nunc obſiſtitur illis, cùm ſua quisque regat diverſo flamina tractu; quin lanient mundum; tanta eſt diſcordia fratrum. Qvare nec blandientibus fidem habere voluit, qui dixit: contrahes vento nimiùm ſecundo turgida vela. Alterum proſpera fortuna eſt. Nam ut Auſonius cecinit; Fortuna nunqvam ſiſtit in eodem ſtatu; ſemper movetur, variat, & mutat vices: nunc ſumma in imum vertit, ac verſa erigit, & Ovidius:

Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxqve loco;
Hæc modo læta venit, modò vultus ſumit acerbos,
Et tantum conſtans in levitate ſua eſt.

Tertium eſt amicus menſæ, de quo Eccleſiaſtici 6. Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis, de quo Poëta: tempore felici multi numerantur amici, tempora ſi fuerint nubila, nullus erit.

Quartum denique ſunt labia meretricis. Favus ſtillans, inquit Rex Salomon prov. 5. labia meretricis, & nitidius oleô guttur ejus. Noviſſima autem illius amara, quaſi abſynthium: & acuta quaſi gladius biceps. Vagi ſunt greſſus ejus, & inveſtigabiles. Ergo fili mi, attende ad ſapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam. Longè fac ab ea viam tuam, & nè appropinques foribus ejus. Qui vult capere, capiat.

Septimò; ſecuturo anno, quatuor futura ſunt, quæ volent eſſe ſola; nec ſocium niſi indignabunde ferent. Primum Rex in ſolio, unde Alexander Macedo ad Darium, qui cum Alexandro regnum partiri volebat, ſcripſiſſe fertur: nec cœlum duos ſoles, nec regnum duos Reges. Aut unus & nullus. Secundum

Digitized by Google

dum Maritus in domo: ad quem Prov. 5. dictum eſt. Aquas tuas habeto ſolus; nec ſint alieni participes tui. Scimus, quantæ cedas ſubinde integra regna afflixerint, cum Menelaus Helenam habere non ſolus permiſſus eſt. Tertium erit eſuriens, qui ſocium nollet habere in paropſide. Sic in proverbio habemus: dum canis os rodit, ſocium quem diligit, odit. Quartum erit quæſtor, qui volet eſſe ſolus, primò ut ea, quæ acquiſierit, habeat ſolus; deinde nè quis ſit, qui obſervet, per fas an nefas, quid aut quantum colligat. Quare huic hominum generi nihil magis inviſum, quàm quos contra lor vocamus. Ex adverſo quatuor futuro anno erunt, quæ volent habere ſocium; Primum; verſans in diſcrimine, putà gravioris lapſus, vel ſubmerſionis ſcriptum eſt enim Eccle 4. Væ ſoli! quia cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe. Quare tunc melius eſt eſſe duos ſimul, quam unum; habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ; ſi enim unus ceciderit, ab altero fulcietur.

Alterum, quod volet habere ſocium, erit homo afflictus. Ejusmodi enim circumſpicere ſolent, nullus ne ſit, qui conſoletur, qui medicinam, qui auxilium ferat! Quemadmodum Jobus, cùm ab omnibus deſereretur, dicebat: Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei. Tertium erit homo itinerans; ejusmodi enim gaudent habere, cum quo per iter colloquendo, viæ moleſtias leniant; unde Terentius: quaſi vehiculum, facundus comes in via! Denique ſolus eſſe nolet in flagranti dignitate conſtitutus; etenim ejusmodi omnibus videri, ab omnibus ſuſpici, apud omnes in æſtimatione eſſe deſiderant; adeoque nec ſoli eſſe: Quare & de Junone Poëta dixit: Deſiit ablatis oculis ſe comere Juno: cùm nempe non eſſet habitura, à quo ſpectaretur. &c.

Octavò, anno venturo, quatuor admodum erunt in praxi difficilia. Primum rapuiſſe aliena, & reſtituere. Secundum. contumeliam pati, & tacere. Tertium; injuriam pati, & ſuſtinere. Quartum: chara tractare, & non frui. Tota hæc prophetia deſumpta eſt ex libello S. Thomæ, de quatuor. Contra primum efficax eſt recipe, lectio paragraphi apud Auguſtinum in ep. 54. ad Macedonium inquientem: Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Sed longe efficaciſſimum præſervativum eſt ex decalogo: non furtum facies. Pro altero efficax remedium eſt, exemplum Chriſti: qui cùm malediceretur, non maledicebat; ſed tanquam ovis coram tondente ſe obmutuit. Pro tertio valet. Recipe, quod Apoſtolus ad Hebræos c. 10. ſignificavit: patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem. Pro quarto ſit illud ex 1. Cor. 7. Hoc itaque dico fratres: tempus breve eſt. Reliquum eſt. Ut & qui habent uxores tanquam non habentes ſint, & qui gaudent, tanquam non gauden-

Digitized by Google

gaudentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi.

Nonò. Quatuor res erunt hoc anno obſtupeſcenda, & admiratione digna. Primo, quod ſol quotidie ſuum, eumque tam varium, & tamen cæteris annis ſimilem curſum, recurſumque ſit habiturus. Oritur ſol, inquit admirabundus Eccleſiaſtes c. 1. & occidit, & ad locum ſuum revertitur; ibique renaſcens gyrat per meridium, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans univerſa, in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur. Quare & alibi ſol, vas admirabile, & opus excelſi dictus eſt. Alterum admiratione dignum erit, quod cùm terra nulli innitatur fulcimento, ſed leviſſimo circumdetur elemento, nullò tamen caſura ſit, imò nec poſſit. De quo iterum Salomon. Terra autem in æternum ſtat. Tertium erit mirabile, quod cum tot ſint fures, & tot ubique proſtent patibula, pauci tamen ſuſpendentur, & demum hoc mirabiliſſimum, quod cum omnes homines eundem finem habeant præ oculis, eumque ſe quærere profiteantur, ſc. beatitudinem, tamen tam diverſas ſectentur vias. Vivere gallio Frater, ſcribit Seneca ad Gallionem de beata vita, vivere omnes beatè volunt, ſed ad pervidendum, quid ſit, quod beatam vitam efficiat, caligans. Mirabile: beatitudinem, & æternam vitam quærit Judæus, quærit Turca, quærit Ethnicus, quærit Chriſtianus, quærit Catholicus, quærit Hæreticus, quærunt adulteri, quærunt fures, quærunt latrones: ſed quid beatam vitam efficiat, ibi caligant.

Decimo, quatuor res hoc anno erunt in majore numero, quàm putemus. Et primò quidem longè plura erunt peccata, quam exiſtimemus homines. Cauſa eſt in promptu, quia non modo occaſiones peccatorum non fugimus, ſed ultro quærimus, ultro nos ingerimus. Occaſio autem facit furem, ut eſt in proverbio. Quamvis igitur plerique peccata oderimus, adeoque nobis optima quæque promittamus, quia tamen præcipitia amamus, quid mirum, ſi plures, quàm putemus, in præceps eant. Secundò. Longè majora & plura contrahentur hoc anno debita, quam unquam exiſtimemus. Cauſa iterum in promptu, quia plerique laborant vivere ſplendidiùs, quam unquam eorum ſubſtantia, & peculium ferat. Quorſum enim tot convivia, tot repotia, tantus in veſtitu luxus, tot & tanta famulitia? illæ ſocietates ſumptuoſæ, illi tam ſumptuoſi luſus? niſi ad augenda nomina, & debita? Tertio, plures hoc anno morientur, quam putemus. Nemo credo ex nobis omnibus eſt, & credo ex decem millibus vix unus, qui pro hoc anno mortem exſpectet. Saltem tres annos, ſaltem duos, ſaltem adhuc hunc annum vivam, inquit etiam Silicernium. Interea Charon nova, & plura navigia conſtituit, quibus morituros ad mortuos deportet.

Digitized by Google

tet. Qvartò deniq; plures hoc anno damnabuntur æternum, quàm homines putemus. Nemo de ſe tam malè, nemo de aliis facilè tam ſiniſtrè ſentit, ut qvenqvam pro hoc anno ad infernum miſſurus ſit. Et tamen cuidam ex ſanctis Eremitis revelatum dicitur, tot ſingulis diebus mortalium deſcendere ad inferos, ut cadentibus nivium floccis eorum numerus conferri poſſit.

Undecimò. Qvatuor res herum ex propria domo hoc anno expellent. Fumus, ſtillicidium ſuper læſum tectum, Fætor & mala mulier. De tribus primis conſtat: qvartum habetur ex Prov. 21. melius eſt ſedere in angulo domatis, qvàm cum muliere litigioſa; in domo communi. Patet in Xantippe; qvam nec ſapientia Socratis moderatiorem facere potuit. Commorari leoni & draconi placebit, qvàm habitare cum muliere neqvam, inqvit Eccl. c. 25. Qvare videat, qvi hoc anno uxorem ducturus eſt. Qvi verò jam Xantippem domi ſuæ habet, audiat illud Eccleſiaſtici c. 9. Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ, nè ingrediatur in virtute tua, & confundaris.

Duodecimo deniq; omnis homo ſapiens & prudens anno hoc quatuor res ſibi commendatas habebit. Primò Prudens dignitatem rebus non ex opinione multorum, ſed ex earum natura conſtituet. Sunt enim qvæ videantur eſſe bona, & non ſunt: & ſunt qvæ videntur non bona eſſe, & ſunt. Secundò nemo prudens, de dubiis facilè definiet; neq; inexpertum aliqvid affirmabit; qvia non omne veriſimile ſtatim verum eſt, ſicut & ſæpius, qvod primùm incredibile videtur, non continuò falſum eſt. Crebro ſiqvidem faciem mendacii veritas retinet, crebrò mendacium ſpecie veritatis occluditur. Nam ſicut aliqvando triſtem frontem amicus, & blandam adulator oſtendit, ſic veriſimilitudine coloratur veritas. Tertiò, qvisqve prudens ea, quæ habet, apud ſe, non tanqvam aliena ſervabit, ſed pro ſe, tanqvam ſua diſpenſabit: neq; tamen qvas ex rebus tranſitoriis poſſidet, mirabitur, & nihil grande exiſtimabit, qvod caducum eſt. Qvartò, demum omnis prudens, qvod corrigere, aut in rectum flectere neqvibit; tale, qvale eſt eſſe ſinet, juxta illud: ſicut it, ire ſinas, nam ſicut it, ivit & ibit, & illud qvod Thomas Kempenſis l. 1. de imit. c. 16. habet: Qvæ homo in ſe, vel in aliis emendare non valet, debet patienter ſuſtinere, donec DEUS aliter ordinet.

Atq; hæc ſunt DD. Academici prognoſtica, qvæ meum fert Calendarium, non modò pro anno proximè ſeqventi; ſed in annos plurimos, ſed pro tota veſtra vita. Recolite ſubinde dicta; & cum tempore intelligetis, qvia concordabunt eventus. Concludo cum Apoſtolo 1 Theſſ. 5. Semper gaudete; ſinè intermiſſione orate, in omnibus gratias agite; ſpiritum nolite extingvere; prophetias nolite ſpernere; omnia autem probate, qvod bonum eſt, tenete.

Digitized by Google

In feſto Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Vocatum eſt nomen ejus JESUS. Lucæ 2.

Anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo imponitur nomen: Amplius.

QVantum intelligo DD. Academici, dies nobis hodie feſtiva illuxit; ubi certa rebus nomina, titulos, & quemadmodum peripatus loqvitur, prædicata, impertiri licebit; quando hoc tempore, ille, cujus nomen ineffabile, nomenclatorem admiſit. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo*, inqvit ſacer Hiſtoricus, *ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus JESUS.* Octo jam à nativitate Domini, effluxerant dies, imò complura annorum millia, longè præ ipſam, & ſacris oraculis prænuntiatam præceſſerant eam DEI naſcentis horam; & nullum adhuc Neo-Nato DEO, ab hominibus nomen. Nominare eum volebat Patriarcha Jacob, Gen. 49. Et expectationem gentium appellavit: *Non auferetur*, inqvit, *ſceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt; & ipſe erit expectatio gentium.* Nominare eum volebat Propheta Balaam Num. 24. & ſtellam Jacob appellavit: *Videbo eum*, inquit, *ſed non modò; intuebor illum, ſed non propè: orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſraël, & percutiet duces Moab, vaſtabitqve omnes filios Seth.* Nominare eum volebat Iſaias Propheta Domini, cap. 9. & inqvit: *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ejus, ſuper humerum ejus; & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, DEUS, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Nominare eum volebat Propheta Jeremias c. 23. & inqvit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & ſuſcitabo David germen juſtum; & regnabit Rex, & ſapiens erit; & faciet judicium, & juſtitiam in terra.* Nominare eum volebat Aggæus Propheta c. 2. & inqvit: *Veniet deſideratus cunctis gentibus; & implebo domum iſtam gloriâ, dicit Dominus exercituum.* Nominare eum volebat Zacharias c. 9. & inquit: *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Jeruſalem; ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator; ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum, filium aſinæ.* Adeò integra ſæcula de mundi Redemptoris nomenclatione deſudavêre. Verumenimverò, ubi à nato DEO conſummati ſunt dies octo; ut circumcideretur puer; *vocatum eſt nomen ejus JESUS:* ut non immeritò hic dies deferendis nomenclationibus conſtitutus poſſit videri.

DD. Academici! natus eſt & nobis hodie, atqve in lucem effuſus Annus milleſimus ſexcenteſimus nonageſimus: tunc prorſus, cùm ſilentium tenerent

omnia,

Digitized by Google

omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet; purus infans, &, ut cum Philoſophis loqvar, pænè adhuc embrio: materiam primam dixerim, niſi quòd aliqvot horarum actum entitativum circumfert. Cæterum, necdum odit, necdum amat: necdum timet, necdum ſperat; necdum ridet, necdum plorat; non ælia, non Lælia, non Criſpus, non Criſpa, nondum Carpus, nondum Carpa; nondum Fauſtinus, nondum Fauſtina; nondum Franciſcus, non Franciſca. In nobis eſt, qvalem eum eſſe, & quo nomine dici velimus.

Qvorſum vos Academici? Scio, *Fridericum*, ſeu *Pacificum* dici volent civium, inſtitorumqve vota; qvorum una vox: nulla ſalus bello; pacem te poſcimus omnes! nempe bellum huic hominum generi minimè bellum; infauſta emporia, ubi res ferrô emuntur, & quidquid non ultro ingeritur, diripitur. *Vincentium*, aut *Victorinum* dici volent generoſa militum pectora; quorum illa, apprehenſis, & in hoſtem explicatis ſcutis laconica vox: aut in his, aut cum his. Scilicet, aut vincendum, aut moriendum eſt militi; nihil habet tertium. *Bonifacium* dici volent pauperum greges; quorum illa frequentia ſuſpiria: oculi omnium in te ſperant Domine: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. *Athanaſium*, hoc eſt, immortalem hunc annum eſſe volent Reges ac Principes: qui, cùm ſibi quoddam cœlum, in hac mortali vita nacti videntur, nihil habent difficilius, quam mori. *Theophilum*, ſeu DEI amatorem dici volent viri, rebus divinis dediti: qvorum una vox: vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare DEUM, & illi ſoli ſervire. *Hilarium* dici volent hujus ſæculi, Lyræ; cœleſtium inanes animæ; quorum illa ſumma ſapientia: comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Erit fortè, qui neo nato anno, aliquod ex ſeptem fratrum dormientium prædicatis deferri volet; cui glirium more, tota dormiatur hyems, dormiatur & æſtas.

Verùm quantum mihi de veſtra humaniſſima benevolentia, & ſingulari in dicentem affectu perſvaſum habeo, video omnium veſtrum oculos, atqve ora in me converſos, mihiqve hunc ſeu honorem, ſeu onus, partum baptizandi, atqve hoc individuum hactenus vagum, ſuo nomine compellandi, tacitâ invitatione imponi.

Facio! & quod omnibus felix, fauſtum, fortunatumqve, ac inprimis anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo bene auſpicatum eveniat; nomen novello huic partui impono ex Geneſeos cap. 30. Diciqve volo filium accreſcentem, ſeu *Joſeph*: vel ſi hoc obſcurum; vocetur ex Danielis 10. c. *Vir deſideriorum*; aut ſi hoc minus placet; vocetur ex Apocalypſeos c. 22. *Adhuc*, vel, quod idem eſt ex epiſtola 3. ad Philippenſes c. 13. dicatur: *non arbitror me compre-*

 hen-

bendiſſe, vel certè ex ſymbolo Caroli Qvinti, vocetur: *Plus ultra.* Vel ex Alciati emblematis baptizetur: *quod melius, hoc ulterius.* Aut deniqve, quod mihi cum primis arridet; vocetur ex Pſalmo 50. *Amplius.* Volo dicere: Præſens hic annus milleſimus ſexcenteſimus nonageſimus ſit univerſæ chriſtianitati, ſit toti Auguſtiſſimæ domui Auſtriacæ, ſit univerſo regno Bohemiæ, ſit celeberrimæ huic noſtræ univerſitati Carolo-Ferdinandeæ, meisqve DD. Auditoribus bonum, felix, fauſtumqve ac fortunatum *Amplius, & Amplius.*

Explico me! Immenſa, quæ DEI bonitas eſt, res & fides Catholica his temporibus fecit incrementa; ſuppreſſis magnâ ſui parte hæreticorum, ſchiſmaticorumqve, atqve etiam paganorum erroribus, & diffusâ quaqua verſum illuſtri luce Evangelicâ. Fulminatum per Italiam in Qvietiſtas; in Polonia in Atheiſtas, per Galliam in Hugonottos, per Alſatiam in Luthericolas; viditqve his annis pauculis, una, ſi fama non fefellit, Gallia, ad fidem Catholicam, rediiſſe decies octies centena hominum millia. Egregiâ parte ſui, Lutherum ejuravit Sileſia, Moravia, Miſnia, Tyrolis, Pannonia, Tranſylvania; Fidei lumen aſpexit Valachia, Servia, Bulgaria, Albania; nec minùs, nobis propè ignotum regnum Siam, totoqve Oceano diſſita Calfurnia; inſulæqve marianæ; & remotiſſima gigantum climata. Eliminatus Mahometes Neuheusliô, Strigonio, Vicegrado, Budâ, Alba Regali, Sigetto, qvinqve Eccleſiis, Lippa, Aquiâ & Segedino. Fulgent jam in Morlachia, Dalmatia, Sancta Maura, in Peloponneſo, fidei Chriſtianæ trophæa; & ubi nuper Coronæ, Calamatæ, Ziornatæ, Chieffatæ, Neapoli Romaniæ, Spartæ, Corinthi, Neupacti, Patris, & Novarini, ſtultus colebatur Mahometes, ibi nunc uno omnium ore indiviſa adoratur Trinitas, à Neonata illic in Chriſto Eccleſia.

Fortunata ſunt iſta; & quæ annis proximè elapſis nomen felicitatis conciliavere. At enim DD. AA. adhuc, quod magnopere deplorandum, integræ regiones, ac provinciæ, integra mundi regna, veræ fidei lumine deſtituta ſunt; & ſuis, vel hæreſum, ſchismatum, vel paganiſmi tenebris involvitur mortalitas. Hæret in ſuis caliginibus Anglia, Scotia, Dania, Svecia, Saxonia, Marchia; & bene magna pars Romani Imperii: hæret in ſuis Moſcovia, Siberia, Salachia, Moldavia, Keſſarabia, Tartaria; in ſuis Epirus, Macedonia, Thracia; ut taceam pœne univerſam Barbariam, Ægyptum vaſtiſſimumque Johannis Presbyteri Imperium: ut taceam trecentas Inſulas quas Lucajas vocant, & undecim ferè millia Inſularum Philippinarum; ut taceam immenſas Chinenſium, Japoniæque ditiones, innumeroſq; Americæ populos in tenebris ſuis, & umbra mortis, non tam ſedentes, quam ſepultos.

Ergo

Digitized by Google

Ergo Academici, invocemus eum, à quo omne Lumen, Patrem Luminum; invicemus Lucem, quæ illuminat omnem hominem; invocemus Spiritum Paracletum, ſine cujus numine, & lumine, nihil eſt in homine; deprecemurque univerſam cœleſtem curiam, ut hunc Annum 1690 velint eſſe ſecundùm propagationem vera, & ſalvificæ fidei felix, fortunatumque Amplius. Pereant hæreſes, tollantur ſchiſmata, ruat paganiſmus, extirpetur gentilismus, vivat vero in omnibus Chriſtus, Amplius & Amplius. Suſpiret, qui in tenebris eſt: illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis ſedent. Dicat, qui in diluculo eſt, credo Domine: adjuva incredulitatem meam. Dicat, qui in luce eſt; Domine adauge nobis fidem; idem dicamus omnes idem à ſummo Numine precemur omnes usque dum toto orbe terrarum unus fiat paſtor, & unum ovile; & ſecundum veram fidem unus adoretur DEUS.

Alterum, quod his annis feliciter cecidit, eſt; Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam, in profligando totius Chriſtianitatis hoſte, eà uſam eſſe fortunâ, quam nulla unquam ſatis demirabitur poſteritas. Adverſus hunc hoſtem defenſa Bohemia, Moravia, Sileſia, Auſtria, Styria, & Croatia: huic erepta Superiorque Pannonia; Slavoni, Boſnia, ac Tranſylvania: terroribus concuſſa, & ſi Deo fidimus, propediem manus datura Moldavia, Valachia, Bulgaria, Servia, Thracia: intra ſex annorum ſpatium vigeties hoſtis campo fuſus; quinis vicibus univerſis caſtris exutus; ſubjugata oppidorum, municipiorum, caſtrorumq; munimenta facilè centum octoginta: armatorum cæſa facilè millia trecenta: Chriſtianæ libertati reſtituta omnino millia centum; protractum denique Auguſtiſſimæ domus Auſtriacæ Imperium, ducto à Vienna Auſtriæ funiculo, ſi Poloniam ſpectes, ſpatio centum viginti, ſi Moldariam, centum & triginta, ſi Valachiam centum & quadraginta, ſi Thraciam leucarum centum & quinquaginta.

Felicia hæc Academici. Sed enim habet ſuas Ecclypſes luna; minui conſvevit; verùm & increſcere. Metuo hominem, quisquis ille fuit; qui decreſcenti lunæ adſcripſit: *redibo plenior.* *Pudet me victoria veſtra* (dicebat apud Senecam ſvaſoriâ quinta declamator) *ſi ſic fugatam creditis Xerxem, ut reverti poſſit.* Multa vidit, qui ità cœlo ſupplicavit: *ab Herodis venire, à Turcarum redire, libera nos Domine.* Parùm nobis profuerit felicitas, ſi Nabuchodonoſoris ſtatua eſt, cujus aureum caput, pedes lutei: Lemma: *non reſpondent extrema primis.* Ergo quisquam exiſtimet Turcam redire poſſe? quando? quomodo? ô nè unqvam redeat! ſed audio qvod olim Britannus neſcio qvis, dum Galli Caletum urbem occupant, ex tripode protulit: redibimus, & tunc quidem Caletum redibimus, cùm peccata veſtra fuerint majora noſtris.

 Qvo-

Qvocirca DD. AA. divinam bonitatem invocemus, ut iſto annus 1690 glorioſiſſimæ domui Auſtriacæ, ejusqve progreſſibus ſit merum Amplius, & Amplius. Defenſa eſt Auſtria, recuperata Pannonia, ſubjugata Transylvania, ſubacta Slavonia; ô adhuc Amplius, & Amplius! currat ad obſequia Auguſtiſſimæ domus, ſervia! Currat Bulgaria, & Thracia; & hactenus dominari ſveta luna, Auguſtiſſimo noſtro Soli curvetur in ſervitia. Fortunate Princeps, mundi delicium, Chriſtianitatis tripudium! felix Amplius, & Amplius. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime; ſpecie tuâ, & pulchritudine tuâ, intende proſperè, procede, & regna; usqve dum progreſſu armorum tuorum, de Thraciæ finibus univerſa auferatur luna.

Aliud, quod noſtra tempora, velati quibusdam felicitatibus inauravit; eſt; his annis repertos Matthæos, qui relicto telorico Dominum ſecuti ſint: Zachæos, qui iniqvè poſſeſſa de manibus ſuis excuſſerint: Petros, qui aſperrimis pœnitentiæ lacrymis, delicta eluerint: Auguſtinos, qui ſuperatis ſæcularis vitæ impedimentis, ad illibatæ caſtitatis caſtra evolârint: Magdalenas, quæ Chriſti pedes oculorum rivulis rigârint: Marias ægyptiacas; quæ de cubilibus impudicitiæ, ad Chriſti caſtos amores tranſierint! Volo dicere; inventos eſſe, qui perſpectâ ſuorum peccatorum malitiâ, enormitate, multitudine, gravitate; conſideratâ Dei miſerentis bonitate, toties alioquin contemptâ mortis horâ tam certâ, tam incerta; tam propinqua, tam horribili: perpenſo judicii extremi rigore atque terrore; inſpectâ infernalium incendiorum atrocitate, varietate diuturnitate; pedes ſuos ex ſcelerum ſuorum expedivêre laqueis; & ad pedes Salvatoris proſtati, veniam delictorum exoravêre; obtinuêre.

O felices animæ! animæ beatæ! ô quantum eſt, quod veſtris, gratuler ſucceſſibus: quia, cum inimici Dei eſſetis, cùm cœlum, omnemque ejus beatitudinem perditum ibatis; cùm mancipia dæmonum & æternæ gehennæ rei conſtituti, per viam pœnitentiæ facti eſtis hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti: nec modo de inferni faucibus erepti, ſed brevi fulſuri inter ſidera, jam inter ſplendores ſanctorum eminetis.

Sed enim DD. AA. velim iſte Annus 1690 & in hoc quod dictum eſt; ſit felix Amplius, & Amplius. Dicamus cum Pſalmiſta. Pſ. 50. *Amplius lava me!* meminerimus identidem, quod c. 5. monuit Eccleſiaſticus: *de propitiato peccato noli eſſe ſinè metu.* Sit nobis pro Symbolo, cribrum Academicorum Senenſium, cujus lemma: *donec impurum.* Scilicet, tamdiu verſandum cribrum actionum noſtrarum, usque univerſum impurum abſceſſerit. Eos, *qui ſalvi eſſe volunt, itâ vivere oportet, ut perpetuò curentur*, Lib. de cohibenda ira, Plutarchi ſententia eſt.

Deni-

Digitized by Google

Denique inter primas felicitates collocavero, multos de hac Alma Univerſitate noſtra extitiſſe, qui quoddam omnigenarum virtutum in ſe exhibuerint compendium. Ille, in Eccleſia frequentior, iſte in gymnaſio ſtudioſior: ille in exomologeſibus humilior; iſte inter ſynaxim ardentior; ille puritate Bernardinus; iſte obediendi ſtudio Ægidius: ille animi demiſſione Franciſcus; iſte animarum zelo Dominicus: hic Nicolaus in pauperes, ille in adverſarios Stephanus. Fuerit, cui totis menſibus nullum procax verbum ore exciderit; nulla vultum mutàrit ira; nulla cogitatio mentem temerârit. Fuerint, qui docuère ignorantes, errantes reduxerint, ſenuerint cadentes, erexerint lapſos. Nolim hic Academici veſtram lædere verecundiam; quando inter primas virtutes habetis, velle latere. Solùm unum addo, & cupio, ut & in hoc paſſu Annus 1690 ſit felix, fortunatumque Amplius, & Amplius; & quod Alciatus dicebat; *quod melius, hoc ulterius.*

Magnum, & liberale virtutum compendium vas electionis, gentium Doctor, Paulus Apoſtolus: & tamen, *non arbitror*, inquit ad Phil. 3. *me comprehendiſſe.* Quod de Deo Pſalmiſta, hoc de virtutis progreſſu dicamus: *magnitudinis ejus non eſt finis. Semper enim*, inquit D. Proſper, *ſanctis supereſt, quo creſcere poßint.* In hoc mortali curſu, non contingit nobis ſolem videre in Auge. *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*, inclamat Apocalypſis c. 22. Solvi moriens, cum circumſtantes familiares, neſcio quid inter ſe muſſitant, quid rerum haberent; quæſiſſe fertur, cumque illi morituro vanam eſſe eam quæſtionem dictitarent; cauſam facti attuliſſe: ut doctior moriar, quid afferatis, noſſe volo. Si alterum pedem jam in ſepulchro haberem, adhuc diſcere vellem, dicebat Salvius Julianus, ut eſt in Pandectis l. 4. titulo de fidei commiſſis. Quantò utrumque ſatius de veræ ſapientiæ dixerit Chriſtianus. Nempe in curriculo perfectionis, dum in hac mortali iſta ſumus, nunquam non progrediendum eſt. Atque fortaſſis ea de cauſa nobis natura pedes non retrorſum, ſed antrorſum verſos conceſſit, ut ſemper nobis procedendum eſſe meminerimus. Pietatis, perfectionisque Chriſtianæ ſtudium, miſſæ in ſublime ſagittæ eſt perſimile; cui Sapiens ille Didacus Saviedra Lemma inſcripſit: *aut aſcenſus, aut deſcenſus.* Et in virtute non progredi, eſſe regredi, non modo melliflui Bernardi, ſed omnium Patrum fuit paræmia. Rotam, niſi decurrat, labi neceſſe eſt. Hanc pinge, & inſcribe: *aut curſus, aut caſus. Ubi non currere, ibi & deficere, incipis*, mellitus de Clara Valle aculeus eſt.

Finio! & toto animi ſenſu, toto cordis affectu, totis mentis viribus, inprimis univerſæ venerandiſſimæ Chriſtianitati dilectæ Chriſti Sponſæ; tum Augú-

guſtiſſimæ, & glorioſiſſimæ Domui Auſtriacæ, ac inclyto, Regno Bohemiæ; d:in etiam celeberrimæ huic Urbi, vetuſtiſſimæque univerſitati Carolo-Ferdinandeæ; ac ſpeciatim quoque DD. Academicis, denique bonis omnibus in annum 1690 felix fortunatumque Amplius voveo , precorque. Venerandiſſimæ Chriſtianitati felix Amplius in hæreſum extirpatione, hoſtium Eccleſiæ humiliatione, & ſanctæ fidei exaltatione. AuguſtiſſimæDomui Auſtriacæ, felix Amplius, in victoriarum multiplicatione, adverſariorum diminutione, & Romani Imperii dilatatione. Inclyto Regno Bohemiæ, ac celeberrimæ huic univerſitati felix Amplius in vitiorum extirpatione, ſapientiæ, & virtutum propagatione, & bonorum omnium accumalatione. Denique Bonis omnibus tale Amplius, inquo nunquam habeant ſatis.

(*,*)

Digitized by Google

In Feſto SS. Trium Regum.

Procidentes adoraverunt eum. Matth. 2. c.

Statuæ eliminantur è Chriſtianorum Eccleſiis.

PArcite mihi, in viſceribus Chriſti, dilectiſſimi Fratres, JESU Socii, ſi ex veſtris templis hodie aliquid ſublatum eo. Dives eſt JESU Societas, & ſcio, quòd Jeſuitæ habent ſatis, ſi habent JESUM. Abundant, quæ Cælitum gratia eſt, Eccleſiæ veſtræ, argento & auro multiplici; multaqve ſacra velleris, & ſerici ſupellectile: non ego horum quidquam velim ablatum. Statuas, ſtatuas, ſi poſſim, remotas velim omnes, ſed eas vivas illas, quæ non planè excisi Mercuriis ſunt: non illas per altaria, & propylea diſpoſitas, ſed quæ ad fores Eccleſiæ plerumqve hærent inſtar ſaxorum immobiles: os habent, & non loqvuntur; oculos habent, & non vident, pedes habent, & non ambulant, minùs, ut genua flectant. Imò ô dent ſuperi, nè loqvantur amplius: ſunt enim ſtatuæ Memnoniis ſimiles, quæ paſſim ad invicem tinniunt, præſertim, ubi in vicem Auroræ, neſcio quæ Ludmilla, vel Camilla exorta fuerit. Utinam non videant amplius; non eſſet cum Poëta dicere neceſſe: ut vidi, ut perii. Utinam ambulent, fortè enim intrantes Domum, & Eccleſiam DEI, procidèrent cum Regibus, & adorarent eum. Sed ſtatuæ ſunt; ſaxa ſunt, durus ſilex, duriſſima cante ſunt: & de peripateticis verſi in Stoicos, ecce ſtant, appropinquarunt & ſteterunt. Utinam, qui ſic ſtant, videant, nè cadant.

Equidem legi, in templo Hieroſolymitano thuribulorum fuiſſe 20 millia, candelabrorum millia decem, tubarum millia ducenta, inſtrumentorum muſicorum millia 40. Vaſa deniqve ex auro, juxta Joſephi computum ultra millia ducenta quinquaginta: ex argento nongenta millia, & millia quinquaginta. In tanta rerum congerie, & tanta varietate non invenio ne vel unam ſtatuam. Qvin graviſſimo DEI præcipientis juſſu dictum erat, Deuteron. 16. Juxta altare Domini nec facies tibi, nec conſtitues ſtatuam, quæ odit Dominus DEUS tuus. Et quanquam in eo templo viſendæ fuerint effigies Cherubinorum, non tamen ſtantium, ſed erant effigies volantium. Quid igitur tot in noſtris templis ſtatuæ? Subierat quandoqve Templum Domini Salomon! quis? regum maximus; qvis? mortalium ſapientiſſimus; qvis? omnium facilè potentiſſimus, ditiſſimusqve; ſubiit, & ſtatuam in domo DEI agere extimuit; quia potiùs genibus in terram flexis, & palmis in cœlum levatis DEUM precatus eſt. 2 Paralip. c. 6. Quid igitur in noſtris Eccleſiis ſtatuæ? quibus nihil in ſyncipite, nihil in occipite, nihil in codice, in marſupio vix aliquid modicè; quibus ut de Furio Catullus, neqve ſer-

ſervus eſt, neqve arca, nec cimex, nec araneus, neqve ignis: verùm eſt & pater, & noverca, quorum dentes vel ſilicem comeſſe poſſint; & vos in Templo DEI ſtatuæ?

Videte, ſi quæ in domo Bethlehemitica, ſtatua? eſt in hac domo Chriſtus Neo natus mundi Redemptor, & Salvator: ſed jacet in præſepio. Eſt Maria Neònati Pueri Mater, ſed illa genu flexu ad præſepium: eſt in ea Joſephus parvi Meſſiæ putatitius Pater, ſed is occupatus obambulat circa præſepium. Intrant domum ab Oriente exciti Regales Principes, ſed procidentes adorant puerum. Sola ſtella ſupra domum ſtat; quæ quòd ſtaret, intra domum admiſſa non fuit. Quod ſi qui de Regum illorum famulitio ſtant; ii ſunt, qui dicunt: ſtantes erant pedes noſtri in atriis: non in domo, ubi erat Puer, & vos cœleſtis illius Pueri domum ingreſſi ſtabitis?

Flectit in nomine JESU neonati omne genus, genu ſuum: cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & quidem id in cœlo vidit Aquila Apocalyptica c. 4. ubi viginti quatuor ſeniores coram throno, & vivente in ſæcula ſæculorum in genua proni, cernuiqve procidêre; in terris vidit id ipſum Diviniſſima Mater, cùm Reges procidentes Dominum cœli, terræqve humiles adoravêre: in infernis ità fieri inſinuavit ille ſpiritus, qui religioſo ad commemorationem ſacratiſſimæ DEI Incarnationis non flectenti, impacto colapho, dixit: usqve ad infernum genua flecterem, ſi pro me DEUS homo fieri voluiſſet, & vos ſtabitis?

Ergo ſtate! ſed qui ſtat, videat, nè cadat. Et Nabuchodonoſor Rex in ſua ſtatua ſtabat: cùm ecce de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & percuſſit ſtatuam, & contrita ſunt & confracta ſunt pariter ferrum, argentum, aurum & æs. Sit vobis quantumvis caput aureum, ſit pectus argentum, ſit femur æreum, ſint pedes ferrei; adhuc in favillam terræ abibitis, ſi vos ſtantes non tulerit Dominus.

State! ſed dicite quæſo: cur hic ſtatis, aut cur non itis hinc? Credo Natum DEUM adoraturi veniſtis? ità fortè, gratias vobis boni Juvenes, qvòd veniſtis adorare; ſed magnas meriti ingratias, quòd veniſtis ſtare. Adoraturus DEUM ſuum Salomon flectit genu, adoraturus DEUM Daniel Propheta, flectit genu; adoraturi Reges Chriſtum flectunt genu. Viginti illi quatuor Apocalyptici Seniores adorant DEUM, & flectunt genu: omnis cœlorum exercitus adoraturus Magnum Numen, flectit genu, & vos ſtare veniſtis?

Regio fulgebat apparatu, principalo induta paludamentum; gemmis radiabat & oſtro, ſtipata catervis Aulicorum; Luſitaniæ æternum Decus, & gloria Diva Eliſabetha; nunqvam tamen divinis intereſſe ſolita, niſi flexo genu. Archiepi-

Digitized by Google

chiepiſcopali pedo eminebat, Divus Guilielmus; inter tam profanos, quàm ſacros honores ſemper omnium habitus virtutum compendium; nec tamen adduci potuit, quamvis ad extrema deductus, & omnibus corporis viribus deſtitutiſſimus, ut alio, ſacratiſſimum viaticum ſumeret habitu, quàm flexo genu. Quin & Henricus VIII Angliæ Rex, quantumvis Catholicorum hoſtis infenſiſſimus, omnisqve probitatis adverſarius, ubi tamen extremâ valetudine, Creatorem ſuum in ſacratiſſimo Euchariſtiæ ſacramento latentem afferri conſpexit, ferre non potuit, quin ultimo conamine, lecto ſeſe ejiceret, & in genua ſuper humo provolvere laboraret. Dehortantibus autem, nè quid ſiniſtri corpori afflicto addere vellet, repoſuit: ſi me non modo usqve ad terram dejicerem, ſed & ſub ipſam terram demitterem, nè ſic quidem ſatis honoris DEO meo, à quo qvidqvid poſſideo, profectum eſt, mihi viderer delaturus. Flor. Ræmund. p. 2. l. 6. c. 5. de ortu & interitu hæreſ.

Et certè, ſi Regi, vel terreno cuilibet optimati, ſuæ ditionis officia reverenter aſſiſtunt; cùm ante terribilem divinæ Majeſtatis conſpectum, laudum præconia jubilamus, qua præſumptionis audaciâ ſedere (aut ſtare) præſumimus? ubi Seraphim ſedere (vel ſtare indecorè) non audent, ſedet (ſtatve proterve) homo, luteus, & tanquam pannus menſtruatæ luridus, & immundus? ubi virtutes Cœlorum ſibi ſedilia non uſurpant, illic homo tanqvam communi, & domeſtico perfruitur otio? qui ſe pulverem eſſe, & cinerem non ignorat. Sententia & admiratio Divi Petri Dumiani eſt. op. 39. c. 14.

Recogitate Academici, per DEUM immortalem, recogitate qui & coram quo ſic ſtatis? ſcio, non efferetis vos, & veſtra, ultra deſpicabile lutum, ex quo in Damaſceno campo formati, ultra vilem terræ limum, ex quo conflati eſtis. Noſtis veſtram proſapiam; noſtis quâ ſitis origine nati: quarum prima grandis illa fuit abyſſus nihili, in qua ab omni retro æternitate, inviſi, incognitiqve latuiſtis; altera modica terræ maſſula fuit, tot ſubjecta mutationibus, tot expoſita cladium periculis. Noſtis, quàm nihil pene poſſit homo, ſeu animæ, ſeu corporis ſpectemus vires: qvàm parum ſapiat, intelligatqve ex iis, quæ nos circumſtant, rerum momentis. Qvàm nihil penè ſit, quod poſſidet, qvàm tenue, qvàm paucum, qvàmqve viciſſitudinibus obnoxium! quid univerſa mortalitas ad illud ſupremum Numen? quod ſtilla roris antelucani, ad interminabilem oceanum; quod ſcintilla ad in immenſum diffuſos incenſi ſolis radios; quod atomus ad univerſam mundi machinam. Et vos hunc cœlorum, terrarumqve Dominum adoraturi ſtatis? illum, qui ſuo potenti verbo de nihileitatis abyſſo creavit omnia; cœlos tam diffuſos, ſidera tanta varietate, tantâ virtute, tanta for-

moſitate; Elementa, tantâ ſerie, tanto ordine, tanta efficacia: tot miracula in flammis, tot volucres in aëre, tot piſcium genera in mari, & fluminibus, tot in terra, ſerpentia, repentia, tot bipedia, tot quadrupedia, tot flores, tot arbuſta, eademqve potentiâ ſua nunc mundum merſit diluvio, nunc ejusdem portionem exuſſit incendiis, nunc obruit maris, fluctibus nunc extirpavit peſtilentia: isqve etiamnum eſt, qui univerſam hanc rerum congeriem, unaqve nos omnes, ſtantes, & non ſtantes, uno verbo oris ſui, poteſt redigere in nihilum; illum inqvam adoraturi, ſtabitis, quem tremunt omnes Angelicæ poteſtates, virtutesqve, omnesqve Cherubinorum & Seraphinorum, velatis faciebus venerantur exercitus? Ecce cœlorum contremiſcunt columnæ, & ad conſpectum ejus curvantur, qui portant orbem; labaſcunt cœli fornices, & præ Majeſtatis ejus ſplendoribus, in tenebras, atqve chaos ſuum diffugiunt ſidera; & homo marpeſia cautes ſtabit?

Sed fortè pro beneficiis gratias Divinæ Clementiæ reddituri adveniſtis. Laudo, quòd ea de cauſa, ſed non laudo, quòd ſtare veniſtis. Si mortales meminiſſe velimus, quæ, quantaqve ſint, quibus nos Immenſa DEI bonitas afficere beneficiis dignata eſt, afficiatqve indies, ac hodiedum, cumulet; [Hujus enim opus, & factura ſumus; inde habemus, quòd vivimus, quod ſenſu valemus, qvòd intelligimus: illæ animæ corporisqve noſtri vires, illæ facultates, atqve membrorum omnium ornamenta & fulcimenta, unde nobis, niſi ab illo, à quo cœlum, & terra, puſillus, & magnus, pauper, & dives, & verbo, à quo omnia? Qvot mortales videndi facultate deſtituti ſunt, cùm oculorum acie polleatis? quot hominum ſurdas circumportant aures, cùm vobis facillimus auditus ſit? ſunt quibus aut lingua ad conferendum, aut manus ad præhendendum, aut pedes ad ingrediendum deficiunt, cùm vos omnibus his ad omnem non modo neceſſitatem, ſed etiam excellentiam, & ſplendorem inſtructi ſitis. Quot mortalium hodie torpebunt fame, cùm vos ad ebrias menſas properabitis, qvot ſiti, cum ora dulci mero proluctis. Qvot in ſua nuditate frigore mactabuntur, cùm vos ad bene calidos focos molliter ſudabitis? qvot nè quidem ullo gaudebunt tecto, cùm vos bene adornatis cubilibus recipiemini? Ut taceam illa innumera gratiæ dona; qua & ſanguine Chriſti à ſervitute dæmonis redempti, & vinculis peccatorum toties expediti, & à tot pereundi rurſum periculis aut erepti, aut præſervati; & divinis monitis in viam ſalutis perducti, & ſacratiſſimis ad æternam vitam aut neceſſariis, aut idoneis mediis inſtructi eſtis] Quæ, inquam, ſi mortales meminiſſe velimus, ſtipites ſumus, niſi in perpetuas, easqve qvàm poſſumus maximas gratiarum actiones toti effundimur.

At

Digitized by Google

At enim, iſtud quæſo, non ut ille Phariſæus Lucæ 18. agamus. Aſcenderat ille in templum, quemadmodum ſacra meminit Hiſtoria, ut oraret; eoqve appulſus ſtans apud ſe dicebat: DEUS, gratias ago tibi, quia non ſum, ſicut cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Hoc autem útcunqve peracto, nihilominus juſtus coram DEO inventus non eſt, utut gratias DEO retuliſſe viſus fuit. Quid ità? num ſuperis unqvam gratitudo mortalium diſplicuit? an fortè ingratus cælitibus, qui pro beneficiis gratus eſt? atqvi Phariſæus iſte venerat gratias habiturus; quid igitur coram DEO juſtificatus non eſt? Advertite myſterium: Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat, dicit Evangeliſta! Stans ſtabat, qui ſe in terram abjicere, & ſi poſſet, usqve ad inferni atria demittere; qui genua curvare, ſummamqve majeſtatem pronus, atqve cernuus adorare, debebat; ſtabat, & hæc ſtans apud ſe dicebat; hinc non tam gratias DEO agebat, quàm ſuas buccinabat; hinc juſtificatus non eſt.

Scio, quid dicturi ſitis. Etiam, inqviet veſtrum aliquis, etiam Publicanus ſtabat, qui ſecundùm idem Evangelium juſtificatus fuit; ex quo confici neceſſe eſt; ſtationem Phariſæo nihil obfuiſſe, nec Academicis obeſſe poſſe! placet audire diſparitatem? ergo ad textum. De Publicano ità Evangeliſta Lucas loco citato: Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: DEUS propitius eſto mihi peccatori. Cernitis, qvàm alius à Phariſæo ſit hic Publicanus. Stat Phariſæus, ſtat & Publicanus; ſed hic à longè, ille prope in ſanctuarium ipſum irruens. Hic nè oculos quidem in cœlum levare præſumens, ille, tanqvam qui in cœlum os poſuerit. Hic dolorifico ictu pectus, ille inconditis clamoribus cœlum pulſat: Hic ſe peccatorem profitetur; ille de factis ſuis gloriatur. Hic miſericordiam, inclamat; ille juſtitiam ſuam deprædicat. Stetit uterqve, diverſiſſima ſtatione; ità quidem, ut Publicanus magis flexiſſe dici poſſit, quàm ſtetiſſe, utpote qui genua cordis ſui flexerat, aut certe etiam corporis genua flectere parabat, qui jam vultu in terram prono, ne in cœlum quidem oculos levare volebat. O ſi ità ſtarent noſtræ ſtatuæ, nihil adverſarer: ſed ſtant accincti gladiolo, ſtant ora circumvoluti pallio; ſtant quaquaverſum effuſo oculo; ſtant confabulando cum ſocio! ſtant ſinè omni pietatis, ſine omni devotionis, aut orationis indicio. Stant non tanquam gratias acturi; ſed velut cum divina Majeſtate expoſtulaturi; nec tanquam cum Publicano pœnitentes, ſed tanquam nihil boni, nihil ſancti mente revolventes.

Sed fortè gratiam quam piam à divina Majeſtate in Eccleſiam exoraturi veniſtis? nempe, res eſt anguſta Domi; vix quo induar, ad manus eſt, vix quo

 vitam

vitam ſuſtentem; vix cœlum, quod à laboribus feſſum tegat. Ad hæc nec mihi cum Patre, nec cum Matre, neque cum amicis convenit; à quorum beneficiis ſpoliatiſſimus ſum; jam dudum eſt, quod me nullo affectûs aut benevolentiæ indicio dignati ſunt. Homines inſuper ſunt, qui quâ viâ poſſunt miſellum oderunt, perſequuntur, exagitant; & canem præ proximo habent; quantumvis undique morbis, egeſtate & miſeriis, afflictum, preſſumque cernant. In hunc ergo modum ab univerſis algâ vilior, & pecude deſertus magis venio ad DEum meum, tanquam infirmus ad meum benigniſſimum Medicum, tanquam pauper, ad Magnum & divitem Cœli terræque dominum; tanquam Mendicus ad liberaliſſimum meum Patronum & denique tanquam pupillus & Orphanus ad Meum amantisſimum Patrem cœleſtem. Optimè! bone Juvenis; laudo, quod ad hoc commune miſerorum Aſylum, gratiam exoraturus, ſed non laudo, quod ſtare veniſti. Damnat hanc tuam, ut parùm dicam, impudentiam ipſe Unigenitus Dei filius, qui licèt æqualis Patri, in forma DEI eſſet, nec rapinam arbitraretur ſe eſſe æqualem Deo. nihilominus ſemetipſum exinanivit, & humiliavit, cùm oraret, ut non ſolùm poſitis humi genibus, ſed etiam in faciem ſuam procidens, & quidem toto corpore ſuper nudam terram Patrem æternum precaretur. Quantumvis ſanguine proprio largisſimè perfuſus, quamvis viribus corporis plurimum deſtitutus: quamvis usque ad mortis terrores afflictus, quamvis triſtitiæ mœroribus obrutus; quamvis in agonia, extremis, vitam inter & mortem confinibus comprehenſus. Quis jam credat, vos hæc de Chriſto, de Salvatore, de Redemptore, de Creatore, de Domino, ac DEO veſtro credere, qui Sacram Dei Domum ingresſi, ſeu Numen Magnum adoraturi, ſeu eidem pro collatis beneficiis gratias habituri, ſeu veſtris necesſitatibus opem, auxiliumque exoraturi, bene valentes, robuſtique, inſtar Marpeſiæ cautis veſtras orationes effunditis ſtando? Obſtupeſcite cœli, exclamat S. Cæſarius Arelatenſis hom. 34. Proſtratus in terram orat Medicus, & non inclinatur ægrotus! Orat Innocentia, & non orat nequitia! Orat miſericordia, & non orat miſeria! Orat humilitas, & non humiliatur iniquitas! Orat qui peccatum non fecit, & non ſe proſternit, qui merum eſt peccatum! Orat Judex, & deſiderat parcere; & non orat reus, ut miſericordiam mereatur accipere! Orat judicaturus, & orare disſimulat judicandus. Quid enim, verba ſunt Divi Cæſarii; quid enim? maximam partem populi velut columnas erectas ſtare conſpicio, quo tamen Chriſtianis, dum in Eccleſia oratur, omnino nec licet, nec expedit.

Undique premimur, à domeſticis, ab extraneis; à cœli, à terræ injuriis, à pau-

paupertate, & nuditate, & morborum congerie, animæque afflictionibus: divinam opem, gratiamque hoc gratiarum emporio exoraturi venimus! Ergo exemplum Phariſæi orantis conſiderandum, metuendumque vobis erat, qui pro eo quod ſtans oraverit, exaudiri non meruerit. Vellem ſcire, inquit idem Sanctisſimus Arelatenſium Doctor, qui nec genua flectunt, nec inclinare capita volunt, ſi aliquid ſibi neceſſarium aut à Judice, aut ab aliqua potenti perſona expeterent, utrum ſtantes, & erecto capite negligenter, & tepidè ſupplicarent? Rem terrenam ab homine terreno quærimus, & propè usque ad terram nos humiliter inclinamus: & à DEO remisſionem peccatorum, & æternam requiem inquirentes, nec capita noſtra inclinare dignamur.

Et credam omnia à cœlo obtenturos, qui ſic oramus? non poſſum, non valeo! non facio, non credo! nimium vile pretium eſt, quod ſic offerimus. Multam gratiam apud Chriſtum D. comparaverat Martha, cum domum ſuam recipiendo, cum paſcendo, cuncta vitæ neceſſaria ſuppeditando, ejus amore culinæ ſervitia obeundo; aliaque complura obſequia exhibendo. Petit poſt hæc à Domino opem, & auxilium, jubere velit, Soror Magdalena in partem laborum, ut & ipſa veniat. Dic ei, ut me adjuvet. Nil impetrat: quin potius, quantum cunque officioſa ſolers, & ſollicita fuerit circa frequens miniſterium, reprehenſionem à Chriſto retulit, ut habetur Lucæ 10. Quid ita? nec tantillum gratue? poſt tot prompta obſequia? In cauſa fuerit, quia Martha Dominum oravit ſtando: ſtetit, & ait: Domine non eſt tibi curæ. Maria optimam partem elegit; tam humilis, ut ſe ad pedes Chriſti demitteret; hoc non egit Martha, quare nec auditur Martha. Nihil addo; Academicis enim, ut pote ſapientiæ ſtudioſis ſatis dictum puto; quamvis fortè non ſatis, ſtatuis, minus de ſententia, quam loco mobilibus.

(* * *)

Domi-

Dominicâ prima poſt Epiphaniam.

Dolentes quærebamus te Lucæ 2.

Salutares lacrymæ, cùm amiſſus per peccatum, fletur JESUS.

HEraclitus, & Democritus; mundi Sapientes. Neſcio; hoc ſcio; uterque animal eſt mirabile: alter ſemper ridet, alter ſemper plorat. Heraclitus merum animal flebile; cui ſemper oculis ſtillat in lacrymas: Democritus merum animal riſibile, cui ſemper ritus diffunditur in genas: ille meros loquitur gemitus, & amaritudines; iſte meros circum fert cachinnos, & tripudia. Huic frontis cœlum ſemper plurium; huic oris cœlum ſemper ſerenum: dumque ille plorans fermè perit aquarum diluvio; iſte lætus ridet inter naufragia.

Quid facimus AA. an ridebimus Heraclitum ſemper plorantem? an plorabimus Democritum ſemper ridentem? an potius flebimus cum flente; aut ridebimus cum ridente? Heraclite! eh! flere fæmineum! Democrite! heus! ex riſu multnm! Quid igitur tuploras! aut quid tu igitur rides!

Eccur non plorem, inquit Heraclitus? quando omnia videt Democritus? Et cur non rideam, inquit Democritus, quando omnia plorat Heraclitus? Anneſcis, inquit Heraclitus in hoc mundo plena ſtultorum eſſe omnia? & cùm infinitus ſit inſanientium numerus, adhuc tamen Democritus ridet! Et qui non videam, inquit Democritus, quandò ſtultorum plena ſunt omnia, & inter omnia etiam eſt Heraclitus: quippe proprium ſtultitiæ eſt aliorum vitia cernere; oblivisci ſuorum. Ut quid igitur non ridet Heraclitus? Quomodo rideam inquit Heraclitus; quando Democritus ait nihil in univerſo verum eſſe, niſi fortè Democritus non ſit de univerſo aliquid, quando Heraclitum inſanire dicit. Et qui non rideam, inquit Democritus quando, ut flere poſſit, Solus ſibi videtur ſapiens Heraclitus.

Ecce Academici, in uno Heraclito, atque Democrito graphicè figuratam Mundi ſapientiam! plerique omnes mortales, ne quidem aut ridere aut flere ex cauſa novimus. Heu, quam ſæpe ridemus flenda, flemus ridenda, novi Heracliti, novi Democriti. Ventis impetitur arbor; & cùm ſolidatur; ventos plorat. Ferrum ægroto intentat Medicus, & cùm ſalutem quærit, lamentis proſcinditur. Intumeſcunt aquæ diluvii; & cùm Arca in altum levatur, queritur ſibi terrum eripi: ex adverſo lætùm balat ovis, & ad occiſionem ducitur: interque dulces modulos, olorem mortes occupant; interque blandos cœli ritus in Antæos jaciuntur fulmina. Veriſſimè Thomas Kempenſis: *ô quam ſæpe vanè ridemus, cùm meritò flere deberemus.* Addamus & nos: ô quam ſæpe vane flemus, cùm meritò ridere deberemus. Mo-

Modicùm. Audio namqve voces virorum, atqve flentium mulierum; ejulatus puerorum, puerarumqve ſimul ac infantium. Iſraëlitici populi hæc vox eſt, ex duriſſima Ægypti captivitate feliciter quidem elapſi, nunc autem per avia, & devia Sinai deſerta, neſcio, quam ſiniſtram ſortem ſuam in explicabilibus gemitibus deplorantis. Interrogemus, quid rerum agatur. Dicite quæſo, ô boni, quis vos caſus, quæ fortuna habet? quis luctus, quæ hæc ſuſpiria; quæ lamentorum, quæ ſingultuum cauſa? audio. Et non ploremus, inquiunt ex Numerorum c. 11. qui de Ægypto peregrini in hanc immenſam adducti ſolitudinem, nil aliud præ oculis habemus quam, neſcimus quod edulii genus; Man appellamus. Quis nobis dabit ad veſcendum carnes! *Et nunc recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriqve, & cæpa, & allia!* Hinc ergo veſtræ illæ lacrymæ? hinc propter piſces, qvos comedebatis in Ægypto? propter piſces! & ſemicrudos cucumeres? cucumeres! & propter ſtolidos pepones? pepones! & malè olentes cæpas? cæpas! & non bene olida olera? propter olera!

DEUM immortalem Academici. Panem Angelorum manducavit homo; & melle de petra ſaturavit eos Dominus; toties nihilominus ſingultiunt iſti, qvoties recordantur aut cucumerum, cæparum, aut piſcium; & qvoties illis in mentem redeunt profanatæ Ægypti allia! Et cur vos infelices homunciones non ploratis, quia dereliqviſtis Dominum DEUM veſtrum, & obliti eſtis Creatorem veſtrum? aut cur non potiùs exultatione exultatis, quòd vos è duriſſima Pharaonis ſervitute eduxerit Dominus?

Nimirum flemus ridenda; ridemus flenda mortales! nec feliciter Heracliti, nec ſapienter Democriti.

Plorat Magnus Macedo: Alexander, quid ploras? audio, novos atque novos mundos eſſe, cùm nè hunc quidem armis meis, quantumvis glorioſis, ex integro ſubegerim. Hoc eſt illud, quod gemo, quod ploro. Bone vir, parce tuis lacrymis. Quin vide ſis potius, ne dum novum quæris, orbem perditum eas veterem. Et quod tibi cordi eſſe velim; quære primum, ſi alius orbis eſt.

Plorat Julius Cæſar. Juli, quid ploras? Alexandri Magni effigiem contemplatus, Alexandri victorias mihi legiſſe viſus ſum! o quantum diſtamus ab illo. Pudet Alexandro nondum ſaltem eſſe parem. Hoc eſt illud, quod gemo, quod doleo. Bone vir, parce tuis lacrymis. Quo minorem te Alexandro habemus, in hoc minor latio es! Piratas Erithnei maris vicit Alexander: quod ille navigiorum, iſte Regnorum deprædator fuit.

Digitized by Google

Plorat Poëta Terentius; Terenti, quid ploras? librum centum fabularum de græco latinè reddideram, dulcem partum; cùm neſcio quis furum Deus, mihi hunc theſaurum abſtulit! hoc eſt illud, quod Terentius plorat. Bone vir, (ità te hodie ſolùm compellare libet,) parce tuis lacrymis, multa ſpurcitres, dignique infernalibus incendiis joci hoc cum libro periere. Vulcano multum debes, ſi flammis ſacrum fecit; liparam oſtenſuris, quam tibi in primis vitare neceſſe ſit.

Jam & Tyndaris plorat! Tyndari, quid ploras? Poëta reſpondet: flet quoque, ut in ſpeculo rugas conſpexit aniles, Tyndaris; & ſecum cur bis ſit rapta, requirit. Intelligo: Tyndaris vetula eſt; ſtillat oculus, fœtes anhelitus, frons rugatur, dens cavatur, crinis caneſcit; caput calveſcit. Bona Mulier, parce tuis lacrymis. Jam dudum eſt, quod te ſcivit Proſerpina canam. Pridem talis eras aliis, qualis nunc primum tibi viſa es.

Plorat jam & Harpaſte: Harpaſte, quid igitur tu ploras? ô quàm, inquit, tenebricoſa ſunt noſtra in domo omnia; ubique noctes, ubique caligines quæ palpari queant. Bona mulier; parce tuis lacrymis. Domus equidem abunde lucida eſt; ſed mens tua cæca; ſed cogitationes nubiloſæ, & caliginoſæ; brevi daturæ, & pluviam, & verborum fulmina! Animadvertitis, ut opinor, AA. quàm ridenda fleant mortales; ità quidem, ut dum has ipſas eorum tractamus lacrymas, in riſum abeat oratio: & jam minus accuſemus Democritum, cùm flentes videt Heraclitos, quam miremur Heraclitum flentem Democritos. Homines, ô Homines! complexis manibus, effuſis ſingultibus, rorantibus palpebris queruntur ſibi deeſſe cucumeres, pepones, cæpas, allia: Homines ingemiſcunt eſſe mundos, quos nondum ſuæ poteſtatis fecerint: Homines queruntur ſibi periiſſe aliquot malè claudicantium verſuum folia; Homines lacrymantur juveniles annos defluxiſſe in rugas. *Innumerabiles dies*, inquit D. Chryſoſtemus hom. 8. in 1. ep. Cor. *homines lugent, pro famulis mortuis, pro detrimento pecuniæ; animam autem quotidie perdentes, de ea nè cogitant quidem.*

Quin ex adverſo omnia agimus, & ſæpe vanè ridemus, cùm meritò flere deberemus! Qvotidie morimur, & quotidie demitur aliqua pars vitæ. Hoc ipſum quod loquimur, mortis portio eſt. Imminet ah triſte lethum, & floridam ætatem vorat, pulchrosqve menſes, una mors omnes vorat. Sequitur tribunal Judicis, omnia cernentis, librantis omnia: & quò tunc arbor ibis, ad Auſtrum, ad Aquilonem, ibi æternùm eris. Væ! ah væ! ſi infeliciter: & tamen ridemus.

O quantis in periculis verſatur innocentia! in qvantis puritas veſtra ô Juvenes, in qvantis omnium conſcientia! pugnat in nos mundus, pugnat caro, pugnat

Digitized by Google

pugnat dæmon, pugnat concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, pugnat ſuperbia vitæ! cadunt à dextris mille, & à ſiniſtris decem millia, & tamen ridemus.

Perditur per graviſſima ſcelera JESUS millies, atqve millies, ebrietatibus, comeſſationibus, impudicitiis, contentionibus, æmulationibus, dolis, fraudibus, pauperum oppreſſione, divitum rapinis, humanarum, divinarumqve legum contemptu, & omnis generis prævaricationibus: & ecce nemo dolet, nemo gementium eſt, nemo perditum JESUM requirentium: omnes ſaxum ſumus; nulla DEI perditi cura; omnes pumex; nulla iſthic lacryma! & quod pæne incredibile, ſunt qui lætentur, cùm malefecerint, & exultent in rebus peſſimis.

Et ecce Academici! audio neſcio, qvem, ſeu de Epicuri, ſeu de Satanæ ſchola dicentem, ſibiqve panſis plandentem manibus: P*eccavi*: JESUM, qvem vos dicitis, perdidi, *& quid mihi accidit triſte?* Infelicem heu! terræ glebam! infauſtum titionem paratum æternis incendiis! Placetne noſſe, quid triſte tibi acciderit? ergo accipe! Peccâſti, temerarie homuncio! mortale peccatum patrâſti inferni lavernio: ergo JESUM tuum, & cum eodem JESU diviniſſimam illam gratiam, quæ te ſuper omnem naturam elevatum, amicum, & hæredem DEI, cohæredem autem Chriſti conſtituebat; qua habitâ damnari non poteras; ſinè qua ſalvari nòn potes; gratiam, inqvam, illam mille mundis pretioſiorem, mille cœlis æſtimabiliorem perdidiſti: ſcriptum namqve eſt apud Ezechielem 33. *Juſtus, in quacunqve die peccaverit, non poterit vivere in juſtitia ſua*; & hoc nihilne triſte? Flevit olim Ulyſſes mortem caniculæ; & tu perdito tanto divinæ gratiæ theſauro, inqvies, peccavi; & quid mihi accidit triſte!

Peccaſti: ergo JESUM tuum, & cum eodem JESU omne jus tuum ad illam felicem beatitudinem, illam æternorum gaudiorum patriam, illam felicitatis æternam manſionem perdidiſti: quâ niſi per pœnitentiæ lacrymas dolens, lugensqve JESUM tuum rurſum quæſieris, inveneriſqve, in omnem excludendus & æternitatem; nihilqve tibi futurum ſit cum illa beatorum ſede; cum illis cœlituum gaudiis: ſcriptum eſt enim: quoniam qui talia agunt, quæ tua ſcelerata voluntas præſumpſit; regnum DEI non poſſidebunt, & hoc nihilne triſte? Jngemuit Rex Lyſimachus, quòd cum Getis prælio depugnans, ſitiqve oppreſſus, pro hauſtu aquæ victoriam, regnumqve adverſariis vendiderat: *Dii boni*, inqviebat, *quàm temporaneæ cauſâ delectationis ingentem felicitatem amiſimus.* Plutarch. in præceptis ſalutar. Tu verò non victoriam, non regnum terreſtre, ſed illud cœlorum, momentaneæ delectationis gratiâ perdidiſti; & hoc nihil eſt triſte!

Digitized by Google

Peccaſti, & JESUM tuum, per mortiferam noxam perdidiſti; ergo perdidiſti, quidquid apud DEUM, favoris, quidquid meritorum per freqventata jejunia, preces, atqve eleemoſynas, aliaqve pietatis opera collegeras; etſi totam vitam jejunaſſes in planctu & gemitu; etſi dies noctesqve vigilaſſes in cantu, & precibus; etſi millia mortalium adduxiſſes in Chriſti Eccleſiam; etſi innumerabiles populos pertraxiſſes ad agendam ſeveriſſimam peccatorum pœnitentiam; etſi centenis annis arctiſſimam religioſorum fuiſſes amplexus diſciplinam; etſi corpus tuum tradidiſſes in incendia; etſi mundos lucri feciſſes integros; univerſum perditum eſt, cùm JESUM tuum per peccatum mortale perdidiſti. Scriptum eſt enim Ezech. 18. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem: omnes juſtitiæ ejus, quas fecit, non recordabuntur.* Et hoc nihilne triſte? Flevit Craſſus Conſul Romanus, cùm piſcem murenam, quem in amoribus habebat, periiſſe intellexiſſet, ut habet Ælianus l. 8. c. 4. Et tu amiſſo tanto favorum divinorum, & meritorum theſauro inquies: peccavi, & quid mihi accidit triſte?

JESUM tuum per peccatum mortale perdidiſti; ergo pretioſiſſimum JESU Chriſti ſangvinem ſceleratis pedibus calcaſti, protriviſti. Tu, tu es ille vir, qui coronam ſpineam ſanctiſſimo ejus capiti impreſſiſti; tu, qui ſanctiſſimam ejus faciem fœdiſſimà ſputorum congerie oppleviſti; tu, qui innocentiſſimas manus, pedesqve cruci affixiſti; tu, qui corpus univerſum ad graviſſimum livorem usqve dilaniàſti; tu, qui ejus divinum pectus lanceà perforàſti: ſcriptum eſt enim Iſaiæ 53. *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Et hoc nihilne triſte. Angeli pacis, diviniſſimæ illæ mentes, amarè flebant, cùm tuam hanc conſpexêre crudelitatem, & tu, tuà manu, flagellato, ſpinis coronato, in crucem acto mundi Salvatore, inqvies; peccavi, & qvid mihi accidit triſte?

JESUM tuum per peccatum mortale perdidiſti, ergo DEUM, ac Dominum tuum dereliquiſti, ſpreviſti bonitatem, qua nihil amabilius, ſapientiam, qua nihil æſtimabilius; potentiam, qua nihil glorioſius; miſericordiam, qua nihil dulcius; eumque in tuum caput citâſti acinacem; qui, quando, & quoties voluerit, corpus, unàque animam perdere poteſt in gehennam. Hucusque ille cœli conditor DEUS tuam conſervabat vitam, promovebat vires, corporisque conſtantiam, præveniebat gratiis, cumulabat beneficiis, ſubſequebatur præmiis; Hucusque ille te adverſum omnes tuos adverſarios, metuentem cuſtodiebat; expediebat Dæmonum fraudibus: piis muniebat cogitationibus, ſanctis replebat deſideriis; ac lætitiis; nunc per ſummum ſcelus contemptus, illu-

illuſus, ſpretus eſt; ad iracundiam provocatus eſt; jamque in caput tuum conſpiravit ordo creaturarum univerſus; jam parata ſtat tellus dehiſcere, parata Maria haurire, paratus æther tonare, fulminare; paratus ignis incendere: & hoc nihilne triſte? Torvum Philippi Regis Hiſpaniarum vultum ſic accepit Aulicus, ut iram Principis non ferens, intra unam noctem totus quantus in canuerit; & tu cernens jam in te irati DEI torqueri fulmina, & in vindictam concurrere elementa; inquies; quid mihi accidit triſte?

JEſum tuum perdidiſti, ergo mancipium Diaboli effectus es, illius, inquam, poteſtati traditus, qui tanquam leo circuit, quærens, quem devoret; qui animam tuam, niſi miſericordiſſima divina Bonitas præpediat, adhuc hac horâ, hoc momento trahet ad inferos; ubi, niſi nunc flebis, æternum torqueberis, cruciaberis, cremaberis; ardebis ſemper, exibis nunquam; peribis ſemper, morieris nunqnam; obmutuit, ſteteruntque comæ præ horroris magnitudine illi convivæ Matt. 22. qui quòd veſte deſtitueretur nuptiali, conjiciendus erat in tenebras exteriores; & tu jam, vel teſte conſcientiâ tuâ ad æternos horrores, ad æternas damnatus caligines, inquies; quid enim mihi accidit triſte?

Peccâſti; ergo jam accidit tibi tantum mali, ut licet omnes, quotquot unquam fuerunt, vel erunt tyranni, omnia, quæ ingenioſa in pænas crudelitas poſſet, excogitare tormenta, tibi infligerent; licet omnes omnium ſæculorum homines, in tuam perniciem conjurarent, licèt apertis inferorum repagulis omnes egrederentur dæmones, ut te conjunctis viribus invaderent, diſcerperent, dilaniarent; licèt tu unus deberes in corpore, & anima ſuſtinere omnes eorum, qui tartari addicti ſunt pænis, cruciatus; omnia hæc mala jam recenſita, & innumera alia, quæ fingi poſſunt; non ſunt comparanda cum malo illo, quòd tibi accidit, dum vel unum mortale delictum commiſiſti; & inquies adhuc, peccavi, & quid mihi accidit triſte? Demum, vis noſſe, quid acciderit tibi triſte; audi ipſum DEUM Deuteronomii 28. tibi loquentem; quod ſi, inquit, audire nolueris vocem Domini tui; maledictus eris in civitate, maledictus in agro: maledictum horreum tuum, & maledictæ Reliquiæ tuæ; maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ; armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens, mittet Dominus ſuper te famen, & eſuriem, & increpationem in omnia opera tua; quæ tu facies: donec conterat te, & perdat te velociter. Adjungat tibi Dominus peſtilentiam, donec conſumat te de terra, ad quam ingredieris poſſidendam. Percutiat te Dominus egeſtate, febri, & frigore, ardore, & æſtu, & aëre corrupto, ac rubigine, & perſequatur, donec pereas. Sit cœlum, quod

Digitized by Google

ſupra te eſt, æneum; & terra, quam calcas ferrea: & quæ ibi ſequuntur! Magno clamore quondam irrugiit Eſau, cùm primo genituram, & benedictionem paternam à fratre præventus amiſit; & tu tot maledictionibus ab ipſo, ſupremo Numine inflictis, inquies; peccavi, & quid mihi accidit triſte?

Academici! Hæc vera, hæc unica dolendi cauſa, atque flendi; JEſum per grave delictum perdidiſſe: cæterum, *ſterilis eſt*, inquit Petrus Cellenſis (de ſeptem panibus c. 12.) *omnis effuſio lacrymarum, quæ non effunditur propter regnum cœlorum. Qui plorant de rebus vanis, inaniter plorant*, inquit alicubi Auguſtinus, cit. apud Corn. in 2. Eccl. v. 2. *& qui rident de rebus vanis, de malo ſuo rident.* Fleant alii, ſeu rideant fortunæ vices, divitiarum inconſtantiam, honorum inanitatem, voluptatum brevitatem; quod unicè doleo, atque ingemiſſo, eſt, quod meus JESUS tam ſæpe; ex tam levibus cauſis, à tam multis, velut res leviſſima perditur; nec ſit, qui fleat, nec ſit, qui recogitet corde! imò quia eſt, qui audeat dicere: Peccavi; & quid mihi accidit triſte.

(*,*)

Domi-

Dominica 2. poſt Epiphania.

Deficiente vino dicit Mater JEſum ad eum: vinum non habent. Joh. 2.

Quod vergit ad interitum, quaſi jam non eſt. Cum igitur omnia mundana ſint interitui propinqua, ut quid ea tantopere diligimus.

MIrabile dictum Admirabilis Virginis: vinum non habent. Apoſtolus, & Evangeliſta Domini dicit vinum in Cana Galilææ cæpiſſe deficere: *deficiente vino*: & Mater Domini audet affirmare, de vino nihil reſtare: *vinum non habent. Deficiente vino*, ſi gloſſemus idem eſt, ac cùm vinum deficeret; ſeu: vinum deficiebat: quis autem neſcit, quod Grammatici ajunt; Præteritum imperfectum eſſe, quod actionem quidem cæptam; ſed incompletam ſignificat Si igitur vinum deficiebat, nondum ex integro defecerat; quomodo igitur dictum eſt: *Vinum non habent.* Præterea ipſa vox: *Dificio & deficere*, etſi diminutionem rei ſignificet, non tamen rem univerſim tollit: ſic quondam Cæſar locutus eſt: v. Calep. verbo deficio, fruſtra meæ vitæ ſubvenire conamini; quoniam ſanguis, viresque deficiunt. Id eſt, diminui incipiunt, nondum planè eſſe deſierunt; & L. 3. ff. de jure fiſci, dicuntur debitores deficere, quorum facultates admodum diminutæ ſunt, ut jam ſolvendo non ſint. Si ergo vinum ſolummodo diminuebatur, quomodo jam nullum erat? Denique perquam veroſimile eſt, quod Beatiſſima Virgo, non tum primum egerit cauſam amicorum apud ſuum filium, quando jam prorſus nihil ſuppetebat de vino: docet enim D. Bernardus ſerm. 1. in dom. 2. poſt Epiphaniam, quòd compaſſa fuerit Sponſorum verecundiæ ſicut miſericors, & Beniſſima Mater, nè ſi defectu vini laboràſſe deprehenderentur, gravem confuſionem incurrerent: eam verò confuſionem ſponſi certò non evaſiſſent, ſi ſanctiſſima DEI Genitrix tunc primùm eorum cauſam egiſſet, cùm in veritate, jam nullum prorſus vinum haberetur: quare dicendum eſt eam ad filium recurriſſe, mox, ut imminutio vini notari potuit; etſi de eo nonnihil adhuc reſtare videretur.

Verùm, ſi ſe iſta ità habent. Cur dictum eſt: vinum non habent? An quia Geneſeos c. 8. *imminutæ ſunt aquæ*; jam hoc ipſo nullæ aquæ erant? & cùm Danielis c. 3. v. 37. dictum ſit ab Azaria: *imminuti ſumus, plus quàm omnes gentes*; nullus tunc amplius de Hebræorum populo reliquus fuerit? Quidquid agimus Academici: certè hoc loco myſterium eſt. Sed quale? Equidem ſi meæ imbellicitati cauſam dicere liceat, exiſtimem ſpiritum ſanctum qui eâ occaſione per Dei genitricem, & per Evangeliſtam locutus eſt, nos mortales edocere voluiſſe, illam veritatem, quam idem frequentius, etſi ſub aliis ver-

verborum involueris; in ſacris eloquiis ſuis tradidit: nempe, unamquamque rem non ſolùm id dici poſſe quod eſt, ſed etiam, quod paulo poſt futura eſt. Quia igitur Nuptiales illi Canæ Hoſpites, de quo hodiernum Evangelium, ita ſubinde defectum vini inter convivales menſas ſentiebant, ut brevi poſt, ſi menſæ perdurarent, nullum eſſent habituri; ideo dictum eſt: Vinum non habent. Ex quo universùm conſequitur, omnes mortalium res, atque ſpes, quæ in eo curſu ſunt, ut paulò poſt futuræ non ſint, ſic eſſe, quaſi non ſint, ideoque etiam pro talibus haberi poſſe, ac debere.

Nunc qua ratione id ſtabiliri & quibus divinarum paginarum exemplis firmari poſſit, videamus. Atque inprimis illud meritò quis quæſiverit, cur DEus, ut eſt Geneſeos c. 3. ad Protoparentem Noſtrum ſubinde dixerit; pulvis es, & in pulverem reverteris. Quid pulvis! terra prorſus minutula, vix ut ejus pars cerni vix quoquam ſenſu percipi poſſit; terra aridula, terra ſicca; ejusque levitatis, ut tenui aurâ ſurſum, deorſum feratur; terra pæne informis, atque omnis decoris expers; nulla vitâ, nullo ſenſu, prædita; tàmque vilis, ut cùm paſſim conculcetur mortalium pedibus, nemo ſit, qui adhærentem plantis non excutiat. Quid Adamus! certè animal ratione præditum erat, adeoque non ſolâ pollebat ſeipſum agendi, vegetandique potentia; non ſolâ ſentiendi, imaginandique facultate, ſed etiam intelligendi, arbitrandique vi; & eâ in rebus agendis libertate, ut quoquo vellet, ageret animum, jamque in dextram, jam in ſiniſtram ferre ſe ipſum pro libitu poſſet. Inſuper, ſummâ ſymmetria in varias ſectus partes, alia rotundabatur in caput, alia protendebatur in pedes, alia extendebatur in brachia, & manus, alia prominebat in frontem, alia deſcendebat in collum & pectus, alia firmabatur in fæmora; ac præterea diverſa ſenſuum, atque potentiarum facultate inſtructus, videbat, audiebat, odorabatur; guſtuque tactuque plurima percipiebat! Quomodo igitur Adamus pulvis. *Pulvis es.* Ad quæſtionem hanc ſanè acutam, acutiſſimus reſpondet Antonius Vieira Conc. in dic. Cin. id ità dictum; eò quod Adamus pulvis futurus erat: ut ipſe textus clarè habet: pulvis es, & in pulverem reverteris: eam autem eſſe divinam, cœleſtemq; grammaticã, ut jam tale eſſe dicatur, quod tale futurum eſt. Itaq; ei dictum eſſe: pulvis es, qui paulò poſt pulvis futurus erat. Neque obſtat, quòd ſcriptura ait Gen. 5. factum eſt omne tempus, quod vixit Adam anni non genti triginta, & mortuus eſt. Licet enim tot annorum ſpatium, quod inter illud præſens atque futurum, inter pulverem de præſenti, & pulverem de futuro intercedebat, grande videri poſſit; adeoque in noſtram materiam convenire minus: ſi tamen non mundanam, ſed cœleſtem menſuran-

randi rationem ſeqvamur; cui mille anni tanquam unus dies, & nihil longum, qvod finem habet; deprehendemus in eo caſu præſens à futuro, pulverem de præſenti, à pulvere de futuro, non integrum diem abfuiſſe. Itaqve meritò dictum: pulvis es; illi, qui poſt unum nec integrum diem pulvis futurus erat: & univerſim unaquæqve res non incongruè dicitur eſſe, non ſolùm, quod eſt, ſed etiam, quod paulò pòſt futura eſt; qvo ſenſu & Abraham Patriarcha ſe pulverem, cineremqve eſſe dixit Geneſeos 18. inqviens: Loqvar ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis.

Id ipſum habent ſacræ paginæ, Jobi capite ſeptimo, verſu decimo ſexto, eà verborum, etſi pauculorum, energiâ; ut de aſſerta veritate nè dubitare quidem ſapienti liceat. Parce mihi, inqvit ſacer Vates ad Dominum; parce mihi: nihil enim ſunt dies mei. Dies hujus Prophetæ duplices conſiderare poſſumus; alios, qvos vixit usqve ad tempus illud ſuarum miſeriarum, quibus veluti rapidiſſimo torrente obrutus fuit, ut legere eſt capite primo: & hos multorum annorum fuiſſe, colligitur ex eo, quod inter poſſeſſiones ſuas nùmerabat filios ſeptem, & filias tres: Alios qvos poſt toleratam eam tempeſtatem vixit, qui fuerunt annorum centum, & qvadraginta, adeoqve dies numero quadraginta, & unum mille, & centum. Diesne tot, totqve tamqve felices anni nihil ſint? *nihil ſunt dies mei!* ità omninò, ſi futurum ſpectes. Dum dies ſunt, dum præſentes ſunt, aliquid ſunt: qvanqvam, ſi philoſophari velimus; nullus dies eſt: quid enim? nonne diem menſuram viginti quatuor horarum dicimus: quando nam autem viginti quatuor horæ ſunt, cùm prima jam non ſit, ubi altera eſſe incepit; neq; altera ſit, dum prima decurrit; atqve ita viginti quatuor horæ, licet fuiſſe dicantur, nunquam ſunt. Sint autem dies aliquid, dum ſunt; certè paulò poſt nihil futuri ſunt; atqve ideo ſanctiſſimus Vates; *nihil enim*, inqvit, *ſunt dies mei.* Documentô nobis; res omnes hujus mundi bene dici eſſe nihil, quando paulo poſt nihil futuræ ſunt.

Videamus, quid & coronatus Vates, diviniſſimis oraculis refertiſſimus ille ſpiritus, pro noſtra qvadra afferre videatur. Ecce, inqvit Pſ. 38. menſurabiles poſuiſti dies meos; *& ſubſtantia mea, tanquam nihilum ante te.* Quid ſubſtantia? ſi philoſophemur; ſubſtantiam dicimus ens per ſe ſubſiſtens, nulli adjacens, omnibus in, & adhærentibus ſubſtans, cui conveniat & eſſe, & rem eſſe, & bonum eſſe, & aliquid eſſe, & unum eſſe, & verum eſſe; & in primis, opponi nihilo. Et ſi de ſubſtantia loqvamur, de qua ibi; erat illa, non modò rationem corporis, atqve mixti; ſed etiam viventis, ſed etiam animantis, ſed etiam hominis habens; adeoqve inter ſubſtantias corporeas cæteris perfectior: qvo-

modo igitur dictum eſt: ſubſtantia mea, tanqvam nihilum. Et qvidem ante te, qui omnia quæqve noſti, & cuncta ſapientia tua diſcernis; & qvem nihil veritatis, nihil rerum latere poteſt. Si verò vocem ſubſtantiæ ad mores mundi transferamus, quidquid peculii, quidquid divitiarum, quidquid ſupellectilis cuiqve domi eſt, ſubſtantia eſt. Quâ ratione locutus eſt ille adoleſcens, Lucæ 15. qvi v. 12 dixit: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Et hujusmodi ſubſtantia perquam grandis Regi Davidi erat: nam ut taceamus, qvas terras, & regna, qvas gentes & populos, is ſuo ſceptro concluſerat, reliqvit filio ſuo Salomoni, moriens David, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, 1 Paral. 22. 14. i. e. juxta computum Cornelii à Lapide, bis mille & quadringentos milliones aureorum. Quanta hæc ſubſtantia; & hæc omnia ſint habenda pro nihilo? Ità planè, ſi cum Regio Vate ſapimus. Subſtantiam ille dicebat, quod erat, quod poſſidebat, dum rem ut præſentem intuebatur: tanqvam nihilum eſſe dixit, cùm, quid paulo poſt utraqve futura eſſent perpenderet. Atqve ità, hujus ſanctiſſimi Regis exemplo ſe ſuumqve omne nihil eſſe dixerit; qvidqvid paulo poſt deſiturum eſt. Ex quo & illud conſequitur; omnia noſtra mortalia, qvantò qvæqve diutiùs in natura perſtitère, poſſe magis dici non eſſe, qvàm qvòd ſint: qvippe futuro ſuo propinquiora, id eſt, ſuo non eſſe. Eſt hæc corruptibilium univerſitas circulo admodum ſimilis in hoc; quòd qvantò magis in iſto receditur ab aliquo puncto, tantò magis ad eum reditur: ut vel ipſis oculis patet. Omnis creatura eſt de nihilo: ecce vos eſtis ex nihilo; & opus veſtrum, ex eo, quod non eſt. Iſaiæ 41, 24. Ab hoc termino recedimus per eſſe, & per noſtrum durare, ac perſiſtere: quæcunqve igitur ſic ſunt, ut aliquando futura non ſint, tanto magis accedunt ad non eſſe, quantò diutius ſunt; & à ſuo non eſſe receſſerunt; itaqve jam quodammodo non ſunt: quanquam enim non omnino non ſint, ipſum tam eſſe tam modicum eſt, ut nihilo æqvi paretur, dicente Eccleſiaſtico cap. 40. modicum, tanqvam nihil in requie.

Videre mihi videor, DD Academici, geminum ſpeculum, quæ eadem oculis objiciunt, ſed pro diverſo rerum ſtatu. Alterum refert ſua, ut in ſtatu præſenti ſunt, alterum, ut in futuro, ac paulò poſt erunt. In horum primo video ingentes auri, atqve argenti, margaritarumqve, gemmarumqve cumulos; video urbes, & oppida, & caſtra, & latifundia, regna & imperia: video coronas, ſceptra, aurea vellera, ducales baculos, ducum mitras & tiaras. Video hortos, & pomaria, menſasqve vino innatantes, & ferculis gravidas; & ſi quis quærat, quid de his cenſeam, dico ei: theſauri ſunt; aurum eſt, argentum eſt, margaritæ,

Digitized by Google

tæ, gemmæ, urbes, oppida, coronæ, ſceptra ſunt. Inſpicio jam & alterum ſpeculum, & video hæc omnia abiiſſe in cineres, & adhuc de ſtrata congerie fatales ſurgere fumos; ſparſimqve ſuam prædam allambere voraces flammas; & muto ſententiam; qviqve paulò antè dicebam: hic ſunt urbes, hic oppida, hic coronæ, hic ſceptra; hic horti, hic deliciæ; jam corrugatâ fronte ſuperſcribo his nullitatibus: *Non ſunt.* Aut illud Poëtæ: Fuêre Troes, Ilium, Tros, Ilium fuêre: ubi ſtetêre pergama, nunc fluctuant ariſtæ. Vel ad noſtram rem aptiùs: nunc fumigant favillæ. Atqve hæc quidem manifeſta ſunt omnibus; at vobis DD. Academici aliquid magis reconditum libet loqvi; ideoqve & primis, & ſecundis rebus, per dicta ſpecula repræſentatis Lipſianum illud ſubſcribo: Humana cuncta, fumus, umbra, vanitas, & ſcenæ imago; verbô, ut abſolvam, NIHIL. Nihil ſunt hæc omnia mundana, non modo cùm urbes & oppida ſuis ſepelientur cineribus, cùm opes & divitiæ, avis adinſtar avolaverint; cùm voluptates, & deliciæ inſtar bullæ eſſe deſierint; ſed etiam cùm adhuc eſſe videntur; cùm in quodam flore ſunt: quandoquidem idem ſunt, quod futura ſunt; & ſolo ſtatu differunt. Sapientiam Salomonis de hoc differentem audite, Eccleſ. 1. Quid eſt, quærit ille, quod fuit? & reſpondet: ipſum quod futurum eſt. Syrus legit: quod eſt, ipſum eſt, quod factum eſt, & ipſum fiet. Idem ergo, qvod fuit, eſt & erit; omnia autem mundana in brevi nihil, ergo ſunt, fueruntqve nihil! Humana cuncta, fumus, umbra, vanitas, & ſcenæ imago, verbo, ut abſolvam: Nihil!

Qvæ cùm ita ſint Auditores, qvid eſt ô filii Adam, qvòd rebus nihili, itâ animos, ſtudiaqve noſtra, & pæne univerſam noſtram vitam impendimus? ecce deficit vinum in Cana Galilææ, & Mater JESU dicit: vinum non habent; non habere dixit, qui paulò poſt habituri non erant. Ecce iſte mundus univerſus in propinqvo eſt, ut eſſe deſinat; ſaltem in brevi mihi, in brevi huic, illi, alteri de nobis non amplius futurus; imò jam in tranſitu eſt: qvanqvam enim ſcriptum legimus; cœlum, & terra tranſitura, tamen & illud in præſenti fieri affirmat Apoſtolus, dicens: & mundus tranſit, & concupiſcentia ejus, 1 Joh. 2. Ut proinde mundus iſte quoddam non ens, & nihilum dici poſſit, ipſo affirmante Propheta Jerem. 4, 23. aſpexi terram, & ecce, vacua erat, & nihili. Cùm inqvam hæc itâ ſint, ut quid res nihili tantopere diligimus mortales.

Illos loqvor, qui in corporis ſui decore, atqve gratia, in ſuorum oculorum ſideribus, in frontis ebore, genarum roſetis, labiorum coraliis, manuum nivibus, capillorum cyrrhis, in ſplendido de ſeribus veſtitu, in inauribus, & armillis, in mitris, & diadematis, in torqvibus auro, gemmiſqve fulgentibus ſuperbiunt. Heu neſci-

Digitized by Google

neſciunt, quod ſunt, qvia neſciunt, qvid paulo poſt futuri ſunt. Si libet, ex Poëta intelligent, Horat l.4. ode 7. Ita in eorum perſona canente: Nos ubi decidimus, quò pius Æneas, qvò Tullus dives & Ancus, pulvis & umbra ſumus.

Illos loqvor, qvi ſibi theſaurizant de mammona iniqvitatis, congerentes oppidô, qvidqvid poſſunt in thecas, in prædia & horrea. Ah qvæſo, qvod dictum eſt, qvodq; omni die dicitur, & omni die dicetur, audiant: ſtulte, hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ paraſti, cujus erunt? Omnia hæc mortalia in perpetua fuga ſunt: omnia nos fugiunt, inqvit Poëta; nil non mortale tenemus; & ſi non fugiunt, nos tamen hæc fugimus.

Illos loqvor, qui inſtar ſerpentis Moſaici, cæteros ſui ſimiles devorantis, potentes, aſtuti, de imminente illorum capitibus corona ſuperbiunt; & ludentes blandientesq; caudâ, venena fundunt; inflatiq; pectus, triſulcum fulmen vibrant adverſus viciniam; ſcintillantibus oculis terrentes populos, & blanditiis non unam circumvenientes Evam: ah non eſtis, qvod vobis videmini; qvos omnes timere, qvos omnes adorare habeant neceſſe; qvibus omnes in devorationem cedere oporteat: ſed eſtis, qvod brevi eritis, rude lignum, & baculus in manu Moyſis; emortuũ cadaver; pulvis & cinis, qvem leviſſimus ab Aqvilone ventus diſſipaverit.

Qvòd miſeri mortales adeò terræ infixi hæremus; in cauſa eſt, qvia id genus ſpeculi præ oculis habemus, in qvo nobis res offeruntur, qvatenus aliqvid ſunt; & cùm viſu ſimus debiliore, non videmus rapidum illud flumen qvo mundana hæc ad interitum, & ad non eſſe feruntur; qvin in ipſo fluxu, tam continuo, & oculorum aciem fugiente, qvandam æternitatem nobis ineſſe fingimus, alii profectò futuri, ſi rerum naturam penitiùs, & accuratiore mentis obtutu inſpiceremus.

Cur qvæſo Academici nihili fecimus eas bullas, qvas ſubinde, mediate modicâ aqvâ, & ſmigmate pueri per avenam flatu effecimus, & in auras ludentes miſimus? poſſitne illis bullis aliqvid haberi artificioſius, ſubtilius, delicatius, agibilius, mirabilius. Certè mihi perſvaſiſſimum habeo, omnem illam machinam, qvam Coſroës Rex, velut alter Jupiter, inter aſtra confidens, non ſinè tonitruis, & fulminibus, & nubium vagis itineribus ſibi cœlum eſſe voluit, non tot miracula, qvot una bulla ejusmodi, cenſuiſſe. Inſpice bullam videbis te, & videntem qvidem, & tuos in aliena domo miraberis oculos, frontem labia; nutusq;, riſusq; capillorumqve ſeriem; & qvidqvid in aſpiciente vel pulchrum, vel horridum eſt: inſpice adhuc, & cernes, qvidqvid tota domus habet, de periſtromatis, de ceris majorum, de ſupellectile argentea, aurea; qvidqvid deniq; per parietinas, & univerſam aulam diſperſum. Sudo frueris cœlo; inſpice in eadem bulla videbis & migrantes nubes, & avium volatus, & novos ſoles; & ſi qvid præterea Phænomeni ſuperiora ha-

habent, illic & horti, & ſylvæ, & pomaria,& montes,& turrium cacumina,& urbium palatia: niſi qvod omnia iſta longè exqviſitiore cultu ibi ſint, qvàm extra: & qvod ſinè miraculo vix concipi poteſt; in una, velut in mundi qvodam compendio,includantur Sphærula; qvæ in Megacoſmo ſpatium mille millium milliarium obtinent. At cur Academici eas ſphærulas nullus noſtrum ſuo amore dignatus eſt? nempe evanida res bulla eſt, de his S. Gregor.l.6.moral.c 5. cùm excreſcunt, ut appareant, creſcendo peragunt, nè ſubſiſtant.

O homines homines! ſuismet laqveis irretitos. Bullas, de qvibus dictum, qvantumvis formoſas, qvantumvis miraculis naturæ refertiſſimas, nihili facimus, utpote evanidas, & mox in ſuum non eſſe redituras; æſtimamus autem honores, divitias, pompam ſæculi, hominum amores, & carnis illecebras, qvamvis in ſingula momenta dilabantur, & intereant. Obſervavit hoc ipſum Apoſt. Paulus 1. Cor.c.7. qvare ita Chriſtianos illorum temporum penna ſua allocutus eſt: Hoc itaq; dico fratres: Tempus breve eſt; reliqvum eſt, ut qui utuntur hoc mundo tanqvam non utuntur: præterit enim figura hujus mundi. Quaſi dicat: cum omnia hæc mortalia, quantumvis fortè ſplendida, quantumvis fortè grandia aut florentia, prætereant, breviq; futurum ſit,ut non ſint: breve enim tempus,& dicetur: tranſierunt omnia: hoc mundo ſic utamur, qvaſi non ente,& qvaſi nihilo. Id Tertullian9 ità vult intelligi,ut eo utamur tanqvam non inqvilini,ſed peregrini, & Auguſtin.tr.40. in Joan. tanqvam dimiſſuri,non permanſuri. Obſervavit & hoc ipſum Princeps Apoſtol. in ſecunda c. 3. ita ſcribens: Cùm igitur hæc omnia diſſolvenda ſint; qvales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum diei Domini. Ergo

Terrene civis, ſi mente vivis, nè crede mundo, eſt absq; fundo.
Inanitas & vanitas!
Scis, quid ſit orbis, eſt plena morbis, eſt plena rixis, rotunda pyxis.
Eſt vanitatum vanitas!
Sunt verba plumæ, ſunt facta ſpumæ, non eſt medulla, ſunt vera bulla.
Inanitas & vanitas.
Qvid ſunt honores? Iris, colores. Qvid gaza? dumi. Qvid pompa? (fumi.
Eſt vanitatum vanitas!
Si mente vivis, terrene civis, nè fide mundo, eſt absqve fundo.
Inanitas & vanitas.

(*,*)

Digitized by Google

Dominica 4. poſt Epiphania.

Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus Matth. 8.

Fluctuat, at nunquam mergitur Eccleſiæ Ratis.

NAviculam inter contentiones ventorum, inter frementes fluctus; & maris concitati furores mediam, nobis hodiernum proponit Evangelium; & in navicula ipſam Chriſti Eccleſiam, Academici. Illa vaſtro ultorcitorque jactata pelago, quid turbatum cœlum. Quid undarum furiæ, poſſint, experta: hæc per mille ſexcentos annos, & ultra ferre coacta, quidquid vel Tyrannorum ſævitiis, vel Hæreticorum crudelitas vel ipſæ portæ inferorum, nefaſtum, atque horribile invenere. Sed quemadmodum illa prima impeti, jactarique potuit, non mergi; eò quod non fortunam alicujus Cæſaris, ſed omnis fortunæ, & felicitatis Authorem, veheret Chriſtum: ita Navicula Chriſti altera, quæ eſt Eccleſia, invadi quidem, concuti, quaſſari, in diverſa rapi ab hoſtibus ſuis potuit; non vini. Id quod ſubinde Friderico Imperatori Eccleſiam Chriſti crudeliter perſequenti, ac diripere conanti veridico carmine ſignificavit Naviculæ dominicæ eorum temporum Gubernator Gregorius IX. Pontifex M. ità ſcribens:

Niteris in caſſum Petri ſubmergere Navim,
Fluctuat, at nunquam mergitur iſta Ratis.

Non abiit ſæculum, non luſtrum, non annus, non menſis, audeo dicere, non hebdomas non dies, ubi non aut à ſummo Boreas, aut ab imo Notus, aut ab occaſu Zephyrus, aut ab Ortu Eurus in vaſiſſet hanc Cymbam Domini; perſecutionem furores, rerum anguſtias, fumis tormenta, nuditatis opprobria, gladios furentes, tortores frementes, bonorum exilia; cataſtas & equuleos, cruces, & incendia, mortes, & mortibus graviora martyria, intelligo; quibus in Chriſtianos itum, pugnatum, ſævitum, debacchatum! ſemper tamen eô eventu, ut ſua Naviculæ Chriſti eſſet incolumitas, & impeti quidem poſſet; vinci, mergive non poſſet.

Qui bellum intulère; quadrifariam ferè à Propheta Regio Pſalm. 82. in ſpiritu deſcripti ſunt; veluti totidem venti, à quibus Naviculæ noſtræ, mille prælia, mille pericula. Primus impetus eorum fuit; qui apud dictum Pſalmiſtam dixerunt: Venite, & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſrael [nomen Chriſtianorum] ultra. Fæcem, & Synagogam Judæorum intelligite Academici: quibus non ſatis fuit crucifixiſſe Dominum gloriæ; etiam

Digitized by Google

jam Eccleſiam ejus everſam merſamque funditus voluere. Alter impetus fuit illorum; de quibus Propheta: cogitaverunt unanimiter ſimul, adverſum Deum Teſtamentum: Diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum, & Ismaëlitæ: & hæc turba gentium, & Turcarum eſt; qui Chriſtianitatem, linguâ, & gladio, ferro, & igne omnibus ſæculis perſecuti ſunt. Tertius impetus Hæreſiarcharum, & hominum in fide excæcatorum fuit. De quibus Pſalmiſta: Ecce (DEUS meus) inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. Ex his tempeſtas periculoſior, quòd ex adverſariis domi natis ortum haberet; & Zephyrum authorem præferret, cùm Africus eſſet. Quartus denique impetus de ſpelæi, & cavernis Inferorum: fuit; eorum nempe ſceleſtorum ſpirituum, à quibus omne malum; & de quibus Vates: ſuper populum tuum Domine, malignaverunt conſilium, cogitaverunt adversùm ſanctos tuos, qui dixerunt: hæreditate poſſideamus ſanctuarium DEI. Verùm caſſo hactenus conatu; quantumvis enim multa egerint, plura tentârint, animisque rabie efferatis etiamnum parturiant. Quam plurima; ſemper tamen Navarchô Chriſto, ſuas habuit Navicula hæc victorios ſuos numeravit triumphos. Cùm ex adverſo fæx Judaica, ùt loquitur Vates, diſperierint in Endor, facti ut ſtercus terræ: gentes vero poſitæ ſunt in rotam, ſeu inſtar rotæ, volubilis utique, & inſtabilis; Hæreticorum autem agmina diſparuerint quemadmodum ſtipula, ante faciem venti; Infernales denique ſpiritus ità perſecutus eſt Dominus; ſicut ignis, qui comburit ſylvam; & ſicut flamma, comburens montes. Singula non nihil attentiore obtutu contemplemur!

Primæ ergo adverſum Naviculam Chriſti eductæ furiæ, primus impetus Judæorum fuit. Hæc eſt illa furentis æoli progenies, quæ poſteaquam in Naviculæ Patronum omnem rabiem, doloremque ſuum evomuit, etiam in Nautas, & remiges crudelisſimè deſævire cœpit. Legat, qui volet, Actorum Apoſtolicorum caput quintum; & videbit Apoſtolos Chriſti, mox ſub naſcentis Chriſtianitatis primordia, conveniri ab apparitoribus, tradi ad tribunalia, conjici in vincula, & teneri in cuſtodia publica. Legat itidem caput octavum; & intelliget eam tempeſtatem adverſus Chriſti diſcipulos excitatam Jeroſolymis, ut Chriſtiani, quos illi jam collegerant, neceſſe habuerint ſe recipere ad tutiora, & fugâ ſalutem quærere in pedibus. Legat caput decimum ſextum; & videbit rurſum eosdem Apoſtolos tradi ad judicia; quorum ſententiis conſtitutum, ut ſciſſis tunicis ad virgarum flagra raperentur, & in teterrimos abjicerentur carceres. Quanta non poſt multò, tulerit Paulus, ipſe enarret: Diſſerentam 2. Cor. 11. audiamus. Ego in laboribus plurimis, in carceribus abun-

Digitized by Google

abundantius, in plagis ſupra modum; in mortibus frequenter; à Judæis quinquies quadragenas una minus accepi: ter virgis cæſus ſum: ſemel lapidatus ſum: ter naufragiū feci: nocte & die in profundo maris fui: in itineribus, ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum; periculis ex genere, periculis ex gentibus: periculis in civitate, periculis in ſolitudine; periculis in maris; periculis in falſis fratribus; in labore, & ærumna, in vigiliis multis; in fame, & ſiti, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate.

Et hæc quidem prima ſurgentis Eccleſiæ ætate acta; cùm adhuc litera videbatur legere Chriſti Navicula: longè crudelius furorem ſuum exeruêre Judæi in Chriſtianos ſubſecutis Trojani temporibus; quando Duce quodam Andrea, iis cladibus Romanos, Græcosque affecerunt, ut ducenta hominum millia, inter quos plurimi Chriſtiani, ea ſævientium tempeſtas abſtulerit Deum bonum! quæ tunc non ſpectavit mundus! nec cadaver eſſe victis indulgebatur. Reſcindebantur à brachiis, à fæmoribus, & tibiis carnium portiones; & de ulteris maternis exciſi nondum maturi vorabantur partus; nève quid fruſtra allatum fuiſſet ad feralia convivia, detractæ de mortuis corporibus cutes ſumebantur in veſtimenta, & inteſtina, ſanguinemque adhuc ſtillantia hominum viſcera, ſpecioſum ſc. fiebant præcinctorium. Neque mitius actum tertio Juſtiniani Imperatoris anno; ubi Samaritani Judæi, vocato in Regem Juliano, in Palæſtina, Chriſtianitatem miris modis dilacerârunt; templa vaſtârunt, ſacra monumenta flammis exuſſerunt; multos presbyterorum in fruſtra ſecuerunt, & martyrum carnes nunc aſsârunt in ſartaginibus, nunc in verubus frixerunt. Deniq; usq; hodiedum nihil tam Judæis inviſum, quàm Chriſtianus; neque dolor major, quàm quòd Naviculam Chriſti nondum merſam vident.

Sed quid illa? Impeti poteſt, mergi non poteſt. Quin à mari Dominatur usque ad mare, & à flumine, usque ad fines terræ; ad quos, ejus piſcatores, mox ab initio fundatæ Chriſtianitatis pervaſere. Nam & Petrus Antiochias & Romam, & Joannes Epheſum, & Indiam Thomas, & Palæſtinam, atque Hiſpanias Jacobus, & Scythiam Philippus, & Armeniam Barnabas, & Æthiopiam Matthæus, & Ægyptus Simon, & Meſopotamiam Thaddæus, & Judæum Jacobus alter, & Matthias, & maximam partem mundi in retia Chriſti traxit Doctor gentium Paulus. Ubi interim Synagoga? ubi Judæorum ſævitia? ſinè ſacerdotio, ſinè ſacrificio, ſine Pontifice, ſinè Rege mundi inania mare furentium ventorum perambulant; quorum triginta obolo venderet Veſpaſianus; quorum ſexaginta terunico non emeret Chriſtianus. Diſperierunt in Endor, verè facti ut ſtercus terræ; contemptibiles DEO, abominabiles hominibus, ut ſcit hodiernus dies.

Alte-

Alterum, cumqve longè graviſſimum impetum in naviculam Chriſti fecit gentilitas; ut omnium errorum, ſic omnis Magiſtra crudelitatis. Jam ſuo ævo auſus eſt ſcribere Hiſtoriographus Nicephorus, tum demum Chriſtianorum Martyrum,qvos ſævities gentilium abſtulit, numerum nos habituros,cùm arenas maris cenſu comprehenderimus. Ea verò crudelitate, & tyrannide ab illis nequiſſimis mortalibus actum, ut multitudinem, ac varietatem tormentorum etiamnum ſtupeat mundus, potuiſſe ſc. homines naſci, qvi tanto intervallo tigrides poſt ſe relinqverent.

Unus ille Romanus Latro, & niſi ad æternam ignominiam nunqvam nominandus Nero, qvot non Athletas Chriſti beſtiis trucidandos objecit? qvot non gladio peremit? qvot non fame, & hàc, crudeliore, ſibi extinxit? qvos ille non carceres, qvos non rogos ſtruxit? ſupra omnem crudelitatem fuit, cùm innumeros Chriſti milites pice tingi,arboribusq; illigari, ac tum per noctis tenebras ſuccendi juſſit: ut tunc tota arderent nemora; & omnis arbor vivum,ſpiransq; portaret incendium. Ipſe interea,de monte, ad citharæ ſonos ſpectatorem agens dicere auditus: mirè à ſe Romanam urbem illuſtratam eſſe. Hic ipſus patibularius homuncio eſt,qvi ſanctiſſimis Apoſtolorum Principibus vitam eripuit.

Qvid memorem Trajani Imperatoris tempora; ſub qvo in Armenia unâ carnificinâ undecim millia Chriſtianorum in cruces acti? Qvid Aurelii Comitis; qvi Zenonem Patritium Romanum cum decem millibus Chriſtianorum furno exurendum condemnavit? Qvid huc Diocletianum revocem; qvi tot templa evertit, tot ſacrorum doctorum volumina exuri fecit, tot Chriſtianos Magiſtratibus exuit, tot generibus ſuppliciorum mundum infamavit. Ejus imperio in Thebaide, innocens mulierum ſexus, nunc veſtitu direpto,è pedibus ſuſpenſus; feris beſtiis nunc objectus,nunc vivus excoriatus,nunc ferreis uncinis diſcerptus,dilaniatusq; eſt. Alexandriæ multis Chriſti pugilibus,manus; aliis digitos,aliis naſos, aliis labra, aures aliis crudeliſſimus hic carnifex abſtulit: qvosdam etiam hædulorum inſtar, inter incendia aſſavit. In Ponto, & Cappadocia aliqvibus cannarum fruſta, inter ungves adegit, alios liqvefacto plumbo perfuſos è vita exturbavit, alios oculis privavit, debilitavit cruribus, & ad fodienda metalla ſemipedes damnavit. Treviris ejusdem Præfecti, eâ feritate in Chriſtianos deſæviêre, ut Moſella flumen, non jam Virginem aqvam,ſed Martyrum cruorem bibituris propinârit. Atq; ut paucis immenſitatem qvandam actorum ſub Diocletiano complectar; habetur in Romanorum Pontificum voluminibus, ſingulis menſibus, ſub hoc Tyranno, Martyrum cæſa eſſe ſeptemdecim millia; & cùm hic furor ultra decem annos perdurârit,conſeqvens eſt,ſub uno hoc carnifice vigeſies centena millia, ſeu duos

Digitized by Google

Chriſticolarum milliones cenſa eſſe, qvi pro DEO ſuo ſangvinem, vitamq; profuderint. Cæterùm per trecentos à Chriſti Nativitate lapſos annos, qvinqvageſies centena Martyrum millia reperit Franciſcus Arius; quæ ætas, ſi ad noſtra usquæ protendatur tempora, undecim milliones trucidatorum Chriſtianorum cenſeri debere ſcribit Genebrardus: adeò, ut ſi in ſingulos anni dies æquali numero partienda ſit hæc multitudo, omnis feria habitura ſit in Patronos, quos veneretur, atque ſuſpiciat, Martyrum triginta millia.

Verùm enim verò, ut ut fluctuet; at nunquam mergitur Chriſti Ratis. Quin potius, cùm univerſa pervaſiſſet Europæ Maria, ipſum vaſtisſimum penetravit Orientis Oceanum; & prædas piſcatorias egit in Inſulis Philippinis, in Inſulis Marianis, in Japonia, & China, & quidquid ambit aut Africam, aut toto ponto diſſitam Americam; cùm interea perſecutores Eccleſiæ poſuerit Dominus, ut rotas, inſtabiles, volaticas, & nullo ſeculorum eventu firmandas. Neronis oſſa, tetri Cacodæmones, diu corvorum ſpecie obſedêre: Decius una cum prolibus è vita gurgite merſus, exturbatus eſt: Diocletianus abdicato Imperio, quòd Chriſtianos funditus exſtirpare non poſſet, Nicodemiæ hauſto veneno miſerè interiit: Maximini caput à Conſtantino in Africam, ubi multos Chriſtianorum crudeliter ſuſtulerat, in ſpectaculum misſum: Galerius à vermibus conſumptus eſt: alii aliis tormentis acti, divinâ ita Nemeſi urgente, crudeles animas inferis transmiſêrè.

Deſcendamus nunc Academici, viſuri monſtrum, Lernææ hydræ ſimillimum; quod ſæpe ſæpius reſciſſo capite, rurſum in auras emerſit redivivum, ſemper in perniciem Chriſtianorum. Hæreſis eſt, quæ nullo ſæculo vexillum non extulit, militem ſcripſit, prætorianas eduxit; nullo non tempore omnes ventorum furias concitavit in Cymbum Chriſti. Habuit primum à Nato Chriſto ſæculum Simonem Magum, illum Hæreticorum omnium parentem, ut Irenæus loquitur, qui ſeſe præ omnibus cepis, & alliis, ut Deum coli voluit. Habuit alterum ſæculum ſuum Marcionem, qui Sanctiſſimos quosque Veteris teſtamenti Patriarchas inferno adjudicavit: quòd eos Chriſto inferos inviſenti non occurriſſe crediderit. Secutus eſt verè maniacus Manes, geminos ſtatuens DEos, quorum alter omnis boni author, hanc quâ fruimur condiderit lucem; alter omnis cloaca mali ipſe peſſimus, pesſimum genus hominum in diem produxerit. Corvum hunc ſecutus Bubo ille feralis Arius, qui non modò Spiritui ſancto divinitatem abſtulit, ſed & eandem Chriſto Redemptori negavit. Poſt hos velut data porta, irruêre Pelugiam, qui Angliam, Origeniſtæ, qvi Judæam, Anthropomorphitæ qui Italiam, Saraceni qui Perſiam, Fraterculi qui Bohemiam; Wickleſtii,

Digitized by Google

leſtii, Huſſii, Zwinglii, Calvini & celebratum illud apud Inferos Nomen Lutherus, qui totam pæne Germaniam in ſcillas, & charybdes egêre.

Sed enim fluctuaverit licet Chriſti Navicula, tamen non modò non merſa eſt; quin potius ſemper glorioſas cenſuerit victorias, de hoſtibus, quos partim, in ſcopulos impactos; alios fractâ malo, & divulſa prorâ abſorptos, alios in Charybdes abreptos, alios fluctibus obrutos, alios in ſyrtibus hærentes læti gaudentesque aſpeximus. Nempe ſemper ſuos Antagoniſtas invenêre hæ furiæ. Simonem Magum propulſavit Petrus, Marcionem Epheſo exegit Joannes, Manichæos profligavit Auguſtinus, Arium proſtravit Athanaſius, Pelagium perdidit Hieronymus; Origeniſtas ſubegit Euſtochius, Fraterculos fulminavit Bonifacius Wickleiſtas, & Huſſitas ſuppreſſit Conſtantienſe Concilium; Lutheros, Calvinos; Zwinglios, & alia hujusmodi Eccleſiæ rejectamenta annathematizavit Tridentū. Fluctuat, at nunquam mergitur iſta ratis. Imò, quamvis jactata, quamvis undique petita, ſuum tamen habet ſerenum, ſua alcydonia; latumque illi, quoties à litore ſolvit, celeusma intonat, Italia, Gallia, Hiſpania, Luſitania, Bohemia, Moravia, Sileſia, Auſtria, Styria, Tyrolis, Ungaria, Slavonia, Transſylvania, Polonia, Venetia, Morea, Bavaria, Belgium, & Germania, quin & India, & Cocincina, & China, & Japonia, & Philippina, & Peru, & Chile, & Novum Regnum, & Mexicum, & Braſilia; auſim dicere, nulla non pars mundi.

Interea omnes Eccleſiæ Chriſti hoſtes poſiti ſunt à Domino, ſicut ſtipula ànte faciem venti. Simon Magus, non jam poëtarum Icarus ex alto deciduus crure fracto, miſeram animam inferis transmiſit. Manes hæreſiarcharum inſipientiſſimus, à Rege Perſarum vivus excoriatus eſt. Arius, dum neceſſitati Naturæ ſervit, unà inteſtina & animam ſimul in tartarum effudit. Neſtorius in DEI Matrem prolixè impius, exeſâ à vermibus linguâ computruit. Æco-Lampadius, à ſæviſſimo Dæmone ſtrangulatus eſt. Caroloſtadius fune vitam clauſit. Calvinus pediculari morbo conſumptus fuit. Bucerus ſparſis per cubiculum viſceribus, aſpectabili urgente Dæmone, ſpiritum eliſit. Marthinus Lutherus, illud Bacchi, Cererisque dolium, bene potus, Lethen æternùm bibiturus, & ſtygem, ad inferos abiit. ità iſti.

Nihil ego jam; quibus machinis quâ ferocitate, quâ tyrannide, Eccleſiam Chriſti evertere conati ſint Cacodæmones. Sufficiat dixiſſe. Dux caper ipſe gregis. Quidquid uſpiam, & usquam à Judæis, quidquid à gentibus, quidquid ab omni hæretica pravitate in Naviculam Chriſti impetus factum, id ex Patre diabolo prodiit. Dux caper ipſe gregis. Ipſius ſapientia fuit: expedit unum hominem mori pro populo. Ipſius monitorium: venient Romani, & tollent Regnum noſtrum: Ipſius vox: ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.

 Ipſe

Digitized by Google

Ipſe flagra, quibus cæderemur; enſes, qvibus trucidaremur, ignes, quibus exureremur, verua, & craticulas, quibus torqveremur, tormenta, qvibus perimeremur, invenit: & hæreticorum cerebella coxit, qvibus oppugnaremur. Sed enim ſicut ignis qvi comburit ſylvam, & ſicut flamma comburens montes, ità perſecutus eſt eos Dominus. Cùm interea Chriſti navicula, qvamvis tot petita hoſtibus, incolumis, ſuiq; ſecura lætum ſulcet mare, nec modò non oppreſſa, ſed ubiq; ſua, ubiq; hodie, grata, & accepta; qvæ ubiq; habet in omni gente, in omni populo, in omni regno, & regione, quibus inter prima ſolatium eſt eſſe de hac navicula.

Qvare etiam apud Paulum Oroſium in hiſtor. ad Aurel. Aug. Chriſtianus in hunc modum loqvitur: Latitudo orientis, ſeptemtrionis copioſitas, meridiana diffuſio, magnarum inſularum largiſſimæ, tutiſſimæq; ſedes mei juris, & nominis ſunt: qvia ad Chriſtianos & Romanos, Romanus & Chriſtianus accedo. Non timeo DEOS hoſpitis mei. Non timeo religionem ejus nece meâ: non habeo talem, qvem pertimeſcam locum, ubi & poſſeſſori liceat perpetrare, qvod velit, & peregrino non liceat adhibere, qvod convenit, ubi ſit jus hoſpitis, qvod meum non ſit. Unus DEUS, qvi temporibus, qvibus ipſe innoteſcere voluit, hanc regni ſtatuit unitatem; ab omnibus & diligitur, & timetur. Eædem leges, qvæ uni Deo ſubjectæ ſunt, ubiq; dominantur; ubicunq; ignotus acceſſero, repentinam vim, tanqvam deſtitutus, non pertimeſco. Inter Romanos, ut dixi Romanus, inter Chriſtianos Chriſtianus, inter homines homo: legibus imploro rempublicam; religione conſcientiam, communione naturam, utor temporariè omni terrà, qvaſi patriâ; qvæ vera eſt; & illa, qvam amo patria in terra penitus non eſt. Nihil perdidi, ubi nihil amavi, totumq; habeo, qvod do. Qvem diligo, mecum eſt; qvia & apud omnes idem eſt. Hæc apud Oroſium Chriſtianus; titulo: qvòd per fidem Chriſtianam peregrinus ubiq; ſecurus eſt.

Qvæ ſi qvis veſtrum Academici dici qvoqve poſſe exiſtimat de navicula, qva Societas JESU, & JESU ſocii vehimur, vertat folium; cantet & dicat:

Niteris in caſſum JESU *ſubvertere Navem;*
Fluctuat, at nunquam mergitur iſta Ratis!

(***)

Domi-

Dominica 5. poſt Epiphaniam.

Colligite primùm Zizania, & alligate eos in faſciculos ad comburendum. Matth. 13.

Laſcivas picturas exurendas eſſe.

CUm annis hiſce, in principe Urbium Roma, Michaël Molinos, ille tot infamium hæreſium faber, juſſu Summi Pontificis ad palinodiam errorum ſuorum faciendum per confertam populi multitudinem in Theatrum raperetur; Zelo, ut credimus divino incenſa multitudo adverſum ſceleratum hominem iterum, atque iterum inconditè exclamavit: al fuoco, al fuoco. Ad ignem, ad ignem, & rogos hunc hæreticum. Nempe ea erat turpiſſimarum hæreſum, quas ille Molinos, molitus erat, fætens ſentina; ut niſi fumantibus flammis, ardentique incendio expiari poſſe non crederetur.

Domini Academici. Si quando eam malorum congeriem, quam in mortales, amatoriæ, Laſcivæque, nonnullis tantopere amatæ, picturæ, imaginesque invehunt, animo perpendum; illico mentem ſubeunt voces. Al fuoco, al fuoco. Ad ignem! ô ad ignes etiam infernales ejusmodi monſtra, quibus cum innocentes, caſtosque Academicos eſſe non licet; per quæ tot columbis candidiores animæ, infelici ſanè metamorphoſi, in teterrimos corvos abière; quæ tot adoleſcentes, adoleſcentulasque, ut viſa, ſimul, atque utinam non æternum perdidere.

Magnum malum lingua, ſi nequam eſt; multumque habet veneni ad inficiendas animas, quale aſpides ſibilant: opus tamen illius perbreve; neque novit vox ſemel emiſſa reverti. Majus malum penna, ſi nequam eſt; nam & aculeo rem gerit, & litera ſcripta manet: emortuum tamen quiddam eſt, quod oculis ingerit. Peſſimum malum pennicillus, ſi nequam, & laſcivus eſt, quippe cujus opus eſt ſtabile, & magneticum; quod & blanditur oculis, & mentem captivat, & cor infaſcinat: ſceleraque miro modô docet, dum ſpectanda exhibet; nec minus verè, quam poëticè dixit Horatius de Arte poet. ſegnius irritant animos demiſſa per aurem; quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ ipſe ſibi tradit ſpectator.

Quare ejusmodi opera, non ad aliquem domus angulum, non ad aliquod aditum, non ad tenebras perpetuas, aut ſempiternum carcerem, ſed ad ignes, ignē utpote, unde & prodierint, quibus & ardent, & quibus aliquando æternum arſura ſunt, damnata volo. Alligate in faſciculos ad comburendum.

Quid enim? unde hæ picturæ? quem authorem, quem artificem habent!!

annon inſanum illum amorem, quem Heſiodus in Theogenia ex tartareis incend is prodiiſſe ſcripſit: & quid Amor, niſi quem flammeum ardorem dixit Leo ſanctius: quem ardentem furorem vocavit Virgilius; de quo tragædus in Hippolyto: compeſce amoris impii flammas precor: quem cæcum ignem Æneis cecinit. Neque Apelles Venerem pinxit, niſi cùm inſanis amoribus laſciviret, nec Zeuxis Alcmenam, niſi cùm totus flammis cupidinis ardeſceret; neque Nicomachus Proſerpinam ad nuptiales tædas damnatam, niſi cùm Plutonem induit. Ad ignes ergo ad ignes, velut ad authorem, unde prodierunt, omnes laſcivas picturas; habeantque ſibi flammas, quibus excitandis in tot animarum interitum, natæ ſunt. Neque enim, ut jam memini, picturæ ſed ſimul flammæ ſunt, quæ non uno in loco in grandia incendia erûpère.

Teſtis ipſe mali tanti quandoque Author Apelles, de quo alicubi Poëta Naſo: ſi Venerem Cois nunquam pinxiſſet Apelles; Merſa ſub æquoreis illa lateret aquis. Teſtis inquam eorum, quæ dixi Apelles; qui cùm ſubinde Alexandri Macedonis meretriculam penicillô efformâſſet; adeò in ejus exarſit concupiſcentiam, ut & ægerrimè haberet, & Alexandro neceſſum videretur eam Apelli in matrimonium tradere; nè quod aliud incendium exurgeret. (S Franc. ſales. in Philoſs.)

Multa fuit, eſtque hodiedum Philoſophis quæſtio, num faſcinus qvidam ex viſu ſit; poſſitque fieri, ut ſolo alterius aſpectu mutemur in pejus; aut melius. Suntque, qui affirment. Nam & lippus alium intuitus creditur in eo eſſe cauſa lippitudinis: & lupus viſus putatur videnti inducere raucedinem: & galgulus avis, oculos in ictericum defigens, ſibi morbum, ægro ſanitatem affert; & ſtruthio camelus ſolo viſu effæta ova animâſſe obſervatus eſt, & baſiliſcus intereміſſe hominem. Sed major quæſtio, unde, ſi ſe res ità habent, tam mirabiles, effectus; & qui fieri poſſit, ut loco, ſuppoſitoque remotum Agens, aliquid in diſtanti efficiat? an fortè quidpiam eſt, quod medium occupet, ab Agente effectum, quod vires ſuas usque ad Paſſum extendat? Et quidem de Baſiliſco annotavit Ariſtotéles in Problematis eſſe animal plurimi veneni, ejaculariquc ex oculis quosdam vapores, qui ubi aliena corpora perfuderint, ea inficiant, perimantque. Quidquid horum veritati conformius ſit, illud mihi perſvaſiſſimum hábeo, baſiliſco admodum ſimiles eſſe omnes laſcivas picturas, effigiesque quæ in aſpicientibus neſcio qvid faſcini efficiant, eosque excitent ignes, quibus tandem ipſæ animæ in ruinam agantur, pereantque! Quare & Purpuratus ille ſcripſit: Cardin. Bona in manuduct. c. 10. oculorum inprimis caſtiganda eſt licentia: nam cùm celerrimè videant, rerumque plurimarum imagines ad phantaſiam,

Digitized by Google

taſiam, & indè ad mentem trans mittant, gravium peccatorum ſemina, in appetitu excitant. Et paulò poſt, de muliere compta; (nos de laſciva pictura idem intelligi volumus) ita loquitur: mulier compta, elaborata luxuria eſt; nunquam in ea figas obtutum, quia peribis. Comœdias, choreas, torneamenta, theatrales ludos addamus; Laſcivas effigies] ne ſpectes: ubi errat oculus, errat affectus.

Nempe mira in utramque partem eſt imaginum vis, ut ex eis vel proficiamus, vel deteriores reddamur. Imagine Alexandri ad bellicam gloriam accendi videbatur Julius Cæſar; imagine extremi Judicii à Methudio Artifice propoſitâ, ad fidem Chriſtianam tranſiit Rex Bulgarorum; imagine Crucifixi ad omnia quæque aſpera ferenda urgebatur D. Martyr. Ignatius: imagine S. Pauli ad omnem virtutem rapiebatur D. Chryſoſtomus; ſæpe audivi, inquit Salluſtius in Jugurtha, Quintum Maximum, Publium Scipionem, præterea civitatis noſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere: cùm Majorum imagines intuerentur, vehementisſimè ſibi animum ad virtutem accendi. Sed & laſcivâ Cupidinis imagine ad turpiſſima quæque Auguſtum, incenſum ferunt; quod de aliis millenis quoque memorant hiſtoriæ; qui horum baſiliſcorum hauſto veneno, corpore, & animâ periêre. Novit iſta peſſimus ille animarum noſtrarum hoſtis; quare, cùm aliquando neſcio quis Artificum laſcivum admodum picturam palàm propoſuiſſet, viſus eſt cuidam Viro Sancto, Malus dæmon circa eam effigiem circumitare, thureque, & reverentiis, honorare formam, quæ nempe tot mortalium innocentiæ cladem inferret, atque etiam impoſterum allatura eſſet. (Refert P. Paulus Segneris p. 3. Hominis Chriſtiani.)

Quis jam non exclamet, al fuoco, al fuoco, ad ignes, ad ignes ejùsmodi monſtra. Ipſe Deus aliud judicium non tulit; quando pſalmo 72. per Regium Prophetam dici voluit: In civitate tua, imaginem ipſorum ad nihilum redigeſ, & per Ezechielem c. 20. 7. unusquiſque offenſiones oculorum ſuorum abjiciat; & in Idolis Ægypti nolite pollui. Offenſiones oculorum hoc loco dicuntur abominanda tetra, & horrida idola gentilium, ut docet Cornelius à lapide; quæ aſpicientibus Nauſeam movent, atque averſionem; quare ea abſcindi, atque perdi vult Deus. Atqui omni idolo, picturæ laſcivæ Chriſtianis, quibus idolum, peripſema eſt, majori offenſioni ſunt; quin igitur eas in ultimam Thulen, Tartarum debebam dicere, relegamus. Certè ſaltèm flammis, Vulcanique patriâ dignæ ſunt. Ad rem facit, quod in Annalibus Carmelitarum tom. 1. l. 4. c. 55. Legitur. Erat homo pingendi peritus (nomen conſultò prætermittitur) qui dum juvenes decurrit annos, ſubinde laſcivam effigiem, temeritate quâ hæc

ætas

Digitized by Google

ætas in malum prona eſt, in tabulam conjecerat. Nec ea, niſi unica fuit; fuit tamen ſcintilla, quæ multis in magnum evaſit incendium. Is idem Artifex poſtmodum, jam pientior multa, eaque perquam ſancta peritiæ ſuæ ſpecimina dedit, totus in effigiandis, exprimendisque Cœlitum formis, quibus Eccleſiam non unam implevit. Ubi poſt annos vivere deſiit, idem à morte ſeſe cuidam Ordinis Carmelitarum Religioſo viſendum dat, flammis undique circum crepantibus, & miſerum, horrendum torquentibus. Tanti mali cauſam rogatus; pinxi, inquit aliquando in juventute mea Iconem perquam laſcivam; quæ multis animabus, ſcandalo, imò damnationis æternæ occaſio fuit. Ea res, ut primum coram Judice ſteti, in examen tracta me jam perdiderat, cum interceſsêre quidam, ut credo, de Patronis meis Cælitibus, qui eam picturam ad ignorantias juventutis meæ referebant; ſimul addentes, omnia alia me ac etiam multam pœnitentiam egiſſe, ubi maturius judicium fuit. Inde ſententia lata eſt, tamdiu me purgatoriis ignibus cruciandum; usque ſcelerata illa, & nusquam toleranda effigies combureretur. Quare rogare ſe, ajebat; Nobilis, apud quem pictura illa eatenus perſtaret, opus dictum, ſi ipſum ſalvum vellet, flammis, quas dudum meruiſſet infernales, addiceret. Et nè ille, ludibrium, aut ſomnium putaret, fore, in veritatis argumentum, ut duæ Nobilis prædicti proles brevi fatis concederent: quas & ipſe Pater intra unum, atque alterum menſem, ſi adverſaretur, eſſet ſubſecuturus. Perſvaſit orator; gemini filii non multò poſt vitâ functi ſunt, & pictura exuſta eſt; & Artifici refrigerium conceſſum. (Ex manſio tr. 38. diſcurſu II.) Ecce præmium laſcivæ picturæ. Qui pinxit, damnatur ad ignes; qui aſpexerunt; damnantur ad ignes, & ipſa tandem pictura DEI mandato perit ignibus. Obſervandum hoc loco; quod omnium prima Domus, quam ſuperiore bello Turcico, ad annum 1683 ad Viennam Auſtriæ, ante ejus obſidionem Tartaris contigit incinerare flammis, fuerit omni laſcivarum picturarum genere refertiſſima; unde communis ſapientum ea exiſtimatio orta eſt, Deum, qui tunc peccata populi puniturus venerat, ab hoc ſcelerato Lupanari initium facere non absq; cauſa voluiſſe, ut intelligeremus, quàm ſuperis inviſa ſint ejusmodi idola, & quo genere pœnæ plectenda ſint.

Videtur mihi Divina Juſtitia non modò ſcelera, ſed ipſas etiam ſcelerum cauſas, & occaſiones inexplicabili odio perſequi; & utraque ferè paribus pœnis punire velle. Colligo id ex Matthæi 5. ubi ità æterna Veritas: Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abire; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et apud eundem Evangeliſtam capite 8. dictum eſt. Si manus tua, vel pes tuus ſcan-

Digitized by Google

ſcandalizat te; abſcinde eum, & projice abs te; bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum; quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Ecce Academici, non modò ſcelera vult à nobis quàm remotiſſima DEUS; Sed ipſa quoque ſcelerum inſtrumenta; manum, pedem, oculum: & eandem gehennam, eundem ignem æternum paſſura dicit non ſolùm ſcelera, ſed & eorum inſtrumenta; manum, pedem, oculum. Ut jam non obſcurè liceat intelligere, quô loco Deus laſcivam picturam habeat, & quâ pœnâ plectendam velit, quando omnibus ſcandalis ignes æternos, & gehennam minatus eſt.

Verùm, dicet aliquis, hoc genus picturæ, hæc tabula prætioſum rariſſimi Apellis opus eſt; & multo auró comparatum? Credo, & hoc ipſum eſt, quod non ſatis intelligo, tantas pecunias in inſtrumenta damnationis noſtræ erogari! cùm difficillimum vobis ſit, vel nummulum conferre in pauperem, quò vobis regnum cœlorum comparare poteratis. Sed ùt ùt de præteritis quàm optima efferamus; tamen illud Jeremiæ Drexelii in Niceta l. 1. c. 7. animo revolvendum: melius eſt ardere telam, aut chartam (turpi ſcilicet effigie infamem) quàm animam.

At nihil inde ſcandali patior. Multum eſt, ſi verum eſt. Quo caſu vel te Angelum crediderim incarnatum, cui omnia caſta ſint; vel ſic luto luxuriæ immerſum, ut ſolis picturis nihil movearis. At demus, nihil tibi ab illo incendio eſſe periculi; an ita etiam domeſticis reliquis, an ſodalibus ad te inviſentibus; an innocentiæ per domum diſcurſanti. Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum; nè fratrem meum ſcandalizem. Scribebat 1. ad Cor. 8. Apoſtolus. Magnum malum, ſi te incolumi frater, ſi ſervus, ſi ſerva malo igne periit.

Verum, neque alius habet unde à multa pictura ſibi timeat. Unde hæc tibi ſapientia! & quis Phœbus tibi tam certa. Satis tibi ad cautelam eſſe debuit, quòd quis tuâ ſeu imprudentiâ, ſeu audaciâ labi potuit. Certè S. Hieronymi. l. 2. ep. 19. horrore plenum eſt effatum, ità ſcribentis: ſi vir, aut mulier ſe ornaverit; etiamſi nullum inde ſeqvatur damnum; æternum tamen patietur judicium; quia attulit venenum, ſi quis fuiſſet, qui bibere voluiſſet.

His de cauſis in Regulis, de imprimendis libris, graviſſima Concilii Tridentini Sanctio eſt, tit. de Correct. §. 2. ſi quæ obſcœnæ imagines prædictis libris expurgandis impreſſæ, aut depictæ exſtent, etiam in literis grandiuſculis, quas initio librorum, vel Capitum, imprimi moris eſt, hujus generis omnia penitus obliterentur.

Digitized by Google

Quin & Ariſtoteles, etſi pauca de ſcelerum pœnis doctus, cum de Inſtituenda Juventute ſcripſit, l 7. polit. c. 17. ita ſtatuit: omnino igitur obſcænitas verborum, ut & quidquam aliud, per legislatorem exterminanda eſt de Civitate, ex turpiter enim loquendi licentia, ſequitur & turpiter facere. Potiſſimum igitur, ſtatim à pueris, neque dicant, neq; audiant quidquam turpe. Si verò quisquam dicere, aut facere quidquam prohibitorum deprehenſus fuerit, is ſi liber ſit, ſed nondum in conventum Comeſſatorum dignatus aſſumi, honore prohibeatur, & verberibus caſtigetur. Sed ſi ſit majoris ætatis, ſervili infamiâ afficiatur, admiſſi ſervilis officii gratiâ. Cum verò dicere quidquam interdixerimus, clarum eſt, quòd & aſpicere, aut picturas, aut actus deformes prohibemus Sit igitur cura Magiſtratibus, nullam neq; picturam, neq; ſtatuam eſſe talium rerum imitatricem. Cur verò Author, hæc præſertim ab Adoleſcentibus remota velit, cauſam mox ſubdit: eò quòd omnium prima nos magis delectant; quapropter, inquit, oportet à pueris omnia turpia, & maximè, quæcunque habent in ſe vel obſcænitatem, vel improbitatem, procul removere. Hæc homo ille gentilis.

Nunc quid Chriſtianus de hoc ſcriptum reliquerit, audiamus. Eſt is Antonius Sucqvetius, Magnus Spiritus Magiſter de ſocietate JESU, qui l. 2. c. 24. in via Vitæ, quam exactisſimam, & divinis planè præceptionibus refertam typis vulgavit, inter praxes conſervandæ puritatis, ità loquitur. Huc pertinet turpes, omnes, & nudas imagines ex domo ſua eliminare. Si enim quod turpe eſt juxta Apoſtolum non debet nominari inter Chriſtianos, quantò minus ab iis ſpectari? neque vult obſtare, ſi pictura rara, ſi elegans, & in pretio ſit. Non vis, inquit, artem perire, & ſanguine Chriſti emptas animas perdere non formidas! Doles imagines corrumpi eximii artificis, & DEI imagines fœdari, ac gehennæ addici non vereris. O JESU, quàm fruſtra his dixiſti: quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Tunc ô dulciſſima Domina, benignis intueri oculis cum filio potes domum illam, in qua luxuriæ pabulum omnibus intrantibus, & invitamenta nequitiæ, perditionisque illecebra proponitur? Quorſum enim fœda imago Chriſtiana atria deformat? Num, ut herus ſit memor flagitii patrandi, & ſpectator advena cupiendi? an ut artem ſpectet, & ſalutem perdat. Dubio procul his adſtare dæmonem crediderim intrantium oculos huc convertentem, ut animas venetur incautas, & ſub dulci melle venenum ingerat. Quid de pictoribus ſentiam, hæc tacitè loquuntur. Non ſunt hæc idola opera veſtra; ſed ingenioſam pedicam animarum per vos, earum hoſtis effecit. Si hic genius veſter magis favet, ingenium

Digitized by Google

genium profitemini veſtrum. Illi in quavis anima ſæpe turpia pingere non licet, ſed à vobis in tabula perpetua, & proſtanti, ſuæ cupit exſtare monumenta neqvitiæ, & de animis victorias, quibus effecit, ut membra Chriſti fierent membra meretricis. Si doceres, & pingeres, qua arte, patria expugnari poſſet, quà fiſcus expilari, nonne proditionis eſſes reus, & ſacrilegii, ſi in templo talia proponeres? quid igitur neſcis animam arcem eſſe, & Chriſti domicilium; & ea maxime parte infirmum, quâ carni conjungitur. Neſcis templum eſſe Dei, cui tu tales infers imagines Hæc, & plura ibi Sucquetius.

O igitur væ, & Lamenta in omnes ejuſmodi artifices; væ omnibus earum picturarum licitatoribus, æſtimatoribus, retentoribus! Væ artificibus, earum; quia ſcriptum eſt Sap. 14. Per manus, quod fit idolum (tale utiqve omnis laſciva pictura eſt) maledictum eſt, & ipſum, & qvi fecit illud. Væ earundem æſtimatoribus, & retentoribus. Certè 2. Paralipomenon c. 15. Legimus Mæcham, Regis Aſſa Matrem regno excuſſam, quod in luco toleraſſet ſimulacrum Deaſtri turpitudinis. Væ ejuſmodi Picturarum curioſis inſpectoribus; vix enim feliciores ſint eo, qui dixit: ut vidi; ut perii! væ deniq; ut ille ait, P. Nadaſi. de ætern. væ ſumptoris ferculis, fœdis jocis libellis! parumque caſtis fabulis, væ turpibus tabellis; quia ad ſuccendendum Infernalem ignem hæc omnia nata ſunt.

Ergo al fuoco, al fuoco Academici. Agite, quod de Mariano Sodale, Ingolſtadienſes referunt literæ ad A. 1614. qvi cùm intellexiſſet væmim expoſitas complures ejuſmodi picturas, univerſas pretio exolvit, ac mox, ut domum repedavit, Vulcano exurendas tradidit. O factum bonum, exclamat poſt relatam hiſtoriam Drexelius in Niceta l. 1. c. 6. §. 2. Laceret, urat inverecundas imagines, qui diſcerpi non vult, & comburi animam. Date mihi Academici id ſolatii, ut intelligam ſimiliter Pragam arſiſſe. Non ſic Nero ſpectaverit Romam ſceleſtè incenſam, quam ſpectavero ſceleratam ejuſmodi materiam inter flammas crepantem. Neque vos pœniteat damnum rei pernicioſiſſimæ feciſſe: præſtat enim veſtra, quam vos perire.

(***)

Digitized by Google

Dominica Septuageſimæ.

Pauci electi. Matth. 20.

De paucitate ſalvandorum ad Academicos.

PAuci. Dicente Chriſto Domino Matth. 7. *Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem; & multi ſunt, qui intrant per eam.* Ac rurſum ibidem: *Qvàm anguſta porta, & arcta via eſt, qvæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam.*

Pauci. Dicente Pſalmo 13. *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens, aut reqvirens DEUM. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qvi faciat bonum, non eſt usq; ad unum.*

Pauci. Dicente Iſaiâ Propheta Domini c. 24. *Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum. Qvo modo ſi paucæ olivæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea, & racemi, cùm fuerit finita vindemia.*

Pauci. Dicente Jeremiâ Prophetâ c. 5. *Circuite vias Jeruſalem, & aſpicite & conſiderate, & quærite in plateis ejus; an invenietis virum facientem judicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei. Quod ſi etiam, vivit Dominus, dixerint; & hoc falſo jurabunt.*

Pauci. Dicente Michæâ Prophetâ c. 7. *Væ mihi quia factus ſum, ſicut qui colligit, in autumno recemos vindemiæ: non eſt botrus ad comedendum præco, qvas ficus deſideravit anima mea. Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt: omnes in ſanguine inſidiantur: vir fratrem ſuum ad mortem venatur.*

Pauci. Dicente Amos Præcone Domini c. 3. *Hæc dicit Dominus. Quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ; ſic eruentur filii Iſrael, qui habitant in Samaria, in Plaga lectuli, & in Damaſci grabato.*

Pauci. Dicente Auguſtino l. 3. ad Creſconium c. 66. *ipſi boni, veriq; Chriſtiani qui per ſeipſos multi ſunt, comparatione malorum, falſorumque, itidem pauci ſunt. Si multa grana, quibus multa horrea implentur, pauca dicimus in comparatione palearum.*

Pauci, Denique; dicente M. Gregorio hom. 19. in Evangelia: *ad fidem plures veniunt; ſed ad cœleſtia Regna pauci, & jam totus mundus ſeipſo clamat: multi vocati; pauci electi.*

At enim, quæretis Academici, qvam igitur pauci! audio: & pauci, inqvam, pauci admodum, alioquin Mellifluum, at in hoc negotio fulminantem Bernardum accipite: In mari Maſſiliæ de quatuor navibus non perit una; in mari hu-

jus mundi de quatuor animabus vix evadit una. Loquitur autem hic Claraval-lenſis de populo Chriſtianorum, eorumque meliorum; & hoc ipſum cum multa gratia, ſi de qvatuor animabus Chriſtianis ſalvetur una.

Quot eſſe putatis, dicebat pro Concione ad Antiochenum populum M Chryſoſtomus; *quot eſſe putatis, qui in civitate noſtra ſalvantur? Infeſtum qvidem eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen, non poſſunt in tot millibus* (centum millia hominum fuiſſe exiſtimat Cornelius à Lapide) *non poſſunt in tot millibus centum inveniri, qui ſalvantur; quin & de his dubito.* Cauſam tanti metûs adnectit, cùm dicit: *qvanta enim in juvenibus eſt malitia: quantus in ſenibus torpor: nemo Zelum DEI habet. Multitudo fœni ſumus: mare inordinatum.* Audiſtis, quàm pauci.

At illud horribilius, & quod lapidea diſtringat pectora, eſt dictum illud Eremitæ, qui ut eſt in vita D. Bernardi; Lingonienſi Epiſcopo à morte comparens diſertè aſſeruit, eâ ipſa, qua Mellifluus Doctor fatis conceſſit horâ, triginta obiiſſe hominum millia; ſe, ac Bernardum cœlo potiri, tres alios ad purgatorii flammas deſtinatos, reliquos omnes, ac ſingulos æternis incendiis addictos eſſe. ô quàm pauci.

Verùm enim vero utroqve horridius eſt, qvod divinitus edoctus fuit, ſanctus ille Anachoreta Simeon, de quo Baronius in A. C. 976. nempe, ex decem millibus animarum vix unam reperiri, quæ ad ſanctorum Angelorum manus perveniat; & felicibus illis miſceatur Cœlitibus: cum ex adverſo immenſa mortalium colluvies in apertiſſima ruat Tartara; & nunquam terminandis mergatur incendiis.

Veritatem aſſerti ſtabilivit Mulier, quæ Revendô Patre Bertholdo Franciſcano, Ratisbonæ ad concionem dicente, ſubita morte extincta, ac poſt fucas à populo preces, rurſùm rediviva, univerſis palàm edixit; eo ipſo momento, toto orbe terrarum ſexaginta obiiſſe hominum millia; ex his tres ad purgantes ignes, deſtinatos, reliquos omnes æternum periiſſe. Ità refert Hieronymus Platus, l. 1. de bono ſtatus Relig. c. 5. ô quam pauci!

Nimirum lata porta, & ſpatioſa via eſt; quæ ducit ad perditionem, & effato, ipſius veritatis æternæ, multi intrant per eam, ut propterea Cancellarius ille Pariſienſis, de quo Cantipratanus lib. 1. Apum. c. 10. ex Guilielmo Epiſcopo cui à morte ſeſe videndum obtulerat, quæſierit, quisquàm ne adhuc mortalium in mundo ſupereſſet? tantus enim, inquiebat infelix ille, tantus ad infernales rogos hominum peccatorum deſcendit numerus, ex eo ſolum tempore, quo miſerrima ego creatura, ob meorum ſcelerum enormitatem juſtiſſimo DEI judicio tartareis

exuror ignibus; ut vix inducar, aut tot mortales in mundo reperiri potuiſſe, aut qvenqvam adhuc ſupereſſe. O qvàm ergo electi pauci.

Luſtremus quæſo DD. AA. hanc mundi univerſitatem; ſi fortè manifeſtiore diſcusſione, nobis, propoſitæ veritatis diem aperiamus. Imò priusquam iſtud agimus, oculos, mentemque nonnihil in retro lapſorum temporum hiſtoriam conjiciamus.

Stetit mundus iſte à Protoparentis noſtri incunabulis, ad Noë usque tempora annis mille ſexcentis qvinqvaginta ſex; vehementerq; multiplicatus eſt in hominibus; tum quòd ea tempeſtate mortalium iſta ad annos 600. 700. 800. nongentosque extrahebatur; ità quidem, ut patres, Matresque non modo filios, filiorumque filios, ſed nepotum nepotes, pronepotes, & abnepotes cernerent in generationibus ſuis: tum quòd divinæ Providentiæ erat genus dilatare humanum, quò ea, quæ erat mundi vaſtitas, incolas ſuos nanciſceretur. Verùm quot ex horũ omnium innumerabili numero electi? unus aliquis Adam, & Eva, pœnitentiâ ſuorum delictorum glorioſi: unus aliquis Abel ab innocente fuco ſanguine commendabilis; unus aliquis Enos qui incepit invocare nomen Domini; & unus aliquis Noë inter tot ſceleratiſſimorum diluvio pereuntium hominum millia juſtus. Cœterum adeò univerſa caro corruperat viam ſuam, adeò multiplicatis hominibus incrementa fecit malitia; ut ipſam divinam Majeſtatem pœnituerit feciſſe hominem; mundumque tot ſceleribus inquinatum aquis diluvii merſerit univerſum. O quam pauci.

Stetit poſtmodum mundus à Noe usque ad Abraham, tempora annis ducentis nonaginta tribus: tantusque cenſetur fuiſſe per hos annos mortalium numerus, ut Athanaſius Kircherus, lib. de Arca Noe ſcriptum reliquerit: ſi cuilibet homini ſolummodo qvadratum unius pedis geometrici fuiſſet pro ſtatione aſſignatum; Totam Palæſtinam, Judæam, atque etiam Armeniam iis recipiendis ſufficientem minimè futuras fuiſſe. Et quot in tanta multitudine electi? unus aliquis Sem & Japheth, de Noe filiis: unus aliquis Abrahamus, & Loth, cum nonnullis de familia: cæterum inter totius Sodomæ populos, ne qvidem decem inventi, qvos juſtos haberet Dominus: qua propter deſcendit ignis ſuper Sodomam & Gomorrham, & delevit illas regiones usque in cinerem, ut habetur Gen. 18. ô quàm pauci.

Stetit poſt ea tempora mundus ab Abraham, usque ad Joſephi ætatem, annis trecentis ſexaginta & uno; ubi millia millium in una numerabantur Ægypto: omnes illi gentiles, Idololatræ & vaccarum cultores; quot tunc electi? unus Jacob allapſus de terra Chanaam: unus aliquis Joſeph à propriis fratribus, ven-

Digitized by Google

venditus: & unus aliquis Benjamin commendatus à vitæ innocentia. O quàm pauci.

A Joſephi temporibus, usque ad exitum Iſraelitici populi de Ægypto ſtetit mundus annis 144. & inde usque ad Davidem annis 428. Equidem fateri neceſſe habeo, eâ tempeſtate, gentem Iſrael fuiſſe electam Domino; & in exitu de Ægypto, ut communiter cenſent Hiſtoriographi, fuiſſe numerata plusquam decies octies centena hominum millia: at enim quotnam ex iis electi: non ut de cæca illorum temporum gentilitate nihil dicamus, ſi innocentes infantum partus demimus, ô quam vel in ipſo Iſraelitico populo, pauci! alii vindice gladio propter Idololatriam periêre: alii ob excitatas in principem rebelliones, ab ignitis ſerpentibus occiſi; alios, quòd in Deum, ejusque prophetam Moyſen lingvas acuiſſent, hiſcens terra hauſit, & vivos transſcripſit Inferis. Verbò, ex decies octies centenis millibus, non niſi duo, ſceleris adverſum DEUM puri, ad terram promiſſionis, pervenêre: reliquis univerſis, aut vocatâ, aut etiam non invitatâ morte pereuntibus.

A Davide ad Chriſti Salvatoris adventum uſqve ſtetit mundus annis 334. qvo tempore Romani rerum, ac ferè mundi totius Domini, profundiſſimis Idolòlatriæ, ac omnium errorum, vitiorumqve tenebris involvebantur, peribantq;: Iſraëliticus verò populus eâ cæcitate, eâ ſcelerum ſordebat colluvie, ut tempora illa reſpiciens Evangeliſta Domini Joannes, totum mundum in maligno poſitum fuiſſe, aſſerere non dubitàvit. Et qvot tunc electi? unus, alterve Propheta Domini: unum aliquod par conjugum inter Judææ præcipitia; Zacharias, & Eliſabeth; & alterum inter recondita Jeruſalem, *Nazareth*, Joachim & Anna; & tertium his ſacratius; Joſeph & Maria. O qvàm pauci.

Interea temporis Miltiades Athenienſium belli dux, in Marathone Atticæ campo, Darii militis ad inferos uno bello, miſit ducenta millia, qvorſum iſti? Interea Rex Xerxes in Athenienſes bellum laturus eduxit duodecies centena armatorum millia; omnes idololatras: qvorſum iſti? Interea Qvintus Fabius Allobrox Arvernorum concidit 120 millia; qvorum iſti? Interea Julius Cæſar jactare ſolitus erat, ſuo bello, qvod adverſus M. Pompejum, ejusqve aſſeclas geſtum eſt, periiſſe undecies centena, & nonaginta mortalium millia, qvorſum iſti. Deniqve Romani florente Imperio, cenſuerunt trecentos hominum milliones, omnes propemodum gentilitatis ſuperſtitionibus, graviſſimisqve ſceleribus infectos; & qvorſum hæc inexplicabilis mortalium congeries? auſim dicere, iis temporibus ex 30 millium numero, vix unum alterumve ſalvatum; qvanqvam etiam de hoc dubito. O qvàm igitur pauci!

Verùm videamus nunc AA. qva ratione ſeſe mundus iſte habeat, poſteaqvam

qvam mundi Salvator Chriſtus JESUS, ſuæ veritatis, fideiqve lumen mortalium pectoribus infudit. Dividitur hic terrarum globus in qvatuor portiones Aſiam, Africam, Americam & Europam. Aſiam ingrediamur. Eſt illa longa 1342, & lata 1324 milliaria, adeoqve mundi partium ferè maxima, ſimul & populoſiſſima. Atqve ut 47, qvibus inclyta eſt regna, verâ fide deſtituta, taceamus; ſolum imperium Sinarum, qvod Aſiæ inſcribitur, continet regna 15, provincias 150 urbes grandiores 247, oppida 1152 hominum autem facilè centum qvinqvaginta milliones: ſed homines alios ſuperſtitione Judaicâ, alios Mahometanis deliriis infectos, alios Idololatras, alios prorſus extra hominem barbaros; adeò, ut ſi cum his infelicibus homuncionibus gregem Chriſtianorum ibi degentium conferre velimus, ex centum infidelium millibus, vix ducentos ad veram fidem acceſſiſſe deprehenſuri ſumus; & jamne hoc ipſo ſalvi iſti; qvando & de illis D. Chryſoſtomus diceret: qvanta enim in juvenibus malitia; qvantus in ſenibus torpor!

Ingrediamur Africam. Continet illa in longitudine 700. in latitudine 550. milliaria, cenſetque inter Regna ſua, duplicem Mauritaniam, duplicem Æthiopiam, Barbariam, Libyam, Ægyptumque, vaſtumque Joannis Presbyteri Imperium, aliasque tantâ hominum multitudine refertas regiones, ut una urbs Cayrus duodecies centena Epiſtolarum millia cenſère, continere credatur. Sed adeò Jvdæorum, Saracenorum, Schiſmaticorum, paganorum, barbarorumque erroribus, & ſceleribus depravata ſunt univerſa, ut ſi illic commorantem Chriſtianitatem Infidelium numero conferre volueris, guttulam Oceano porrexiſſe videaris. vide Thom. à JESU inſtimulo Miſſionum.

Ingrediamur Americam. Hæc mundi portio omnium vaſtiſſima, longitudine complectitur 2550, latitudine 1900. milliaria. Sed quot homines! plurimos inquam, ſed vix homines, adeò Dei, ſuperumque, ſuique ignari ſunt; qvi nec vivant communiter, nec lege teneantur ulla: homicidia, virium illis exercitium; parricidia etiam virtus: humanæ carnes, quotidianum ferè convivium. Parentes ætate provectiores, aut exurunt vivos, aut ſi qui pientiores ſunt, in cibos coquunt. Nulla illis ſobrietas, non pudor, non modeſtia; nudi incedunt, etiam cum ſobrii ſunt. Sola hæc apud aliquos pietas; qvod Dæmones colunt. Et quanquam fervidus Chriſtianorum Zelus nonnullam illis fidei, virtutisque flammam injecerit, jamque aliqua ſui parte lumen veritatis aſpexerit & Mexicum, & Peru, & Calfurnia, illud tamen certiſſimum, quod ſcribit Ven. Pr. Nicolaus Lancicius op. 11. c. 7. plurimas eſſe tam in Orientali, quam Occidentali, India ſinè Evangelii luce; & quidem provincias admodum amplas, ultra

fœ-

Digitized by Google

fretum Magellanicum in maxima terrarum ſpatia diffuſas; ultra Peruanum Regnum, atque ad utrasque ripas magni fluvii Maragnon, mille circiter terras longi. Fidei luce deſtituta eſt florida, novumqve Mexicum, & trecentæ Inſulæ, quas Lucajas vocant; quarum aliquæ totam Italiam magnitudine ſuperant, & è quibus nonniſi duodecim parent Regi Hiſpaniæ. Quod pleræque etiam habent Inſulæ Philippinæ, quarum aliquæ totâ Hiſpania ſunt majores; & cum earum numerentur millia undecim, vix triginta Hiſpano, veræque Fidei ſubjacent. O quàm pauci.

At nunc tandem in Europam intendamus. Hæc orbis partium minima, quippe longitudine ſolum 600. latitudine 550. milliaria complectitur: & hæc potiſſimà Chriſtianitatis ſedes eſt. Sed DEUM immortalem, quàm & illa ſciſſa! Anglia, Scotia, jam & Hybernia, Svecia, Dania, Magna Germaniæ, Poloniæ Lithuaniæ, Ruſſiæ, Tranſylvaniæ, Moldaviæ, Walachiæ, Moſcoviæ pars hæreſi, potiſſima in quibusdam earum provinciarum, Schiſmate infecta. Catholica verò Regna, ut & reliqua omnia, tot peccatis inquinata ſcimus, ut omnem ferè lætitiam, quæ ex paucorum bonis operibus percipi poſſit, nobis auferant.

Ut meritò, etiam hodie, ſcriberet ad Eugeniam Papam Bernardus l. 2. Conſum. c. 6. *Leva oculos conſiderationis tuæ, & vide Regiones, ſi non ſunt magis ſiccæ ad ignem, quàm albæ ad meſſem.* Noſtra ſunt ea tempora, de quibus diceret Laurentius Juſtinianus; tract. de Compunctione Col. 8. apud Lanc. op. 11 c. 7. *Attende, oro, diligenter in turbis populorum, & in ſingularibus plebibus, quàm rari in eis ſint, qui divina mandata cuſtodiant; Eccleſiæ ſanctiones ſervent, contenti ſint propriis, aliena non rapiant. Undique adulteria perpetrantur, fiunt ſtupra, ſacrilegia, homicidia, rapinæ, furta, deceptiones & horum ſimilia.*

Ex quibus tandem ſic concludamus. Orbis terrarum nil aliud eſt, quàm Aſia, Africa, America, & Europa. In Aſia ex centum millibus vix unus aut alter fidei Lumen aſpexit: ergo univerſa ferè Aſia cœlo exul: in Africa, ex centum millibus, vix duo, aut tres fideles: ergo univerſa ferè Africa, cœlo exul. In America ex centum millibus vix quinque aut ſex, qui Evangelium amplexi: ergo potiſſima America cœlo exul.

Reſtat Europa. Tollamus ex ea Lutheranos, Calviniſtas ſeu Reformatos, Hugonottas, Picarditas, Anabaptiſtas, Arianos, Schiſmaticos, Turcas, Judæos, & reliqua hæreſum ejectamenta. Tollamus ex Catholicis ipſis ex plebe Magos & Sagas: ex magiſtratu pupillorum, & orphanorum oppreſſores: ex aulis fraudum omnisque nequitiæ machinatores: tollamus ex militibus fures, &

Digitized by Google

latrones; ex Religioſis hyprocritas, & Apoſtatas; ex ſenibus avaros & ebrioſos, ex Juvenibus laſcivos, & luxurioſos, ex fœminis ſcorta, & domorum proſtibula. Tollamus denique eos, de quibus 1. ad Cor. 6. Paulus: *an neſcitis, quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt? nolite errare: neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum DEI poſſidebunt.* Quanti de nobis reſtabunt: ô quàm pauci. Illud mihi indubitatum, quod habet magnus ille ſpiritus Magiſter Ludovicus granatenſis l. 2. c. 16. in Duce peccatoris: Negare mihi non potes ex centum hujus terrarum partibus, vix unam eſſe Chriſtianam: & ex 99. cæteris nè unam quidem eſſe ſalvandam.

Quam ex his fertis conſeqventiam Academici: eam velim, quam alicubi habet Caſſianus: *vive cum paucis, ut in cœlo inveniri merearis cum paucis.* vel eam quam Lucæ 13. promulgavit æterna veritas: *contendite intrare per anguſtam portam.* Aut quod dicebat Pſalmiſta Pſ. 2. *ſervite Domino in timore, exultate ei cum tremore: apprebendite diſciplinam, nè quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.*

(* * *)

Domi-

Digitized by Google

Dominica Sexageſimæ.

Et in tempore tentationis recedunt. Lucæ. 8.

Tempus Bacchanalium, tempus Tentationum.

ACademici! neſcio, quod animus grande præſagit malum. Tempora mutantur, & nos mutamur in illis. Viximus hactenus, à ſtudiorum principio usq; nunc tempora ſancta, tempora quieta, tempora plena modeſtiæ, pietatis, & devotionis; tempora, ſub quæ in Dominis Academicis nihil fuit videre, præter compoſitionem, reverentiam, tranquillitatem, ſtudioſitatem, & conſtantem animi malaciam: compoſitionem in foro, reverentiam in templis, tranquillitatem intra domeſticos parietes, ſtudioſitatem intra ſcholaſticos pulveres, malaciam denique in omnibus iis, quæ ad rationem agendorum, fugiendorumq; pertinent. Sancta nobis fuêre tempora, Dominici Adventûs, in quibus confeſtim ſub primam auroram ad Eccleſias, ad percipienda antiquorum Patrum vota, & ſuſpiria properatum; ſimulque in eo deſudatum, ut venturo ſæculorum regi quàm rectiſſimas vias, atque ſemitas pararemus. Sancta fuêre tempora nati in terris magni DEI; ubi certatim ad incarnati cœlorum Principis Cunas accurſum, & inter mellitas montium æternorum dulcedines in eo cumprimis laboratum, ut omnes, atque ſinguli in tanti Monarchæ famulos, & mancipia reciperemur. Sancta nobis fuere Epiphaniæ tempora, ubi nemo noſtrum fuit, qui ſeſe cum ſanctisſimis Orientis Regibus, ad ſacratiſſimos nati DEI pedes non abjeciſſet. Sancta fuêre nobis, novè inchoati anni tempora; ubi expurgato veteri fermento, & abjectis antiqui hominis exuviis, velut Aquilæ, in Domino, per ſeriam peccatorum deteſtationem, confeſſionemque juventutem noſtram renovavimus! ſed ecce! tempora mutantur; atque utinam non etiam nos mutemur in illis. Quid ità Academici! quia audio vocem, neſcio unde interiora mea penetrantem, & dicentem mihi: Ad Epheſ. 5. Videte fratres, quomodo cautè ambuletis; non quaſi inſipientes, ſed ſapientes, redimentes tempus; qvoniam dies mali ſunt. En tempora mutata! nuper dies probi & ſancti, nunc dies mali, adeoq; jam non ſancti! Dies Bacchanalium loquor, quos D. Auguſtinus Serm. 2. in Cal. Jan. Luſus dæmoniorum, D. Baſilius hom. de ebriet. ſtolidam lætitiam, Tertullianus, publicum mortalium dedecus Apol. c. 35. feſtum Sathanæ D. Chryſoſtomus hom. poſt. Cal. Jan. compellavit. De quibus celeberrimus ille verbi divini Præco, & Hercules Gallicus Petrus Beſſæus Concione in Quinguaſima: hodie, inquit, in noſtra Gallia hoc ipſo die, omnes propemodum, relicto DEO, in templis, die laſcivìæ, & voluptatum, ſcelerata, & circea

Digitized by Google

agmina ſequuntur. De his dictum Eccleſiaſtici c. 18. accipio: Homo ſapiens in omnibus metuet; & in diebus delictorum attendet, ab inertia. In quem locùm doctisſimus Cornelius à lapide: Dies peccatorum ſunt dies, quibus indulgetur genio, veneri, & ventri, aliisque peccatis; quales ſunt dies Bacchanalium qui proinde in Calendariis nonnullis dies ſtultorum nuncupantur. Et idem paulò ante: dies delictorum vocantur, quibus eſt occaſio, licentia, & ſubinde quaſi neceſſitas peccandi; quibus impunè homines peccant, quibꝰ paſſim omnes ruunt in peccata; quibus dominantur impii, & impietas, ut tunc regnum peccati eſſe, & imperare videatur. O quàm mali! quoniam dies mali ſunt.

Quapropter dicebat ille, ſi Oratio Dominica, (quam Pater noſter appellamus) conſideretur intimius, eam qvidem ſemper ſecundùm omnes partes ſuas qvotidie ſanctè dici: Secundum illam tamen partem: & nè nos inducas in tentationem, planè neceſſariam eſſe in Bacchanalibus; eò quòd eo temporis maxima animabus immineant pericula. Et in tempore tentationis recedunt.

Atque hoc eſt Domini Academici, quod vos hodie, dum Bacchi feriæ fervêre incipiunt, verbis Apoſtolicis commonendos cenſui: videte, quomodo cautè ambuletis, quoniam dies mali ſunt. Equidem intelligo, univerſum hunc mundum, totum, & ubiq; & ſemper laqveis refertiſſimum eſſe: qvemadmodum mirabili ſpectaculo Divus Antonius Eremita ſubinde edoctus fuit; qvi cùm Deum interrogâſſet, quis tot, tamque fallaces laqveos, qvos hinc atq; inde paſſim ſparſos conſpiciebat, evitare poſſet? reſponſum accepit; Humilis. Totus inquam mundus laqveus pleniſſimus eſt. Diſco id ex ſapientum ſapientiſſimo, ſapientiæ c. 14. ità aſſeverante: Creaturæ DEI, in odium factæ ſunt; & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Habet laqveos ſuos ſuperbia, & ambitio: habet avaritia, & inſatiabilis cupiditas; habet laſcivia, & blanda carnis voluptas; quoquo vertimur. Hoſtibus cingimur. Verùm id maximè in Bacchanalibus; in quibus per induratam jam conſvetudinem, cuique, ſi ſuperis placet, ſinè piaculo inſanire licet: quò fit, ut cùm nemo deſipere ſolus facilè velit, quisque alterum in foveam trahat; unde & illud conſequitur ut multitudine maximâ in malum ruente, vix qvisquam reperiatur, qui ſolus ſapere, & non potius cum multitudine errare velit. Exemplo nobis ſit, quis credat? Magnus ille apud Romanos Marcus Antonius. Agebantur ejus temporibus Bacchanalia in urbe Roma. Quid exiſtimatis, quo ritu? tam fœdo, ut Varro ſcripſerit, ipſos eorum authores, facti puduiſſe. Circum ferebantur altis humeris per vicos, foraque & plateas diverſa eaque turpiſſima Bacchi ſimulacra: inter inconditos clamores, quibus & rugientes leones, & vaccarum mugitus

mugitus, & luporum ululatus, & hinnitus repræſentabantur eqvorum, oviumque balatus: ab hominibus ebrietate furentibus, iisque plerumque ſemi nudis: miſcebantur huic turbæ, ſummi, atque infimi; viri, fæminæ, pueri, pueræque, & vilisſima cum Heris mancipia; quidam Cercopithecum, quidam cervum, quidam caprum, hircumve induti; à quibus verber, vel plagam accepiſſe, pro divino habebatur munere; & felix credebatur, ſi quæ mulier ad communem ſaltationem abriperetur. Itum deinde in cauponas, & lupanaria; ubi dies, ac noctes inter rixas, homicidia, ac nefandiſſima ſcelera tranſigebantur; eâ urbis mutatione, ut pleriq; mortalium in beſtias abiiſſe viderentur. Spectabat iſta Marcus Antonius; & jam propè & ipſe, (tanta eſt vis exemplorum) inſaniebat. Sed, quid ajo! Marcus Antonius, ille Romanus Triumvir; ille vir, cujus ſapientiæ Patres Conſcripti Orientem gubernandum concrediderunt? ille qui tot acies fudit, tot gentes ſubegit; tot urbes domuit! tot principum Rex! tot Regum Imperator? non fallor; ecce ille Magnus inter Romanos Marcus Antonius, turbæ inſanientis exemplo abreptus, ſola larvâ vultum tectus, inſpectante Roma, nudus omnino per ſummum dedecus, per vicos, & fora & plateas, urbis, per cauponas, & tabernas, atq; ipſa etiam Lupanaria, ſceleratæ Bacchanaliſtarum catervæ immiſtus diſcurſavit.

Nimirum, qvàm difficile contra fluviū, torrentemve niti, tam difficile, cæteris omnibus compotantibus, laſcivientibus, inſanientibus non eadem præſtare. Quare admodum ſapienter ille: Seneca ad Lucil. Alienis perimus exemplis; ſanabimur, ſi modò ſeparemur à cætu. Quid tibi potiſſimum vitandum exiſtimem, quæris? Turbam. Argumentum peſſimi turba eſt. Inimica eſt multorum converſatio, Nemo non aliqvod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit. Utique quô major eſt populus, cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt. Videte, itaque Domini Academici, quomodo his diebus, caute ambuletis. Vixiſtis hactenus, per DEI bonitatem, ut homines, ut ſapientes, ut Chriſtiani, nè dicam ferè ut Religioſi. Veſtram teſtor in adeundis templis frequentiam, in recipiendis ſanctiſſimis Sacramentis devotionem, domi foriſque omnibus notum, omnibus commendatum modeſtiam. At enim ecce ab hodie tempus tentationis, & hora illi fortè ſimilis, de qva mundi Salvator Joannis. 16. 32. Ecce venit hora, & jam venit, ut diſpergamini unusquisque in propria, & me ſolùm relinquatis. O quantus numerus erit his diebus, Chriſtum deferentium, & ad inſanias Bacchanaliſticas properantium! Nec illis ſatis fuerit inſaniiſſe, niſi & veſtram præſentiam habuerint. Quid vos tunc Domini Academici! ibitis, ecce Chriſtus deſerendus eſt, non ibitis? ecce amicus offendendus eſt.

Ibitis? ululandum cum lupis. Non ibitis? timendum vobis à lupis! Elige, dicebat ad Chriſtiernum Daniæ Regem, qui rejectâ Iſabella legitima Conjuge, Holandicæ Pellici ad hæſerat, dicebat inquam nomine Cæſaris Legatus Sigismundus Herberſtein: In Geneal. fam. Herberſtein. elige; Orbem, an pellicem offenſam velis.

Placet conſilium! meum? ecce! quanquam non meum: ipſe enim ſapientiſſimus ità ſtatuit Prov. 1. Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis - - pedes enim illorum ad malum currunt; & feſtinant, ut effundant ſanguinem! - - ipſi quoque contra ſanguinem ſuam inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas! Nè autem planè nihil agere videamini; verba verbis, dicta dictis, blanda blandis, aſpera aſperis, nutus nutibus, vultus vultibus, ſigna ſignis reponite, his autem non proficientibus, etiam calcem excutite.

Si itaque vobis dixerint Sap. 2. Venite fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur cratura tanqvam in juventute celeriter! vos reſpondete eis: lætare juvenis in adoleſcentia tua; & in bono ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum; & ſcito, quòd pro omnibus his adducet te DEUS in judicium Eccl. 11. 9. id eſt, ut gloſſatur divus Bonaventura apud Cornelium à lapide hic: ſi ſapis, metu mortis, & divini judici refræna tuas voluptates, reſiſte tuis cupidinibus, amores vanos mortifica, ut judici, qui conceſſit earum uſum, ſed vetuit abuſum, congruam reddas rationem.

Si verò vobis dixerint: Prov. 1. ſortem mitte nobis cum: marſupium unum ſit omnium noſtrum. vos reſpondete eis. Nihil proderunt theſauri impietatis: Juſtitia vero liberarbit à morte. Prov. 10. Argentum eorum foras projicietur, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Ezech. 7.

Si dixerint vobis: Sap. 2. Vino pretioſo, & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis: vos reſpondete eis. Ne intuearis vinum quando flaveſcit, cum ſplenducrit in vitro color ejus; ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet Prov. 23. & Iſ. 5. Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum usque ad veſperam, ut vino æſtuetis - - Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem - - ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, ſic radix eorum, quaſi favilla erit, & germen eorum, ut pulvis aſcendet.

Si dixerint vobis: Sap. 2. coronemus nos roſis, antequam marceſcant, nul-

Digitized by Google

nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exſors ſit luxuriæ noſtræ: ubique relinqvamus ſigna lætitiæ; vos reſpondete eis: Sap. 5. Spes impii tanquam lanugo, quæ à vento tollitur; & tanqvam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt; & tanqvam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis. Quod ſi hoc nimis molle, aut abſconditè dictum, reſpondete eis clarius ex Prov. 5. Fili mi, attende ad ſapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam; ut cuſtodias cogitationes, & diſciplinam labia tua conſervent. Ne attendas fallaciæ mulieris: favus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus: noviſſima autem illius amara, quaſi abſynthium; & acuta quaſi gladius biceps. Pedes ejus deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus illius penetrant. Per ſemitam vitæ non ambulant; vagi ſunt greſſus ejus, & inveſtigabiles. Nunc ergo fili mi audi me & nè recedas à verbis oris mei. Longè fac ab ea viam tuam, & appropinques foribus domus ejus. Vel ſi hoc duriuſculum eſt, reſpondete eis, quod Jobi 21. c. Scriptum eſt: tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitum Organi: ducunt in bonis dies ſuos; & in puncto ad inferna deſcendunt.

Fortè erunt, qui dicent vobis: comedamus, & bibamus; cras enim moriemur Eſai. 22. ſed his vos reſpondete ex Lucæ 21. attendite vobis, nè fortè graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ; & ſuperveniat in vos repentina dies illa, tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedem ſuper faciem omnis terræ. Vigilate itaquè omni tempore; orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium Hominis.

Si deniq; dixerint vobis: Prov. 1. Veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini: abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra. Deglutiamus eum, ſicut infernus viventem, & integrum, quaſi deſcendentem in lacum. Vos reſpondete eis: Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos Pſ. 54 & ex Gen. 9 Quicunqve effuderit humanum ſangvinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem qvippe Dei factus eſt homo.

Quod ſi hiſce modis nihil profeceritis, tum enim verò etiam calcem excutere licebit; & per calcatum Patrem, per calcatam Matrem, Fratrem, Amicum, Commilitonem, Academicum, non Academicum, ad Chriſti caſtra ſeſe proripere. Sinite illos; cæci ſunt, & duces cæcorum! Matth 15. Ruant, quem ultro quærunt & qui ducunt, & qui ſe duci patiuntur, in interitum. Vos præſtate, ut in vos quadret eulogium, quod Tobiæ Seniori divinæ attribuunt literæ, cùm Tobiæ 1. ità de eo loquuntur. Tobias cùm captus eſſet in diebus Salmanaſar Regis Aſſyriorum, in civitate tamen poſitus, viam veritatis non deſeruit -- cumq; eſſet

juni-

junior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile geſſit in opere. Deniq; cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Iſraël; hic ſolus fugiebat conſortia omnium: Sed pergebat in Jeruſalem ad templum Domini; & ibi adorabat Dominum Deum Iſrael.

Ibunt alii ad vitulos ſuos aureos; luſum ducturi, qvalem fortè olim peſſimi Iſraelitarum ad jugum montis Sinai: at vos memineritis ire in ſanctam aliquam, aut plures DEI Eccleſias, ibique adorare Majeſtatis Dominum; quem tum nefandis modis. Peſſimo hoc tempore fermè omnis deſertum it mortalitas; Præluxit vobis in eo, qvod ſvadeo, D. Philippus Nerius; qui ſubinde centenis atque centenis hominibus comitantibus per has ferias ſeptem urbis Romanæ magis celebras Eccleſias viſitare ſolebat.

Ibunt alii ad pocula, & compotantium ſolennia; menſasqve utroqve Baccho ebrias; vos autem illam accedetis menſam, ubi panis Angelorum, & vinum germinans Virgines, proponitur: Faciebat hoc cum multis aliis Venerabilis ille ſacerdos Joannes Baptiſta Vitellius de Fulginio; ad ſuos familiares circa hæc tempora, ac præſertim die, qvem Jovis pinguis vocant; dicere ſolitus: Euge Sodales! ſatagamus his diebus diabolo deſpectum facere; atqve omnes die pinguis Jovis communicemus. l. 1. c. 9. vitæ.

Ibunt alii, veſtituq; ſtultos induti, hominem, rationemq; exuent: At vos induti Chriſtum, ejusque actus; mortificationis veſtem circumferetis in corpore veſtro: fecit hoc, præter innumeros alios Venerabilis Sacerdos de ſocietate noſtra Nicolaus Lancicius, qui quolibet Bacchanalium die, præterqvam quòd omnes ſenſus mirè caſtigabat, ſepties crudeli flagellatione in ſe animadvertebat. In vita. Fecit Beata Victoria ſanctimonialis, quæ cum ſororibus his temporibus mortificationis ſtudio intenta, quingentas uno die cenſuit victorias.

Ibunt illi, plateasq; foraqve & omnem late viciniam implebunt clamoribus, vox autem veſtra, clamoresqve ibunt usq; ad ſidera; usq; ad thronum DEI: ſic faciebat Beata Maria Magdalena de Pazzis, qvæ his diebus, ferventiſſimis ardoribus exæſtuans, voces precatorias in cœlum eâ efficaciâ mittebat planè inconditas; ut ipſo Chriſto teſte, multis peccatoribus veniam, gratiamque apud divinam Majeſtatem exorâvit.

Ibunt illi, & fatales ſibi freqventabunt ſocietates, oblitiqve DEI, oblitiqve cœli in nunqvam ſatis deflenda ferentur crimina; vos ex adverſo, toti Deo veſtro, ut centro nusquam mobili immobiles adhærebitis. Fecit hoc Divus Patriarcha Dominicus, qui, hiſce diebus præſertim, continuus Eccleſiæ incola, ad A-

vam

Digitized by Google

ram ſanctiſſimi Sacràmenti hærebat; ut quærentibus, ubi eſſet Dominicus, non niſi Eccleſia oſtenderetur.

Ibunt illi, &c, quod inter pocula proniſſimum, alibi contentiones, alibi concitabunt rixam, alibi cædes interent, & vulnera! Vos interea, aut in Eccleſia, aut domi veſtræ qvieti fruemini dulcedine pacis, & malaciâ, divinisque laudibus, & amoribus intenti, omnes cœleſtes in vos trahetis gratias. Expertus eſt id Beatus Henricus Suſo, qui dum his diebus pietatis, & mortificationis intendit exercitiis cœleſtis phonaſci cantus, melodiasque meruit percipere, & iis perfundi ſolatiis, qvas nulla lingva, nullus calamus ſatis explicuerit.

Ecce Academici; habetis meum conſilium. Quod ſi minus arridet, at ſaltèm videte, qvomodo cautè ambuletis; nam revera dies iſti mali ſunt.

(***)

Digitized by Google

Dominica prima Quadrageſimæ.

Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens, adoraveris me. Matth. 4.

Diaboli, Mundique Promiſſa, qvam picta, tam ficta,

D. Academici; jam quintus dies eſt, ex qvo unus quispiam noſtrum malè habet. Nempe ex eo tempore, ex qvo Bacchanalia luſit, & hauſtas capitis nebulas nondum plenè exterſit. Repit ille quidem per ſuum intimius penetrale, ultro citroqve, ſed faſciâ ligatus caput, & togam indutus, quam Romani cænatorium vocabant; dorſo incurvo, & pede hiulco; facie inſigniter emplaſtratâ, quæ aliqvot recenter enatis ungarius Margaritis, & contracto ex aliquot pugnis livore, Bacchi veſtigia circumfert. Bonâ gratiâ; loqvar tantiſper homini, actum quid rerum agatur, veſtris Dominationibus ſincerus referam.

Mea religioſa obſequia, Generoſe Domine; gratulor animitus de proſpera valetudine, & de feliciter, jucundeqve transactis Bacchanalibus. Nihil dubito, qvin veſtra Dominatio poſt eam animi relaxationem, quam optimè ſeſe habeat. Habeo gratias Reverende Pater Concionator, pro humaniſſima aggratulatione. Quod transacta Bacchanalia, & meam valetudinem attinet, ſuperis ſint laudes, valeo utcunqve, & vires bonæ ſunt; ventriculus etiam cibi avidus eſt. Sed. (Academici! vult dicere, valere ſe qvidem, at dolere caput, & necdum abſterea eſſe ex integro, qvæ ex compotatione Bacchanaliſtica, retulit verbera.)

Ai! bene factum, qvod veſtra Dominatio ſepoſitis tantiſper curis gravioribus nonnihil libertati, & auræ dederit. Oportet arcum quandoq; remittere, niſi frangere velimus. Vetus, ac ſaluberrimum documentum eſt: interpone tuis interdum gaudia curis. Fateor, fuimus læti in Domino. Cænatum per triduum, ſemper usqve in diem poſterum: bibitum, pæne ad nauſeam; ſed in optima confidentia. Nec ſatis memini, qvando, aut qvomodo domum meam dierum ultimo perlatus ſim. Sed! (Academici! vult dicere; læta qvidem fuiſſe Bacchanalia, ſed non ſinè marſupii diſpendio; & præterea univerſa ſic in optima confidentia fuiſſe peracta, ut tamen adhuc accepta verbera, infirmo dorſo circumferat:)

Et non adhibuère veſtræ dominationes Muſurgos ad ſympoſia? ſinè Muſica, qvid ſunt convivia? & Plato, illud græcæ ſapientiæ miraculum, & Scipio illud Romani belli fulmen, cum ſatis inter cænandum ſunt philoſophati, velut poſt peractum prælium ad triumphum, adhibuère Muſicam.

Ai,

Ai, qvid dubitat Reverendus Pater Concionator, Muſicam ſuper Muſicam. Atqve ut meam mihi culpam ipſe dicam, fateor, etiam unam, atque alteram ſaltationem ſublatis menſis fecimus. Verùm, intra honeſtatis leges; & nullo, quantum exiſtimem, ullius ſcandalo. Sed. (Academici, vult dicere; ſaltationem illam quidem intra honeſtatis leges conſtitiſſe; nihilominus, qvòd homo teneram admodum conſcientiam habet, ſcrupulis rem non carere; qvamvis enim in Caſuiſtis legerit, ſaltum ſpectatâ præcisè ejus naturâ, ſolùm eſſe lætitiæ indicium, neque culpæ obnoxium, tamen ſimul ex D. Gregorio, Chryſoſtomo, D. Maximo, aliisq; ſanctiſſimis Patribus, & ipſa experientia certum habet, choreas quam rariſſimè à Juventute, abſqve gravioribus peccatis haberi; ideoqve jam totus in eo eſt, qvomodo factum in Confeſſione exponat. Metuit ſcilicet, nè Confeſſarius inclamet, qvod Cicero pro Muræna dixit: nemo ſaltat, niſi ſtultus, aut ebrius ſit.

Quomodo autem, ſi qværere liceat, qvomodo Generoſe Domine ſeſe habuerunt reliqva? Nihil nè ſpectaculorum; nihil hiſtriorum, aut Mimorum nullane adfuit Larvata Societas? Si qvando, mi Reverende Pater, tum his Bacchanalibus plena ſimilium ſapientum fuerunt omnia. Aderat Sempronius, ſimul & Copronymus, nec non & Stephonius; Ludmilla, Camilla, Sibylla; & qvis omnes enumeret; omnes tamen ſub Mimico veſtitu, & nè ſolis nobis ſtulti eſſemus, etiam nos urbi propinavimus. Non mihi magis unqvam ſapere viſus ſum, adeò veſtis ſtultitiam meam tegebat. Sed. quid, ſed? ſed poſt omnia. Quid poſt omnia? ſed deniqve; qvid deniqve? deniqve homines ſumus. Hoc dudum ſciebam. Deniqve lepidiſſima capita ſumus. Cur enim ità? Credimus nos ſubinde neſcio qvas lacte & melle fluentes jucunditates, obtenturos; promittimusqve nobis neſcio qvos latos jocos & gaudia; & cùm multùm deambulavimus, ad cæpas, & allia redeundum eſt. Longè alia ego de Bacchanalibus. Rebar ego, ſperabamqve læta, jucunda, fauſta, & ſaccaracea omnia: & ecce nondum dolores crapulæ edormire potui: inſuper aliqvod vulnera, levia qvidem, ſed tamen livida adhuc dorſum, vultusqve circumfert; & præterea neſcio qvis Claudianus meus pes inde factus eſt. Ità mi Pater, ità nobiſcum ludit mundus: Magnus ut Dominus ſe habet, promittit multa ſervat nihil. Imo promittit multa, & reſervat plura: promittit læta, & ſervat triſtia, pacem, & reſervat inqvietudinem, corporis reſtaurationem, & inducit infirmitates. O he! quàm tuſſio, ignoſcat veſtra Paternitas; cogor receptui canere commendo me ſervus veſtræ Dominationis; bene habeat, commendo me.

Audiſtis DD. Academici? Sic omnino eſt. In hunc modum miſeros mor-

tales ludit mundus. Nobile par fratrum: Mundus & Diabolus. Quid Diabolus! innumera promittit. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Hæc omnia! quæ illa omnia? Hæc! quæ illa hæc? hæc omnia regna mundi? qvæ illa regna mundi? ea qvæ Chriſto Domino in excelſum montem ſublato oſtendit ſpiritus. Sed quænam illa? D. Cyprianus exiſtimat per Diabolum fuiſſe in Chriſto phantaſma excitatum, qvod illi univerſa regna mundi repræſentârit. Hæc ergo illa omnia, qvæ Diabolus ſe daturum promittit; aliquot picta Africam, Aſiam, Americam, & Europam repreſentantia phantasmata! ô ſpiritum neqvam, ô phantaſticum remuneratorem, Toletus, inter ſui temporis ſidera, facilè princeps, exiſtimat Diabolum efformaſſe in aëre ſpecies qvasdam, quæ regna mundi dejungerent. O ſpecioſam ſpeciem; plurima in ſpe; nihil in re, ſeu multa inſpecie, nihil in individuo! Theophilactus arbitratur, à Diabolo efficta qvædam fuiſſe regnorum hujus mundi ectypa, velut in picta tabula. O Pictorem, fictorem, regna mundi pollicetur, ſed deſcripta in tabulis chortaceis. Facturus reges, & principes, ſed chartaceos, ſed papyraceos. Sunt, qui putent, Diabolum Chriſto Domino omnem mundi repræſentâſſe ſitum, per catoptricam ſpeculorum diſpoſitionem, coordinationemqve, ô fragiles mundos, quos in fragili fundatos vitro, mortalibus præſentat Diabolus. Ita nempe multa, & magna promittit, ſed ut ſcholaſtica noſtra juventus loqui ſolet, poſt omnia Diabolum dabit: qvis enim dat, qvod non habet. Quid habes infelix, qværit, è buccinatore illo D. Cyprianus, quid habes niſi paupertatem, cur ergo divitias promittis?

Jam DD. Academici; qvid iſte mundus? qvod Diabolus: promittit multa, uti diabolus, promittit magna uti Diabolus, promittit felicia ut diabolus mentitur ut diabolus. O Homines! Homines. Quam vellem vobis hodie velamen auferre, qvod veſtros oculos faſcinat, vos iſtum mundum exiſtimatis eſſe qvendam circulum conflatum ex meris beatitudinibus. Eſt: Sed circulus quem Arithmetici Nullam vocant. Audite Eccleſiaſtem c. 2 vidi, inqvit cuncta, quæ fiunt ſub ſole, & ecce univerſa vanitas. Audite Jeremiam prophetam c.4. Aſpexi terram, inqvit: & vacua erat, & nihili.

Vos exiſtimatis hunc mundum eſſe puriſſimam quandam omnium poſſibilium pulchritudinem, & deliciarum repræſentativam cryſtallum. Eſt. Sed cryſtallus, quæ dum placet decipit. O formoſe puer, nimium nè crede colori. Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur. Monet Poëta. Sunt multa fucis illita, quæ luce purgeatur tuâ: orat ad DEUM Sancta CHRISTI Eccleſia.

Vos

Vos exiſtimatis tunc mundum eſſe omnis felicitatis oceanum. Sed qvi easdem, qvas dedit, avarus repetit, abſorbetq; opes. Doctum ſomnium potius dixeritis: dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis pſ. 75. ſomnium illum divitem fecit, evigilatio pauperem fecit, ſubjungit M. Auguſtinus.

Vos exiſtimatis mundum hunc eſſe Rotam, qvà Fortuna, omnisqve proſperitas vehitur. Eſt; ſed rota in qva aſcendis, ut deſcendas. Deſcendi in domum figuli & ecce ipſe opus faciebat ſuper rotam: & diſſipatum eſt vas Jerm. 18. rem malè factam! ſed patientia! jam diſſipatum eſt. Ità fit. Fortunam citiùs reperias, qvàm retineas, non tantùm aurea eſt, ſed & vitrea, cùm ſplendet, frangitur. Tacitus 13. Ann.

Vos mundum hunc exiſtimatis eſſe Pandoræ pryidem, in qvam omnes delicias, & gratias ſuas cœlum, terraqve congeſſerit. Eſt. Sed tinnit. Ut qvid diligitis vanitatem, & qværitis mendacium? Pſ. 4. Vanum idem, qvod vaçuum eſſe dicitur inqvit in hunc locum D. Baſilius. Ut quid igitur diligitis vacuum? & quæritis mendacium? qvod mendacium? Mundum, reſpondet Auguſtinus. Homo parvus mundus. Omnis homo mendax; homo igitur parvum mendacium, Magnus mundus, magnum mendacium; ut qvid igitur diligitis mundum?

Cur mundus militat ſub vana gloria,
Cujus proſperitas eſt tranſitoria
Tam citò labitur ejus potentia.
Quàm vaſa figuli, qvæ ſunt fragilia.

Deſcendi in domum figuli, & ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam, & diſſipatum eſt vas. Quid mundus! Bulla eſt, quàm levis, tam brevis. Sic evanuit, Rex Samariæ ſicut ſpuma ſuper aqvam. Oſee 10. de his bullis, ſpumisqve D. Gregorius l. 10. mor. c. 5. cùm excreſcunt, ut appareant, creſcendo peragunt, nè ſubſiſtunt.

Quidquid hoc ſæculo mortali naſcitur
Momento ſeritur, momento conditur,
Momento panditur, momento clauditur,
Momento ſtruitur, momento labitur.

Quid mundus? Arancarum tela eſt. Levi dirumpitur aura. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur Pſalm. 89. ſicut tela aranearum fiducia ejus Job. 8.

Quid fidis robori, & ſaxa corruunt,
Et manus marmora prædura diruunt;

Digitized by Google

Quæ ſæclis ſteterant, ſcintillas metuunt
Et imbres chalybem, ferrumq; diluunt.

Quid mundus? præceps flumen eſt, cum affluit, effluit, generatio præterit, & generatio advenit. Eccleſ. 1. Omnes movimur, & quaſi aqvæ dilabimur ſuper terram. 2. Reg. 14.

Qvid annos numeras? momento rapimur,
Qvid genus, proavos! momento morimur,
Quid opes! judici ſiſtendi ducimur!
Et fortè ignibus damnandi cingimur.

Quid mundus? Theatrum eſt, Naſci prologus; mori epilogus. Medium tenet perſonata felicitas. cui naſci contigit, mori reſtat. Dumqve orimur, morimur, finisqve ab origine pendet; niſi quòd plerumqve tragœdiam ludimus & extrema gaudii luctus occupet.

E ſummo vertice momento labimur,
E primo culmine momento pellimur,
E ſummis opibus momento exſcindimur;
E celſo munere momentô excutimur.

Quid mundus? Globus eſt, hoc ipſo inſtabilis, qvod rotundus. Præterit figura hujus mundi. 1. Cor. 7. mundi ideo dixit figuram, qvia ejus bona Solo terminantur aſpectu, & nullo fundamento ſubſiſtunt, ſcribit Theophilactus. Quid me felicem toties jactâſtis amici? Qui cecidit, ſtabili non fuit ille gradu. Boëtius de Conſ. metro.

Quo Remus, Romulus, ſextus Tarqvinius!
Qvo Titus, Tatius, Tullus Hoſtilius!
Qvo Ancus Marcius, ſerviusq; Tullius?
Priſcus Hercules Druſusq; Manlius.

Quid mundus? Mare eſt, inſtabilis unda; mundus inconſtantior, uterqve ſemper varius, alius, & alius. Riſum ſequuntur naufragia. Mundo & mari nè mortales credite, atrox eſt veſter mundus mare.

Plus fide Oceano, plus Æthnæ montibus,
Et plus mortiferis Beroſi fontibus:
Plus cœlo nubibus Saxa vomentibus
Quàm ſponſionibus mundi fallentibus.

O quantùm igitur erratis Academici, qvotqvot veram felicitatem, lætitiam ac beatitudinem in hoc mundo eſſe putatis! ſurrexit illa, & non eſt hic, dudum exceſſit erupit, evaſit illa. Quod promittitur, tantum modo perſona tum eſt.

Video

Digitized by Google

Video nucem arborem, quàm formoſam foliis, tam gravem fructibus, Veſtrarum divitiarum AA. hoc ſymbolum eſt, Eheu! quot illa Saxa ſentiet, quot impetetur perticis, quot concutietur fuſtibus. Nocet eſſe feracem; potentes potenter tormenta patientur. Sap. 6

Video latè patentem de incendio ſpargi ſplendorem; hoc AA. veſtrorum mundanorum honorum Symbolum eſt, qvos non fumos, qvas non dabunt hæ flammæ lacrymas. O Solon! Solon! exclamabat non abſqve lacrymis Crœſus Rex; cum omnibus honorum titulis exutus, ſuper ſtructâ pyrâ exurendus conſiſteret. Utinam caput corona nunqvam cinxiſſet; pœnitet fuiſſe Regem, melius ego in aliqvo deſerti angulo extra mundanorum negotiorum tumultum, extra plauſus hominum, vixiſſem; dicebat inter lacrymas moriturus Hiſpaniarum Rex Philippus Tertius.

Video explicatam foliis, illuſtrem coloribus, fragrantem odoribus Roſam! Hoc deliciarum mundanarum ſymbolum eſt. Sed DEUM immortalem! quot illa cincta ſpinis, qvot horrida aculeis, qvibus cuſtodita paliuris. De Roſis veſtris dixit Valerius Epiſcopus hom. 6. cum oblectant ſæviunt; cum blandiuntur, occidunt.

Denique video hunc mundum eſſe flammam; cujus noviſſima; fumus. Video eſſe ſplendidum fulgur: cujus poſtrema, tonitrua, & fulmina. Video eſſe Cygnum; poſt cujus cantica funus. Video eſſe ſcorpium: in cujus extrema parte venenum. Video eſſe Circulum, in quo nihil rectum! video eſſe punctum, in qvo ad inferna deſcenditur. Fallax eſt hic mundus, inqvit Petrus Bleſſenſis; finis dubius, exitus horribilis, judex terribilis pœna infinibilis.

Verum, qvorſum ego tot argumentorum, & ſimilitudinum ambagibus meridianam venor lucem! veſtram conſcientiam, experientiamqve DD. AA. appello. Quisqvam ne veſtrum eſt, qvi poſt adhibitos omnes conatus, poſt tot factas pecuniarias expenſas, poſt tot circa ſympoſia, luſus, & ſaltationes bacchanaliſticas, transactas curas, eam obtinuit, qvam ſibi promiſerat judicunditatem, & lætitiam? vix perſvadeor, vel ex tota noſtra triurbe, milleſimum reperias, qvem ſuæ vanitatis, ac ſtultitiæ non pudeat. Niſi fortè quisquam his temporibus Salomone ſit aut ſapientior, aut ſtultus magis; qui de ſe Eccl. 2. ſcripſit: omnia, qvæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis. Nec prohibui cor meum, qvin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, qvæ præparaveram. Cumq; me convertiſſem ad univerſa opera mea quæ fecerant manus mea, & ad labores, in qvibus fruſtra ſudaveram; vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.

Sed

Sed utcunque vobis res ſecundum vota veſtra fluxerint; fuerint vobis lætæ ſymbolæ, frequentes compotationes, jucunda ſocietas, Muſurgi, & obtatæ choreæ; fuerint læta ſpectacula, ludicri diſcurſus, jociq;, qvales vobis mundus promittebat; nihilne tamen rixarum, nihilne ſaltem æmulationis, nihil diſguſtuum interceſſit? nullusne communem lætitiam turbare auſus? cunctane ſic peracta, ut adhuc conſcientia ſuam pacem corpus, ſuam tamen valetudinem retinuerit. Tamne angelicè univerſa perfecta, ut adhuc cum candicante tilio in conſpectu Dei ſtare poſſitis?

Miracula narratis ſi omnia, cum dicta felicitate peregiſtis. Certè cum noſtro Domino Academico, de qvo initio exhortationis memini res ſe habent longè aliter, qvi ſi ſeſe per Bacchanaliorum tempus Domi ſuæ tantiſper ſervâſſet, ac potius loqventem conſcientiam, quàm mundum audiſſet blandientem; non ille hodie opus haberet medico, qvi corpus; non chirurgo, qvi vulnera, non confeſſario, qvi curaret animam! Sed patientia: Mundus vult decipi, ultro qværimus hoſtes; ultro in laqveos ruimus. Clamant à ſæculis ſacri concinatores; & ex hac eadem exedra, qvoties dictum eſt: mundus fallax eſt: equo nè credite Teveri. Parcite oves nimium procedere, non bene ripæ creditur. Frigidus ô pueri fugite hinc, latet angvis in herba! ſed mundus vult decipi. Ergo revancé. Toties decepti, & vos ſemel mundum decipite. Quomodo! qui multam illi fidem promiſiſtis nullam ſervate. Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

(o)

Do-

Dominicâ II. Qvadrageſimæ, cum in eam incidiſſet Jubileum.

Surgite, & nolite timere, Matth. 17.

De Jubileo.

SEpoſito hodie tantiſper Exhortatoris officio, bonâ gratiâ veſtra Academici, aggrediar munus Profeſſionis Caſuum. Anſam mihi præbuit tum hodiernum Evangelium, tum præſentis anni Jubilei tempus. Evangelium quidem: quia illic video tres diſcipulos Chriſti D. Petrum, Jacobum, & Joannem factos Caſiſtas: *ceciderunt* inquit Matthæus, *in faciem ſuam, & timuerunt valde.* Quos dilectiſſimus eorum Magiſter ad ſurgendum animans; *ſurgite* inquit, *nolite timere.* Qui cadit ille paveſcat; qui ſurexerit, nè timeat.

Alteram anſam mihi præbuit præſentis Jubilei tempus. Academici! cecidimus omnes: etenim ſepties cadit etiam juſtus; Prov. 24. & Eſaiæ. c. 64. *cecidimus quaſi folium univerſi*, ex arbore vitæ ſcilicet, in terram mortis. *Non eſt homo, qui non peccat.* 1. Reg. 8. *& omnis homo mendax* pſ. 115. quid autem mendax, niſi lapſus lingua, & cadens à veritate?

Ecce ergo Caſiſtas: qui niſi ſurgant, habent, unde timeant. *Horrendum enim eſt incidere* (nec ſurgere) *in manus DEI viventis, ad Heb. 10.* unde Apoſtolus ad Rom. 13. *Fratres hora eſt jam nos de ſomno*, in quem per peccata, teporemqve noſtrum cecidimus *ſurgere.*

Qvando? jam Academici. Jam; cùm ſanctiſſimus Pontifex, univerſalis Eccleſiæ amantiſſimus Pater Alexander Octavus propoſito anno Jubileo omnibus nobis inclamat: ſurgite, quotquot gratiâ divinâ, quotquot jure filiorum DEI excidiſtis: ſurgite, nolitè timere. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*, de quibus illud Apoſtoli 2. Cor. 6. intellexeris: *Fratres, hortamur vos, nè in vacuam gratiam DEI accipiatis: ait enim: tempore accepto exandivi te; & in die ſalutis adjuvi te.* Hoc tempus, tempus Jubilei; in qvo, qvisqvis noſtrum cecidit, modò velit, reſurgere poteſt in vitam æternam.

Modum ſurgendi expono: non ignarus, quod plurimis nihil novi ſim allaturus; ſed ſimul certus, qvod nihilominus ſaltem nonnullis rem nondum ſatis perſpectam, aut oblivionis ruderibus obrutam ſim luci daturus. Eam univerſam, aliquot de Jubilei ratione, adjunctisque propoſitis, reſolutisque quæſtiunculis, dum patientes aures dabitis, abſolvam.

Quæritur igitur primò, quid ſit annus Jubileus, & quid Jubileum! Reſpondeo; Annum Jubileum alium fuiſſe in lege veteri, alium in lege nova gratiæ.

In lege veteri mandaverat DEUS celebrari ſpecialiter annum quinquageſimum, in quo Iſraelitico populo præcipiebatur vacare ab omni agricultura; ab omni debitorum exactione: inſuper mandabatur omnes poſſeſſiones antiquas dominis prioribus abſq; pretio reſtituere; denıq; omnes ſervos libertate donare, uti clarè conſtat ex lev. 25. & 27. qvi annus quinquageſimus annus Jubileus, ſeu Remiſſionis dıcebatur. Erat autem ille annus Remiſſionis, figura plenæ remiſſionis peccatorum, quæ in lege gratiæ per Chriſtum facta eſt ad introitum Regni cœleſtis, ſicut conſtat ex Iſaiæ c. 61. & Lucæ 4.

Ad hujus Anni Jubilei imitationem dictus eſt quoque in lege gratiæ, annus Jubileus, qui Romæ cum pleniſſima omnium peccatorum Indulgentia, magno animarum gaudio, fructuqve & ſolatio, maximaque ſolennitate celebrari conſvevit. Eum Bonifacius VIII. ante annos trecentos, centeſimo quoque anno celebrandum ſtatuit in extrav. 1. de pœnitentia; & Remiſſione. Quamvis longè ante Bonifacium is mos Indulgentias promulgandi in Eccleſia fuerit; & ab ipſis Apoſtolorum temporibus, continuâ traditione ad nos pervenerit, ut videri poteſt apud Rutilium Benzonium l. 3. c. 5. de anno Jubileo. Quo libro, c. 4. idem Author docet per Petrum Apoſtolum, primum Chriſtianorum Jubileum, anno à Nativitate Chriſti qvinquageſimo indictum, ac celebratum eſſe. Poſt Bonifacium vero Clemens VI Jubileum ad annum qvinquageſimum revocavit, in Extravag. Unigenitus. Paulus autem II. ad annos 25. quem ſecutus eſt Sixtus IV. in Extrav. Qvemadmodum.

Fiebat autem anno Jubileo tantus ad Limina Apoſtolorum, concurſus fidelium, ut tempore Bonifacii VIII. quantumvis plateæ, ac fora Romanæ Urbis vaſtiſſima; multitudinem tamen vix caperent; multiq; hominum ſibi occurrentium vitæ adirent periculum: ac ſubinde etiam ſuffocarentur. Ex quo grandiſſimo advenarum confluxu A. C. 1300. oculatus teſtis Petrarcha ortam exiſtimat illam grandem peſtilentiam, quæ univerſam Italiam pervaſit eâ crudelitate, ut vix è decem animabus una reſidua relinqueretur.

Demum, cum ad Urbem tam remotis gentibus accedere, eſſet aut impoſſibile, aut difficillimum; viſum eſt ſummis Pontificibus annum Jubileum non ſolum Romæ, ſed per omnes mundi Eccleſias ſuis temporibus extendi debere; ità ut non ſoli illi, qui in Urbe, ſed omnes ubivis locorum, præſtantes ea, quæ præſcribi ſolent, plenariam peccatorum ſuorum Indulgentiam, gratiasque alias conſequi poſſent. Eſt ergo Annus Jubileus annus Remiſſionis, in quo qvisqve fidelium à Cenſuris, pœnisque Eccleſiaſticis, univerſisqve peccatis plenariam Indulgentiam, ſecundum tenorem Pontificiarum Bullarum acquirere poteſt.

Qvæ-

Digitized by Google

Qværi poteſt 2. quid ſit Indulgentia? & qvid ſit conſequi aut plenariam, aut alia in Indulgentiam? Reſpondeo: Indulgentia eſt gratia, quâ certo aliquo opere, qvod concedens Indulgentiam præſcribit, præſtito, debita DEO pœna temporalis extra Sacramentum, ſacrificium, & Martyrium, per applicationem ſatisfactionum JESU Chriſti, & Sanctorum remittitur. Ità S. Thomas, & communis.

In ordine ad quod melius percipiendum, obſervare nos oportet in omni peccato qvod adverſus Deum committimus, reperiri duo: culpam ſc. & reatum. Eſt autem culpa voluntaria deordinatio, vel privatio boni, ut eſt apud S. Thomam p. 1. q. 48. a. 5. &c. reatus verò eſt debitum pœnæ ſuſtinendæ ob commiſſum peccatum, qui duplex eſt; peccato enim mortali debetur pœna æterna; veniali pœna temporalis, vel in hac vel in altera vita ſubeunda. Ubi rurſum obſervare nos oportet, poſſe homini remitti culpam, non remiſsâ pœna, qvemadmodum legimus 2. Regum 12. ubi poſtqvam Rex David ſuper peccato homicidi atque adulterii à ſe commiſſi pœnitentiam egiſſet; ablatum quidem eſt ab eo peccatum quantum ad culpam, atque etiam qvoad pœnā, quam in curreret æternam; non tamen ablatum fuit qvantùm ad pœnam temporalem: etenim illi DEUS per Prophetam ſuum, notum fieri voluit, Filium, qvem ex adulterio ſuſceperat, in pœnam patrati criminis infantulum moriturum. Quemadmodum etiam eam rem eventus comprobavit. Adhuc & illud obſervemus; ejusmodi culpas, & reatus in ſacris ſcripturis varia ſortiri nomina: præſertim autem dici vincula. Ita Iſaiæ 5. v. 18. dicitur: *quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Et Pſ. 115, *dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*; & Jeremiæ 30. *erit in die illa, ait Dominus exercituum: conteram jugum de collo tuo, & vincula ejus dirumpam; & non dominabuntur ei amplius alieni, ſed ſervient Domino DEO ſuo.* Obſervandum quarto, hanc vinculorum ruptionem poſſe fieri primò, extra ſacramentum, uti contigit Lucæ 7. cum mundi Salvator pœnitenti Magdalenæ ſua peccata remiſit: & Lucæ 22. cùm Latroni in cruce pendenti idem Salvator delicta ignoret. Secundo per Sacramentum: ut cum baptiſmum ſuſcipimus, aut ſecundum Eccleſiæ conſvetudinem peccata ſacerdoti poteſtatem habenti, confidemur: ubi nihilominus ea intercedit diverſitas, qvod per baptiſmum non modò culpa, ſed & pœna; per Confeſſionem autem ſacramentam non hoc ipſo remittantur pœnæ; Sed remanent plerumque quædam peccatorum reliqviæ, aut in hac, aut altera vita eluendæ.

Hæ autem peccatorum reliquiæ rurſum duplicis ſunt generis; quædam enim qvodvis peccatum conſequuntur: qvemadmodum hoc ipſo qvod qvis mortali culpâ ſeſe obſtrinxerit, aut veniale delictum admiſerit; obligatus eſt

 divinæ

Digitized by Google

divinæ Juſtitiæ ſatisfactionem præſtare, aliqvam pœnam ſuſtinendo, aliæ ſunt certis criminibus ſpecialiter ab Eccleſia impoſitæ: ita olim in Eccleſia conſvetudo ferebat, ut ſi quis falſum juramentum perpetraſſet, eum oportuerit per dies 40. ſolenniter jejunare. Et ſi qvis homicidio, aut adulterio commaculaſſet animam, is decem annis pœnitentiam agere jubebatur. Et Theodoſius Imperator, quod multos Theſſalonicenſium Civium iniqve occidi juſſerat, à S. Ambroſio veſtitus fuit per octo continuos Menſes Eccleſiam accedere.

His obſervatis, dicendum, Indulgentiam eſſe gratiam, qua non culpa, ſed pœna temporalis remittitur. Quæ Indulgentia ſi plenaria eſt, tunc ità omne illud vinculum, quo anima ligatur ſolvit, tollitque, ut eam conſecutus ſi è vita diſcederet, absque omni pœna purgatorii vitam adiret æternam: quantumvis forte propter ſua priora crimina pœnas purgatorii meruiſſet centum millium annorum. Si verò Indulgentia partialis ſit; putà ſi ſit ſeptenæ remiſſio, tunc remittitur pœna, qvam qvis juxta veterem Eccleſiæ conſvetudinem ſeptem annis ſufferre debuiſſet, tum jejunando, tum ab Eccleſiæ aditu abſtinendo. Si eſt remiſſio Quarantenæ, tunc eſt remiſſio pœnæ, qvam quis olim 40. diebus ſubire tenebatur: jejunando in pane ſolo, ac aqua.

Fundatur autem hæc Indulgentias conferendi poteſtas in dicto ſalvatoris noſtri Matth. 16. ad Petrum, ejusqve ſucceſſores dicentis: *Tibi dabo claves Regni cœlorum: quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Ulterius fundatur hæc poteſtas in meritis, ac Paſſione Domini Noſtri JESU Chriſti, ac Sanctorum. Chriſtus Dominus enim eſt fons ille, unde omnis ea in Eccleſiam emanat, tum peccata, & culpas, tum reatus & pœnas ſolvendi gratia; juxta illud Iſaiæ 12. *haurietis aquas cum gaudio, de fontibus ſalvatoris.*

Quæritur tertio: quæ ſit inter Indulgentiam plenariam, & Jubileum differentia? Reſpondeo alias eſſe extrinſecas, alias intrinſecas. Prima Extrinſeca eſt, qvia Indulgentiæ extra tempus Jubilei non expetantur cum tanto fervore ac devotione: unde conſeqvi neceſſe eſt, ut pauci admodum eas adipiſcantur: etenim veri tempore Jubilei conſvevimus univerſi, nos & magis ad tanta comparare myſteria & plura præſtamus ex operibus, qvæ iram DEI omnipotentis flectunt; adeoq; ejusmodi occaſione plurimi fiunt Indulgentiarum participes. Secunda: quia extra Jubileum plerıq; vel parvi æſtimant, vel prorſus obliviſcuntur harum gratiarum, qvantumvis ſæpe ejusmodi Theſauros conſequi poſſent: & quotusquisq; eſt, qui ſtudet grandes illas Indulgentias, quæ ſingulis diebus quadrageſimæ in templis ſocietatis ab unoqvoqve fidelium, dictis aliqvot Pater & Ave obtineri poſſunt, indipiſci? At verò tempore Jubilei univerſi ſibi ducunt gran-

grandi ſcrupulo oblatum ſibi gratiam negligere: inde fit ut multitudo orantium, & comprecantium, virtute unitâ, adeoqve fortiore facilius divinam obtineant miſericordiam. Quemadmodum Jacobus Gardinus refert citatus à P. Nadaſi, A. C. M. CCC. qui Jubileus erat omnes omnino animas è purgatorio liberatas eſſe: idq; volentem, nolentem dæmonem ex energumeno fateri debuiſſe. Tert. & intrinſeca differentia inter Jubileum, ac plenariam Indulgentiam eſt, quia extra jubileum non quisque cuique ſua peccata confiteri validè poteſt; Sed reſtricti ſumus ad certos, & à ſuperiori poteſtate determinatos Confeſſarios. Ità nec Religioſus Franciſcanus Dominicano, nec Dominicanus Franciſcano extra Jubileum, aut ſpecialem facultatem, aut neceſſitatem validè peccata confitetur ad obtinendam Sacramentalem abſolutionem. At verò tempore Jubilei, quale hodiernum eſt, qvisqve ſibi ſacerdotem, modo aliunde ab Epiſcopo approbatum, in Confeſſionem eligere poteſt. Qvarta differentia eſt, quia extra Jubileum non cujus licitum eſt abſolvere à peccatis, aut ſummo Pontifici, aut Epiſcopo, aut alteri alicui ſuperiori reſervatis, niſi fortè ſpecialem ad hoc facultatem obtinuerit. Ita non quivis etſi approbatus ſacerdos poteſt abſolvere à lectione, aut retentione librorum hæreticorum: aut Machiavelli, vel Molinæi; quia eſt Caſus Bullæ Canæ, & ſpecialiter ſummo Pontifici reſervatus. At in hoc Jubileo cuivis ſacerdoti approbato licitum eſt ab omnibus caſibus tam Pontificiis, quàm Epiſcopalibus reum abſolvere; quemadmodum etiam à Cenſuris Eccleſiaſticis, putà Excommunicationibus, Interdicto, ſuſpenſione, propterea incurſis. Quinta differentia eſt; quia extra Jubileum ſimplex Sacerdos non habet facultatem commitandi vota, quemadmodum eam per hodiernum Jubileum acqvirit; ita ut excepto voto Religionis ac Caſtitatis, perſpecta obligationis causâ, & aſſignato aliquo conveniente opere, univerſa vota, etiam itineris ad limina Apoſtolorum pro hac vice poſſit commutare.

Quæritur Qvart. Quid verò faciendum, ut nos harum gratiarum participes faciamus? Reſpondeo ſeptem reqviri. 1. Ut Jubilei gratiam conſeqvi velimus; nam *invito non datur beneficium*, ut eſt in Regula Juris L. invito. in digeſtis 2. ut ſacramentaliter confiteamur. 3. ut ſacro ſanctum Evchariſtiæ ſacramentum ſumamus. 4. ut tres Eccleſias S. Viti, Beatiſſimæ Virginis in Tein, & S. Henrici viſitemus: qvamvis etiam, duas, vel unam earum viſitaſſe, ſufficiat, 5. ut in dictis Eccleſiis pias ad DEUM preces fundamus. 6. ut feria quartâ, ſextâ, & Sabbatho ſecundum Eccleſiæ conſvetudinem jejunemus. 7. Deniqve ut juxta noſtram cujusqve devotionem, aliqvam eleemoſynam pauperibus erogemus. Quæ omnia

Digitized by Google

mnia præſtari oportet intra ſpatium duarum hebdomadarum; initium faciendo ab hodie, niſi quis cum Phrygibus venire velit.

Quæritur quint. An ſvadendum, ut ad gratiam Jubilei tanto facilius & abundantius conſeqvendam, qvis bonam aliqvam Confeſſionem inſtituat. Reſpondeo, malam Confeſſionem nunquam, nè qvidem Jubilei tempore eſſe licitam; qvandoquidem hac ratione non tolleremus, ſed augeremus delicta. Bona ergo ſit, imo qvàm integerrima, & ferventiſſima,& doloroſiſſima noſtra peccatorum Confeſſio. Quod ſi verò quis per bonam Confeſſionem, generalem aliquam peccatorum ſuorum, vel ex tota vita, vel ex parte, Manifeſtationem intelligit; tum enim vero author eſſe velim, nè ullus quidqvam eorum negligat, quæ illi hoc in puncto ſancta Conſcientia dictaverit. Confeſſionem generalem facere multis ex capitibus, ſanctum, atqve ſalutiferum eſt. Primo qvidem, qvia Confeſſiones noſtræ conſvetæ, etiam à Dominis ſtudioſis ſæpe fiunt valde obiter, & ut Barbarè, de re barbara loqvar; per hinclum clincum. Nullà vel exigua præparatione, vix aliqvo Dolore præmiſſo, nullà reflexione ad Bonitatem DEI, quæ offenſa eſt, nulla ad peccatorum gravitatem animadverſione; nullo ferè emendationis propoſito: irrumpitur in Confeſſionale ad modum eorum, qui Sagunti muros arietaverunt; deblateratur numerus peccatorum; quaſi ex Alvaro, nulla ſupina mico, ſtrido ſeu ſtrideo gignunt, adverſus æmulum concertando, recitetur; quo vix finito recurritur ad proximos Sodales, garritur ùt antè, ridetur ut antè, petulcitur ut antè. Et hæc debebat dici, eſſeque Confeſſio. Qvo fit, ut prorſus exiſtimem ſæpe à Dominis Studioſis Confeſſiones fieri nullas, imò ſacrilegas: cum ejusmodi Pœnitentes, neque neceſſarium dolorem de peccatis, neqve verum emendationis propoſitum attuliſſe videantur, Omnia his contraria cremunt in Confesſionibus generalibus. Nam & ipſa præparatio ſolet eſſe accuratior, & dolor de peccatis intentior, cum ſc. Dominus Academicus videt ingens Regiſtrum peccatorum, defectum, negligentiarumque ſuarum, & vix ſupereſſe præceptum, qvod violatum non ſit: & ſe adhuc extra infernum vivere. Enim verò erubeſcit, ad tantam DEI miſericordiam, & ſuam ingratitudinem, impietatem, malitiamqve deteſtatur. Inde adamantinum firmatur propoſitum, in omnem æternitatem DEUM nè vel leviſſimi offendendi. Aſſumuntur etiam pœnitentiæ Mortificationes, ac devotiones ultra ſolitum, qvibus divina Majeſtas placetur. Qua ratione ſæpe accidit, ut graviſſimi peccatores factà unà bonà generali Confeſſione in magnos ſanctos evaſerint. Accedit, quod in ejusmodi Confeſſione magnus

gnus exercetur actus demiſſionis, dum univerſos nævos coram Sacerdote exponimus, indeqve fit, ut vel ex hoc ſolo, multum nobis de pœnis purgatorii minuamus, & cumulum meritorum in cœlo augeamus; præterqvam quòd eam hominibus animi tranquillitatem obortam ſæpius viderimus, ut peractâ ejusmodi Confesſione dicerent, ſe jam libenter ſtatim velle mori, adeò cor ſibi pacatum, & in Deo fixum eſſe.

Quæritur Sext. Quænam cauſæ ſummo Pontifici fuerint Jubileum hoc inſtituendi. Neqve enim abſqve graviſſimis momentis ejusmodi gratiæ offerri conſvevère. Reſpondeo, me qvidem non eſſe Conſiliarium ſummi Pontificis, atqve ità hanc quæſtionem ab altiore foro reſolvendam eſſe. Hoc tamen ſcio, à ſapientiſſimo Eccleſiæ Capite, nihil fieri ſine cauſa. Cæterum cauſæ Jubilei eſſe poſſunt; ſi Eccleſiam vel urgent, vel manent gravia pericula; quæ cum plerumque propter noſtra peccatum à DEO immittuntur; ità exigente divina Juſtitia, idcirco ad ea advertenda non ſanè melior via, quam ut ea implorandam Divinam miſericordiam per ſeriam peccatorum pœnitudinem, aliaqve Religionis, pietatisq; opera recurramus: quod præcipuè futurum ſperatur, ſi gratia Jubilei fidelibus concedatur.

Jam autem graviſſimas Eccleſiæ neceſſitates his temporibus, qvis eſt, qui non videt? expulſa fides Catholica ex Moſcovia; ereptum Hiſpanis Laracum in Africa, in periculo ſimili verſante Orano, & Melilla: proſcripta fides ex Regno Siam, ex Regno Scotiæ & Angliæ: nec ſopiti Hugonotti in Gallia; nec dum Quietiſtæ in Italia. Ad hæc in armis adverſum ſe conſiſtunt duo Imperatores potentiſſimi, Decem Regalia Capita, Octo Electores Imperii, ſeptem aut octo Reſpublicæ; & plusqvam viginti præſtantiſſimi Principes. Pugnatur in Hybernia, Scotia, Anglia, Flandria, Luxenburgico & maxima Germanici Imperii parte: pugnatur in Catalaunia, in Sebaudia, Pedemontio, Medrolanenſi, Mutinenſique agro; pugnatur in Barbaria, in Morea, in Servia, Bulgaria Dalmatia, Albania, Polonia, Tartaria: ut totus ardere videri poſſit mundus. Deniqve ipſa nobis terrori, horrorique ſunt elementa, & qvem calcamus, orbis terrarum, cujus tremendi motus nuper auditi in Italia, ac etiam Germania; peſtilentiæ ſubſecuturæ non vani nuncii. Quibus omnibus illud addendum, quod homines ita vivimus in DEUM injurii, ut neſcio quis Turca, ante pauculos annos Venetiis, tam

pro-

Digitized by Google

propudioſam ſpectant Chriſtianorum vitam, exclamâvit: videmur Turcæ graviter admodum DEUM offendiſſe; cùm nos Chriſtianis tam ſceleratis tam impiis, ùt eorum opera ſatis oſtendunt, ſubjecerit.

Ecce cauſas, neceſſitatesque tum ad concedendam Jubilei gratiam ſufficientiſſimas tum, ut & nos tandem à viis noſtris peſſimis deſiſtamus. Quocirca Academici, venite! *venite, adoremus & procidamus ante DEUM, ploremus coram Domino, qui fecit nos; quia ipſe eſt Dominus DEUS noſter; nos autem populus ejus, & oves paſcua ejus. Recogitemus annos noſtros in amaritudine animæ noſtræ.* Iſaiæ 38. *Convertatur vir à via ſua mala: & ab iniquitate, quæ eſt in manu ejus. Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat DEUS, & avertatur à furore viæ ſuæ, & non peribimus.* Jonæ 3. *Pius enim, & Clemens eſt Dominus, DEUS noſter, & non avertet faciem ſuam à nobis, ſi reverſi fuerimus ad eum.* ibid. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Surgite! eamus!

(O)

Do-

Digitized by Google

Dominica 3. Quadrageſimæ.

Intercurrente Jubilæo.

Profectò pervenit in vos regnum Dei. Lucæ 11.

Si rem grandem dixiſſet tibi Propheta; certò facere debueras: quantò magis, quia nunc dixit tibi, lavare, & mundaberis. 4. Regum 5.

PRofectò pervenit & in vos regnum DEI, Academici. Qvid enim eſt regnum DEI; niſi regnum gratiæ & miſericordiæ? & qui ſunt præſentes dies, qvos vivimus, niſi dies ſalutis, bonitatis, & veniæ? totâ urbe, & orbe illuxit tempus acceptabile, annus placabilis Domino, annus plenus miſerationum divinarum; in qvo exiguo conatu, levi, faciliq; labore, & peccatorum noſtrorum, qvamvis fortè admodum gravium maculas extergere; & pœnas indè promeritas, quantumvis fortè æternas feliciter effugere; & miſericordiam diviñā, noſtris delictis nuper meritò graviter infenſam, nobis placere; & grandes cœleſtium gratiarum cumulos parare; & in hæredes Regni Chriſti recipi poſſimus. Dixi: exiguo, facilique conatu, & labore: aliquot nempe dierum jejunio, aliquâ devotâ Eccleſiarum, aut unius ſaltèm Eccleſiæ viſitatione, pauculisque precibus, & erogatâ aliqva in pauperes eleemoſyna; ac demum, ut peccata noſtra ritè confeſſi, ſacro ſancto Eucharistiæ Sacramento reficiamur. Profectò pervenit in vos regnum DEI, regnum gratiæ, regnum miſericordiæ! Quis enim adeò ſtupidæ mentis eſt, qui nolit aliqvot horarum, aut etiam dierum in ſe recipere pœnas, conſcius ſibi, meruiſſe æternas, & nullo fine terminabiles? Quis nolit potius flexo humiliter genu Deum ſibi devotâ prece reddere benignum; qvàm eundem in omnem æternitatem ſibi habere infenſum, atque iratum. Quis nolit trium dierum jejunio, non planè ſicco, & arido, redimere illam famem, qvam damnati æternum patientur ut canes; ubi nec ſtilla dabitur ad levandam ſitim; nec pugillus panis ad placandum ſtomachum? Quis nolit unam alteramque per liberam, faventemq; auram devotionis causâ adire Eccleſiam, ibiq; diviniſſima Sacramenta percipere; quàm æterno infernali carceri affixus, mancipatusq; ſempiternus infeliciſſimorum Dæmonum captivus hærere. Credamne, cuiquam dubitationem in contrarium obvenire poſſe; aut eſſe, qui quæ in ſatisfactionem aliqvam delictorum noſtrorum ſancta requirit Mater Eccleſia, non gratias & miſericordias judicet? Si rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certò facere debueras: qvantò magis, quia nunc dixit tibi: lavare, & mundaberis. Ajebant olim ſervi Naaman, ad Dominum ſuum. 4. Regum 5. Venerat Naaman, Princeps Syrus ad Eliſæum Prophetam, petens beneficium, qvod

inæſtimabile credebat, ut à lepra, qvæ corpus ejus miſerabilem in modum infecerat, mundaretur. Reſpondit Propheta: iret, & lavaret ſepties in Jordane, fore enim ut eo præſtito Naaman ſanitati reſtitueretur. Id viro Principi, vel ſuperſtitioſum, vel nimium vile, vel certè perqvam difficile viſum eſt. Tunc accedentes ad Herum ſervi, locuti ſunt ei dicentes: Pater, ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certò facere debueras: quantò magis, qvia nunc dixit tibi; lavare & mundaberis. Liceat mihi Academici iisdem verbis uti, ſi qvis fortè difficultate eorum, quæ ad conſeqvendam præſentis Jubilei gratiam ab Eccleſia præſcripta ſunt, territus, hoc tempus, non dies gratiæ, & miſericordiæ, ſed dies pœnitentiæ dici velit, liceat inquam dicere: O Homo! ô Academice! ſi rem grandem dixiſſet tibi ſancta Mater Eccleſia, certò facere debueras; ut à tua lepra, ſeu potius à tuis iniquitatibus omni lepræ, ineffabiliter deterioribus, liberareris; quantò magis, qvia nunc dixit tibi. Vade non ad Jordanem, ſed ad Eccleſiam lavare per lacrymas compunctionis, & peccatorum tuorum confeſſionem, & fac nonnulla paucula præterea, & mundaberis.

Grave malum lepra: ſed longè gravius malum, peccatum: illa corpus. Hoc animam inficit: illa removet ab hominibus; iſtud à DEO; & cœlitibus; illa laborantem etiam amicis inviſum, iſtud hominem Angelis odibilem facit. Illa vires corporis, hoc omnia bene agentis merita mortificat: illa mortem inducit temporalem, hoc æternam. Quod ſi igitur rem grandem oportuiſſet facere, ut qvis liberetur à lepra corporali, qvantò magis, ut qvis liberetur à lepra ſpirituali. Ad hoc autem efficiendum non aliud dicitur; quàm nonnihil orabis, nonnihil dabis eleemoſynæ, iterum, ac tertiò jejunabis, confiteberis peccata, & reficiêris ſanctiſſima Evchariſtia; & mundaberis, non tantum liber ab omni lepra quoad culpam, ſed etiam qvoad pœnam; non tantùm temporalem, ſed æternam qvoqve; non quoad partem ſolùm, ſed in toto; Profectò hæc magna divinæ Bonitatis gratia, atq; miſericordia eſt Academici! ſi Eccleſia mater, poteſtate, qvam à DEO habet, cuiqve fidelium dixiſſet: Chariſſime Frater vel Chariſſime fili: qvoniam, ut cum ſummo animi dolore intelligo, grave perjurium à te commiſſum eſt, & DEI tui nomen, contrà qvàm is præcepit in vanum ſumpſiſti, ejusque honorem ſanè graviter læſiſti; pro tua ſalutari pœnitentia jejunabis qvadraginta diebus in pane, & aqua; ac præterea inter pœnitentes erit locus tuus annis ſeptem, donec ad Eccleſiæ communionem contritus, atqve purgatus admittaris. Nunquid hoc non longè difficilius omni eo, qvod hodie præſcribitur? quis neget? & tamen ità Eccleſia facere poterat; & in primitiva Eccleſia conſvetudo obtinuerat, ut omnis perjurus, qvadraginta diebus jejunare, idqve

in

Digitized by Google

in ſolo pane,& aqvà,ac inſuper inter pœnitentes ſeptem annis ſedere cogeretur, ut habetur c. quicunqve in 6. q. 1.

Si Sancta Mater Eccleſia omnibus, qvi grave furtum commiſiſſent, præcepiſſet DEI nomine qvinqve annorum pœnitentiam: nonne hoc multò gravius eô, qvod hodie conſtitutum eſt? certè nemo ibit inficias. Et ſic olim in Eccleſia conſvetum erat, ut Clericus in furto deprehenſus damnaretur ad ſeptem Laicus ad qvinq; annorum pœnitentiam, ut habetur c. ſi quis Clericus. 17. q. 4. Quod utiq; & hodie Eccleſia præcipere potuiſſet.

Si Sancta Mater Eccleſia ſtatuiſſet, ut omnibus, qvi in judicio proximum de falſo crimine reum ageret, præſcriberetur jejunium in pane & aqua, dierum qvadraginta, ac prætereapœnitentia annorum ſeptem: utiqve præcipienti obſequi oportuiſſet, niſi qvis pro ethnico, & publicano haberi, atq; æternum perire voluiſſet. Nunquid hoc minus eò, quod hodie ſtatutum eſt? & tamen olim ità fiebat, ut habetur c. Accuſaſti. De Accuſationibus.

Atqve ut univerſim dicam, gravisſimæ olim in Eccleſia Dei pro certis peccatis imponebantur pœnitentiæ. Nam divinationem ſectatus qvadraginta diebus pœnitebat, ut eſt c. 1. de ſortilegiis. Divinatorem conſulens per annum à ſacris ſuſpendebatur ut eſt eodem titulo c. 2. Qui Deum, Beatisſimam Virginem, ſanctosve blasphemâſſet, ſeptem annis pœnitebat; ut eſt c. finali de maledicis: Qui adulterium, fornicationemve commiſiſſet, ſeptem annis pœnitere jubebatur ex c. prædicandum. 22. q. 1. Dominum vel uxorem occidens decem annis abſtinebat à vino, & carnis eſu, ut eſt 33. q 2. c. quicunque. Cum autem dicitur, hunc illum, inter pœnitentes ſediſſe annis duobus, tribus, ſeptem, accipiendum eſt ſecundum Eccleſiæ conſvetudinem; qvalis erat, ut pœnitens toto eo tempore abſtineret ab omni ad Eccleſiam & divinisſima ſacramenta acceſſu; ſtaretq; omnibus diebus ſanctioribus præ foribus templi, luctuosè veſtitus, & humili prece, fidelium ad ſacra accedentium vota expetens. Qvidam pœnitentium atrium Eccleſiæ ſubire ſinebantur, quo illis poteſtas fiebat catechizantem percipere, non tamen precari cum cæteris. Quidam admittebantur ad comprecandum, non tamen ad ſacroſancta Miſſarum ſpectanda ſacrificia; Aliis & hoc poſterius licebat, non tamen divina percipere ſacramenta.

Quæ autem opera fuerint pœnitentium; inſinuavitq; Joannes Climacus: nam quidam eorum totas ſub dio ſtabant noctes vigiles, ſuaq; peccata multis gemitibus, ac ſuſpiriis deflentes; alii humi proſtrati, revinctis poſt terga manibus, preces fundebant, identidem vociferantes, indignos ſe eſſe quos terra ferret, quos cœlum intueretur: Alii aſperrimis ciliciis, catenisve ferreis onuſti, in ci-

Digitized by Google

nere totos dies, noctesq; tranſigebant, & ſua acta deteſtabantur. Alii longis, aſperrimisqve jejuniis corpus macerabant; & ſolis ardoribus expoſiti, muſcis, culicibus atque crabronibus ſeſe cruciandos offerebant.

Ità olim fiebat in Eccleſia Sancta DEI. Quòd autem noſtris temporibus ejusmodi graves pœnitentiæ peccatoribus non præſcribantur; inde eſt, qvòd qvemadmodum mundi Salvator aliqvando futurum prædixit, hominum charitas, zelusqve honoris divini nimium quantum refrixerit, vix quisquam, eo loco, quo deberet DEUM habet; peccatilla nobis ſunt, quibus DEUS gravisſimè offenditur; nihili nobis cœlum eſt, vitaque æterna; & utrumque pro pugillo terræ, pro argenti obolo, pro momentanea carnis voluptatula venale; neque dubitamus animas noſtras mittere in ignem æternum; modò mala hujus vitæ effugiamus. Sed neque eſt illa in mortalibus viva fides, qva nobis perſvadeamus, eam cujusque peccati mortiferi malitiam eſſe, ut nobis cœlum eripiat, æternique ignis conſtituat reos; Diaboloque mancipet; unde & ſuperfluum habetur, etiam pro gravisſimis ſceleribus vel tantillos pœnitentiæ fructus facere; qui ſi fortè majusculi, aut complures à nobis exigantur, recalcitramus, excuſſoqve jugo malumus æternum ardere, quàm ad ſanitatem reduci. Quod animadvertens ſancta Mater Eccleſia DEI, malè habentibus medicinas potius eas præſcribit, quæ lenitate ſuâ placeant, ut acceptentur; quàm quæ aſperitate terrere poſſent; ac reſpui. De quo D. Chryſoſtomus citatus 26. q. 7. c. Alligant. Etſi erramus, inquit ille ibi, modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius eſt, propter miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem. Et Gerſon 2. p. operum: Tutius eſt cum parva pœnitentia, qvæ ſponte ſuſcipitur, & veriſimiliter adimpletur ducere confeſſos ad purgatorium; quàm cum magna, non implenda præcipitare ad infernum!

Verùm, ùt dictum eſt, olim gravius in hoc negotio procedebatur; cùm nimirum & charitas mortalium in DEUM eſſet major, & peccatorum deteſtatio ferventior, & cura ſalutis unicuiqve accuratior. Qualem pœnitendi rationem Haſtulpho viro inter ſuos primario Stephanus V. Pontifex præſcripſerit, ex Cauſa 33. q. 2. Capite, Admonere, Audiamus. Is Haſtulphus uxorem propriam, diabolicâ fraude, nihil mali meritam crudeliter acciderat; tactus verò ſceleris magnitudine, atqve dolore, ad ſedem Apoſtolicam, remisſionis, ac pœnitentiæ causâ recurrerat, cui Pontifex in hæc verba reſcripſit: Admonere te cum lacrymis, & multo gemitu cordis curamus fili Haſtulphe: ſed non filius debes dici, qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrâſti. Nam occidiſti uxorem tuam, partē corporis tui, legitimo matrimonio tibi ſociatum, ſinè cauſa mortis, non tibi reſiſten-

Digitized by Google

ſiſtentem, non inſidiantem quoquo modo vitæ tuæ. Tum ad præſcribendam pœnitentiam progreſſus Pontifex, ita ſubjungit: Ingredere monaſterium: humiliare ſub manu Abbatis, & multorum fratrum precibus adjutus, obſerva cuncta ſimplici animo, quæ tibi fuerint imperata; ſi fortè ignoſcat infinita DEI. Bonitas peccatis tuis, & refrigeret animam tuam, priusqvam crucieris perpetuis flammis. Hoc levius, & melius tibi eſſe certiſſimè ſcias. Si autem publicam pœnitentiam, permanens in domo tua, vel in hoc mundo vis agere, (quod pejus tibi, & durius, & gravius eſſe non dubites) itá ùt agere debes, exhortamur: omnibus diebus, qvibus pœnitere debes, vinum, & ſiceram non bibas: carnem nullo unqvam tempore comedas; præterqvam in Paſcha, & in die Natalis Domini: in pane, & aqua, & ſale pœnitentiam age: in jejuniis, & vigiliis, & orationibus, & eleemoſynis omni tempore perſevera: armis nunquam cingere: nec in quolibet loco litigare præſumas. Uxorem nunquam ducere; concubinam non habere; nec adulterium committere audeas.

In balneo nunquam laveris, in conviviis lætantium nunqvam te miſceas; in Eccleſia ſegregatus ab aliis Chriſtianis poſt oſtium & poſtes humiliter te repone; ingredientium, & egredientium ſuppliciter orationibus commenda te; communione corporis & ſanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te exiſtimes: in ultimo tamen exitûs vitæ tuæ die, ſi merueris pro viatico, ſi ſit, qui tribuat, tantum modo venialiter (id eſt gratiosè, ſeu ex gratia) ut accipias, tibi concedimus. Sunt & alia multa, qvæ tibi nimis durius, & ſatis acrius erant juxta magnum pondus peccati, in felix, adjicienda. Sed ſi hæc omnia, quæ tibi miſericorditer ſupra dicta ſunt, perfecto corde, domino auxiliante feceris, & cuſtodieris, confidimus de immenſa Dei clementia remiſſionem habiturum te tuorum peccatorum, & ſecundum dictum juſti, boniq; paſtoris, reſolvet te Sancta Eccleſia, ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipſius gratiam, qui eam ſuo ſangvine acquiſivit, ſolutus ſis in cœlis. Si autem aliter feceris, & ſanctæ Matris Eccleſiæ tam ſalubrem admonitionem deſpexeris; ipſe tibi ſis judex, & in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, permanebis & ſanguis tuus ſuper caput tuum! Hæc Stephanus Papa.

Videtis Academici, quanto rigore primis temporibus in peccata ſævitum ſit; & quas pœnas à reis Eccleſia exegerit; ut propterea merito dictum ſit hoc Tempus eſſe acceptabile, diesq; gratiæ, atqve miſericordiæ, quibus ad conſeqvendam omnium etiam graviſſimorum criminum remiſſionem, omniumque pœnarum Eccleſiaſticarum, & divinarum indulgentiam paucula quædam pietatis, & devotionis Chriſtianæ opera præſcripta ſunt. Cùm omnia ea, quæ de Aſtulpho,

quæqve prænominatis Canonibus, pœnitentiæ genera allata ſunt, ſi ea Mater Eccleſia à reis exegiſſet, implenda fuiſſent.

At dicet aliquis: Idiota ſim, & nimium albæ mentis homo, ſi tam gravia in me recepiſſem! ità qvidem apertè noſtri temporis Hæretici: quos, mihi certum eſt, nec perſpectam habere Eccleſiæ authoritatem, nec malitiam peccati, neque pœnas, quas poſt ſe quodvis mortiferum ſcelus tradit æternas. Nempe non ſapiunt, quod Lucæ. 10. v. 16. Chriſtus dixit: qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Neſciunt quod ſcriptum eſt. Matt. 18. 17. Quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Neque intelligunt quod Math. c. 5. dictum eſt: quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunq; ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.

Sed neque ſatis intelligunt eam eſſe peccati cujusqve mortiferi adverſus Deum patrati malitiam, quâ ipſum Numen graviſſimè læditur, & offenditur; & ſi fieri poſſet, perimeretur, tolleretur qve penitus: qua Chriſti mundi Redemptoris pretioſiſſimus ſanguis peſſumdatur; & Chriſtus veluti de novo crucifigitur, & oſtentui habetur: quâ, divinâ gratiâ, pretioſiſſimo illo omnium creaturarum cimelio homo exuitur; & omni ſimul meritorum fortè ante comparatorum theſauro ſpoliatur. Qua hæreditas filiorum quæ eſt ſalus vitaqve & felicitas æterna amittitur, & ſanguine Redemptoris nobis acquiſitum jus ad illam beatam patriam eripitur; qvâ miſericordiæ divinæ fontes nobismetipſis obſtruimus & irati Dei fulmina in capita noſtra vocamus; qua ſervi peccati, & mancipia dæmoniorum conſtituimur; & ad æterna incendia poſt patratum facinus rei, damnamur: deniqve non intelligunt, eam eſſe peccati malitiam, quæ nullis etiam ſangvineis noſtris lacrymis elui, nullis à nobis ſuſtinendis æternis tormentis, & incendiis expiari poſſit; & nonniſi ipſi Dei Incarnati fuſo cruore emundari potuerit.

Neque deniq; ejusmodi intelligunt, quid illud ſit, quod infernum dicimus; quamq; horrenda ſint illa tormenta, quæ peccatores in vita futura manent. Nempe neſciunt, quid ſint illæ tenebræ exteriores; quid ejulatus, & væ, atq; væ clamantium voces, quid fletus, & ſtridor dentium æternus; quid fœtores averni intolerabiles, quid Scorpiones, quod Serpentes, quid dracones inſuperabiles, qvid ignis ſemper ardens, quid flamma ſemper urens, quid mallei ſemper percutientes, quid vermes ſemper rodentes; quid horribiles dæmonum facies, quid frigora quid, ardores ſempiterni; quid fames, ſitisque ſemper duratura; quid ignis quid ſulphura, quid ſpiritus procellarum; quid laquei de cœlo deplui, qvid irati, ſemperq; incumbentis, ſemperq; ferientis DEI fulmina; quid cœlo excluſum eſſe

Digitized by Google

eſſe ſemper, & ſperare poſſe nunquam. Quid ardere ſemper, & refrigerari nunquam: incarcerari ſemper & exire nunquam; mactari ſemper & mori nunquam; O ſemper, ò nunquam

Intelligant iſta mortales, & tum dicant: idiota ſim, & albæ nimium mentis homo, ſi quæ mihi Eccleſia, quæ Confeſſarii de pœnitentiis pro delictis meis præſcripſerint, in me recepero.

Verum neque iſtud hodie dicere eſt neceſſe; quando Sancta Mater Eccleſia non vibratà manu, ſed blandè aperto ſinu cum ſuis agit fidelibus; nèque jam menſes aut annos, ſed pauculos dies aſſignat in pœnitentiam; potius malè habentes leni curare medicina ſolicita, quam etſi utilibus, tamen fortè dubii exitus aſperitatibus infeliciter hauſta exaſperare vulnera: ut omnino, quod initio dicebam, repetere liceat Academici: profecto venit in vos regnum DEI, regnum gratiæ, regnum benignitatis, & miſericordiæ. Nihil addo; niſi quod ſermone in feriam qvartã majoris Hebdomadæ ſcripſit melleus Benardus: Vigilate animo fratres, nè in fructuosè vos hujus temporis ſacramenta pertranſeant. Copioſa eſt benedictio. Date receptacula munda, devotas animas, ſenſus vigiles, affectus ſobrios, puras conſcientias exhibete tantis chariſmatibus gratiarum. Nimirum admonet vos ſolicitudinis hujus non modò ſpecialis ipſa converſatio, ſed & generalis Eccleſiæ obſervatio, cujus filii eſtis.

(* * *)

De-

In feſto SS. Cyrilli, & Methudii.

Et vos ſimiles hominibus. Lucæ. 12.

Ad laborandum, ut Homo ſit Homo, neque enim omnis homo, Homo.

ET vos ſimiles hominibus? Bone DEUS! qvales non ſunt in hoc mundo homines. Non eſt homo, qui non peccet, 2. Reg. 8. Nunquid juſtificari poteſt homo? Job. 25. univerſa vanitas omnis homo. Pſ. 38. Omnis homo mendax Pſ. 115. ſtultus factus eſt omnis homo Jerem. 10. Ego autem vanitas, & nihilum, & inconſtans homo. Th. Kemp. l. 3. c. 40. ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ λύκος. Homo Homini lupus, & vos ſimiles hominibus? Quibus hominibus? Belga bibax, Hiſpanus edax, Germanus utrumque, Alexandrini fallaces, Cretenſes mendaces, Ægyptii ſuperſtitioſi, Aſiatici molles, Afri barbari, Americani crudeles, & vos ſimiles hominibus? Homo Cain, ſed fratricida. Homo Judas, ſed Heri ſui proditor. Homo Origenes, ſed fidei deſertor, homo Tertullianus, ſed Eccleſiæ contemptor. Homo dives Epulo, ſed totus in prandio, homo Abſolon, ſed ſine concilio. Homo Ariſtoteles, ſed Idololatra; homo Herodes, ſed ſinè conſcientia. Et vos ſimiles hominibus? Annon præſtabat comparari jumentis ſimilemq; illis fieri! ſerpentes ſunt, ſed prudentes ſunt: columbæ ſunt, ſed ſimplices ſunt: Leones ſunt, ſed fortes ſunt: Elephantes ſunt, ſed temperantes ſunt: Grues ſunt, ſed vigiles ſunt. Et tunc ſi ſalvandi erant homines, ſalvari poteramus & jumenta: ſiquidem ſcriptum eſt: Homines, & jumenta ſalvabis Domine. Nunc vero ſimiles hominibus ſimiliter peribimus cum hominibus.

Verum AA. ſtat ſententia! vos ſimiles hominibus. Sed notate. Hominibus Hominibus. Magna res eſt homo, cùm verè eſt homo. Et vel ſimilem homini fuiſſe in ſummo pretio habendum; tanta res eſt homo. Ipſum Regnum cœlorum beatum prædicatur, cùm homini ſimile eſt, Matth. 13. Quin ipſum ſupremum Numen ſe filium Hominis eſſe gloriatur, Matth. 8. 9. 11. 12. 13. 16. 17. 18. 19. 20. 24. 25. 26.

Ergonè, dicet quiſpiam, nondum ſumus homines? & hodie primum ille Artifex apparuerit, qui nobis formam hominis imprimat. Quem temetipſum facis? Modicum patientiæ, & omnia reddam tibi Amice. Interim velim exſpuas tantiſper in terram & facto luto illine oculos tuos, ac tum aſpice: videbis multos homines, non ut homines ſed ambulantes ut arbores, aut fortè conſiſtentes, ut rudes de libano truncos, aut ſtipites; vel certè pecudum gregem, quem ruſticus paſcit Amyntas. Illi, inquit Purpuratus dalmata in 14. c. Ezechielis, de

Digitized by Google

de quibus ſcriptum eſt pſ. 13. Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus,& ſimilis factus eſt illis, non homines homines, ſed Homines jumenta ſunt. Rurſum, qvi in Evangelio audiunt Matt. 3. ſerpentes, genimina viperarum, qvis oſtendit vobis fugere à ventura ira! non ſunt homines homines, ſed homines ſerpentes, de quibus verò ſcriptum eſt: vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: non ſunt homines homines, ſed homines vulpes, & homines volucres. Rara avis in terris: Homo homo; neq; una ſola Lucerna Diogeni ſuffecerit, ſi hodie hujusmodi hominem quæſiturus prodeat. Chimærarum plena ſunt omnia: & qvibus hactenus hirco cervus nuſqvam viſus, ubiq; locorum jam homo lupus, jam homo canis, jam homo upupa; jam homo mulus, homo crocodilus occurrit.

Nolim hodie à mortuis in ſcenam vocare Diogenem: nam & ille aliquid hominis non hominis in medium ferret ſpectatoribus: accendamus nobis ipſi Lucernam mentis noſtræ Academici, forumq; hujus mundi luſtremus tantiſper viſuri, ſi quem deprehendamus verè hominem.

Et ecce obvium nobis Alexandrum Macedonem, viſi fortè ſola ipſius umbra eſt. Vultus præfert majeſtatem Regiam, inceſſus ultra hominem porrectior; caput diademate redimitum eſt, Sceptrum victrix torquet dextera, paludamentum de nobiliſſima purpura, lenta verrit veſtigia; frons oculi, vultus niſi mentiuntur: Hominem, & quidem magnum oſtentant. Hic eſt ille Macedo, qui Magno Philippo Patre major ſuo, filius; plures de hoſtibus, cenſuit victorias, qvam Regni dies: tot ſubegit gentes, qvot, quantasqve hactenus Europa ignoravit. Macedoniam, Græcam, Thraciam, Naupactum, Cretam, & de Homero certantes Inſulas, Tyram, Alexandriam, & ſi qvid validum Barbaria, ſi qvid inexpugnatum Ægyptus eò temporis habuit, Perſasqve & Medos, & Babylonios, & Aſſyrios, Palæſtinam, Idumæam, & Arabiam, longeq; diſſitos Bactrianos, Garamantas, extremosqve Indos, verbo, qvidquid Nilus, qvidquid Euphrates, qvidquid Ganges celebravit unqvam, id Alexander peragravit, debellavit, & ſub poteſtatem victor redegit. Ad arma, ad ſceptra, ad regendos populos, ad deprimendos hoſtes natus; ſolis diis minor, ſi non ultra hominem, certè inter homines major Homo fuerit!

Quid dicemus Academici? Quantum ego intelligo, Alexander qvidem Homo non tamen Homo-Homo. Quid homo homo? ſubſtantia ex corpore animaque rationali conſiſtens; ſic vivificatur ſpiritu, ut ſimul quid mortale ſit ex corpore; ſic ſapit cum Intelligentiis, ut vegetetur cum frutetis, & arboribus ut vim ſentiendi habeat cum animantibus: ſic in ſuperioribus vivit men-

Digitized by Google

te, ut inter terreſtria collocatam ſe ſentiat corpore : Quid Alexander?

Merus ille ſpiritus: de cerebro Jovis natus punctus, ſed inflatus admodum; qui dudum, ſi fuiſſet, qui crederet, ſe unam dixiſſet ex deitatibus. Hoc ſcimus; veſtitum Deorum tuliſſe, thura excepiſſe, Herculem pro Patre jactâſſe, fulmina meditatum fuiſſe; in eos præſertim, qui Alexandrum hominem dicere auſi fuiſſent. Ho! ho! quorſum mi homo? ut video, hic homo pavo eſt; adeò ſe circumſpicit. Quærit ille credo in ſua cauda oculos, quos Argus deperdidit; aut in ſe immigraſſe illas dei tates, arbitratur, quas Antæus cum ſociis cœlo expulit. Certè nihil aliud, quàm ſuperbiæ ſpiritus eſt, & qui ſe immortalem credit, qvod nondum mortuus ſit. Sed bone vir, pedes tuos reſpice; pedes pavonem pavoni exhibent. Memineris te eſſe hominem, anima quidem admodum ſublimi, ſed ſimul corruptionibus obnoxia conſtantem materia. Homo de humo: eò ibis, unde veniſti. Te præceſſit Philippus pater, te ſequetur, ſi quis tibi erit Filius. Nihil minus humanum, qvàm ſe oblivviſci eſſe mortalem. Vale Homo-Pavo; nos quærimus homines homines.

Quis jam illic inter lignorum ſtrues, Fabroſque artifices obambulat! Ni fallor ille, qui, ut eſt Lucæ 12. vult deſtruere horrea ſua vetera, & ædificare ampliora, ut cum habeat integerrimam fortunam, poſſit animæ ſuæ dicere: qvieſce, comede, bibe, & epulare. Conducit itaqve operarios: quippe providus rerum Paterfamilias eſt, & homo magna induſtriâ. Neque planè ignarus eſt, quod Homerus cecinit, nempe DEOS omnia vendere laboribus. Qui vel ideo pro Homine habendus, quòd quemadmodum Livius Dec. 1. l. 4. ait, humanus animus inſatiabilis eſt eô, quod fortuna ſpondet. Accedit, quòd hominis eſſe videatur, præſentium rerum ſcaturigines ducere in curſum futuri, & non Solis ſtare præſentibus, ſed vel primùm proſpicere venturis. Quid de hoc vobis videtur Academici?

Hunc ego, veniâ veſtra, exiſtimo quidem hominem, ſed hominem-talpam; cujus domicilium terra, lectus terra, cibus terra, divitiæ terra, paradiſus terra: oculus in terra, cor in terra. Quatuor ſtultiſſima reperit Indus Gymnoſophiſta: Gallum gallinaceum, qui intra fimetum ſuum dorſo incumbens utroq; pede nè forte ruere velit, cœlo obnititur. Gruem volucrem, quæ uni inſiſtens pedi, alterum continet, nè ſi utroq; terræ globo immineat, eum loco moveri contingat. Noctuam, quæ lucem fugere dicitur, qvod ſuæ pulchritudini metuat. Talpam demum, qui nè vermem hunc terra deficiat, ſemper in metu eſt, eâq; de cauſa ſæpe ipſo cibo abſtinet. Ex his qvatuor unum aliqvod, vel ultra hæc quatuor, quin-

qvintum ſtultiſſimum eſt Homo Talpa ſeu homo avarus: qvi, cùm ſupremum Homini os ſublime dedit, cœlumque tueri juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus, ipſe contra naturam hominis oculos ſuos, ſtatuit declinare in terram; uni defoſſo in terra incubans auro. Non Tarteſſiacis illum ſatiaret arenis tempeſtas pretioſa Tagi, non ſtagna rubentis aurea Pactoli, totùmqve exhauſerit Hermum; ardebit majore ſiti. Cibus, potus, veſtitus, domicilium, vita, & unicum deſiderium illi terra, & vile metallum. Vale Alexander, non Homo Homo, ſed Homo-Pavo. Vale Avare, non homo homo, ſed Homo-Talpa; nos quærimus homines homines.

Jam appropinquamus Academici ad Hominem, Poetam, Hiſtoricum, Philoſophum, Aſtrologum, Jurisperitum, & qvod rei Caput eſt, Romanæ Reipublicæ Caput. Claudius Tiberius Nero eſt, Magnus urbis, & orbis Imperator, inter maximos maximus. Homerum univerſum ampliſſimâ memoriâ complexus eſt, Secreta Philoſophorum, & Aſtrologorum unus penetravit cuncta; legisperitos latuit, qvod Tiberius ignoravit. Nunqvid ſaltem iſte homo eſt?

Eſt; namque plurima humana patravit, & paſſus eſt; jam Tiro in caſtris, jam Imperator in acie, jam Ludimagiſter in Rhodo, jàm Leno in Caprea. In hoc minus homo, quod diu, noctuque potando, alioqvin dictus Claudius Tiberius Nero, nomen mutavit, dictus, Caldius Biberius Mero. Nihil in illo de homine, præter collum, ventremque. Homo dolium, cujus hæc inſcriptio Laſsi torrere. Iuxta effatum Salvatoris noſtri, non in ſolo pane ac multo minus in ſolo vino vivit homo: non ergo Biberius Mero, homo; qui dum comedit, homo Lupus, dum bibit, homo-dolium, Danaidum ſcilicet; ſemper fundit, ſemper haurit, ſemper ſitit. Denique ſive edat, ſive bibat, venter eſt, vale, nos qværimus homines.

Et ecce jam nobis obvium, ſi frondem reſpicis Narciſſus eſt, ſi genarum pictas areolas Adonis, ſi labiorum purpuram, Hylas: ſi oculorum fulgetra, Pollux, ſi fluctuantes circhos Caſtor; ſi manuum ebur, Aſcanius, ſi veſtis nitorem Hiacynthus. Quæſo Academici, reparate lucernulas, ut pateat, quis iſte nobis veniat? Quis es? quod genus? unde domo? qvi te genuêre parentes? homo, an pecus? loqvitur, imo cantillat, audiamus: Habent dies ſuum ſolem, habent noctes Cynthiam; ego per totum mundi molem, meum ſolem fruſtra quæro Cynthiam. Habent ſuum centrum terræ habent vaga flumina; ſed mihi centrum ferre, nec referre ulla poſſunt lumina. Ignes mille, flammæ mille ſudo cœlo imperant, nec tamen iſti, ſed nec illæ, quamvis mille, mihi ſolem impetrant. O chari munda! Agnoſcitisnè Academici ex cantu oſcinem, ex

Digitized by Google

pennis Corniculam? iſte Homo, Homo-Columba eſt. Omnis homo cor habet, iſte non habet, factus eſt Ephraim, quaſi Columba ſeducta non habens Cor. Oſee. 7. ubi ergo illud habet? ubi oculos & cor quondam Rex David; quando proſpexit de ſolario; ubi cor & aures Salomon, qvando ſibi conſtituit Cantatrices: ubi cor, & caput Sampſon, qvando tonſus eſt. Eſt itaque Homo Columba, ſeducta, non habens Cor. Imo Hominem-Upupam dixerim; adeò fœtet Moveamus itaque hinc.

Et Lucium Sergium Catilinam contempſemur. Cùm omnes homines naturâ liberi ſimus, iſte unus ſic pro libertate ſtetit, ut etiam non vivere, quàm liber non eſſe elegerit. Pro libertate dies egit turbatos, noctes duxit inquietas, expulſus urbe à Senatu, proſcriptus foro à civibus; pro eadem armatus, pro eadem in hoſtes audax, pro eadem nihil mori veritus. Qvem vos hunc Academici?

Sed mihi homo iſte Homo-Beſtia eſt; homo-tigris: omnis homo ſic conſiſtit iraſcibili, ut ſimul concupiſcibili; ſic iraſcendi facultate, ut ſimul amandi dulcedine; & horum omnium moderatrice ratione: at ecce tigridem: Catilina in Rempublicam Romanam hoſtis juratus, ſanguinem humanum vino miſtum aſſeclis inhauſtum miſcuit; carnes, quas humanas venerat vocaturus, prægustavit: Amore Aureliæ Oreſtillæ proprium filium veneno ſuſtulit; Germanum fratrem vitâ exuit, Catulum Sororium interfecit; univerſum Romanum Imperium evertere tentavit. Fugiamus Academici, nihil inter inſanum, & tigridem medium eſt!

Ad Magnum Julium Cæſarem nos convertamus. Hoc eſt illud honorum & gloriæ ſolſtitium, Cajus Julius Cæſar; qvi primus Romanam Rempublicam ad nutus ſuos ſervire vidit, primus eo, quo nullus majorum aſpirare auſus aſcendit. Conſpecta aliquando Alexandri effigie illacrymatus, qvod timeret, nè ſe major fuiſſet. Qui ad Pharum depugnans manu alterâ enſem, altera codicem præferens, per mare trecentorum paſſuum ſpatio ad litus enatavit; cujus pedibus vel ipſe Pompejus oſculum fixit. Augur ſimul & Pontifex belli Imperator ſimul & Conſul & Dictator Romanus perpetuus: quocunque venit, ſeſe in ſtatuis à populo locatis invenit; ſimul legere, ſimul ſcribere, ſimul audita recipere, ſimul mandata dictare, viſus: Reſtauravit Corinthum, Hircano confirmavit ſceptrum, ponte inſtravit Rhenum, cepit domitium; venit, vidit, vicit, ovavit triumphavit, de Regnis, provinciis ducibus, Regibus, belli Imperatoribus, integris populis; pœne homo, ſi hirqvus oculus illi nihil de forma integri hominis ſuſtuliſſet.

Cre-

Digitized by Google

Creavit DEUS hominem rectum, inquit divinus textus, loqvens de Homine; & ad hominem prov. 13. dictum eſt: oculi tui recta videant. Quid Cæſar? nimium qvantum hirquum proſpicit, qvod cùm Pompejus parem, Cæſar non poſſit ferre ſe ſuperiorem: Quidquid æmulus egerit; hoc Cæſaris ferit oculum. Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto; nusqvam recta acies: livent rubigine dentes, pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno; riſus abeſt, niſi qvem viſi movere dolores, nec fruitur ſomno vigilantibus undique curis; ſed videt ingratos, intabeſcitqve videndo ſucceſſus hominum; carpitq;, & carpitur una. Sic dum canis os rodit, ſocium quem diligit, odit. Verbo, Julius Cæſar non homo homo, ſed homo canis eſt.

Progrediamur! quod hoc mortalium genus? quos hic ego ſtipites cerno, quid vos iſthic pigra, otioſaq; animantia? Cernitis Academici? oculi eorum, vagi per ædificiorum propylæa, manus eorum ſub axilla; pedes inſtar truncorum ſolo fixi hærent. Nunc oſcitant, & ventos diripiunt; nunc pedem, caputve fricant, & pruriginem diſpellunt; tandem & dorſum ſoli obvertunt, ne planè non nihil agant. Si hæ nuces arbores eſſent, arriperemus perticam: aut ſi de Arcadia ſapientes, circumſpiceremus de baculo; quòd ſi pueri: curandum eſſet de betula: ſi campanæ ſolicitandum eſſet de fune. Qvandoquidem, Nux, Aſinus, Campana, Puer, ſinè verbere ceſſant. Nunc dicunt ſe homines, quò nihil minus eſſe dignoſcuntur. Nunquam illi legerunt (tam pigra eſt hæc gens) quod de Homine Jobi 5. Scriptum eſt; Homo naſcitur ad laborem. Haud mihi iſti homines ſunt: ſed illi animali. Haud dicto, ſimiles, quod in India repertum, tam pigrum eſt, ut ſpatio unius diei vix progrediendo unam ſpithamam conficiat, quare & prigritia dicitur. Illumne dicam hominem, qvi vel totas cum gliribus ſtertere noctes, vel totos pandiculari dies, qvi cum ignavo vix levavit membra cubili, teſtudineo adrepit greſſu, ad non modo Labores, excolendamve mentem ſegnis, ſed qui etiam ad manducandum plumbeas manus habet; perpetuò languens, perpetuò enervis; nulla præteritorum memoriâ, nulla laborans providentiâ futuri? & qui nihil unquam homine dignum aggrediatur. Semper varius, & inconſtans, vult enim, & non vult piger, ſibi gravis, moleſtus aliis, & continuo ſui tædio pœnæ incubans ſuæ. Similis trocho, qui in orbem agitur, ſed non progreditur; per flagri vim movetur, ut tamen ſemper inſiſtat. Voluiſſe eum aliquid deprehendes; non feciſſe, & hunc ego Hominem exiſtimem? Vale Alexander, Homo pavo es, Vale Nero, homo lupus es; Vale Avare Guilio, homo talpa es; vale Adonis, Homo upupa es; vale Catilina, homo tigris es; vale Cæſar Homo Hirqvus aut Homo canis es, vale piger, Homo.

Haud,

Haud, aut certe homo glis es? Quid igitur eſt Homo Homo, ut ſimiles eſſe nobis liceat hominibus? Eſt ſubſtantia creata, conſtans ex corpore, & anima rationis participe; eaqve immortali: Peripatus paucioribus diceret, Homo eſt Animal Rationa'e. Explico. Homo eſt creatura, hoc eſt ens ab alio, non à ſe; conſequenter alterius, non ſua, conſeqventer propter aliud, & non propter ſe, atqve etiam ad aliud, non ad ſe. Hoc ipſo, quod ab alio eſt, ejus eſt, à quo eſt; illiq; ſervire, tota quanta eſt, illum amare, illum laudare, obligata, à qvo eſt. Ità libro Exercitiorum, in frontiſpicio docet nos Magnus ille Homo Ignatius: Creatus eſt homo ad hunc finem, ut dominum Deum ſuum laudet, & revereatur, eiqve ſerviendo tandem ſalvus fiat.

Hoc ipſo, qvòd hæc ſubſtantia, ut comparte terreſtri conſtet corpore; eſt ut ait Triſmegiſtus imbecillitatis exemplum; eſt temporis ſpolium, eſt calamitatis trutina; eſt inſcientiæ indumentum, eſt velamen opacum, eſt circumverſatile ſepulchrum! Audite Homines, & intelligite, & nolite in altum extolli ô terrigenæ! Hodie homo eſt, & cras non comparet. Ideo dixit, imbecillitatis exemplum! multi ſubitò, & improviſo moriuntur. Ecce temporis ſpolium. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore; repletur multis miſeriis: ecce Calamitatis trutinam. O hebetudo, & duritia cordis humani, qvod ſolùm præſentia meditatur, & futura magis non prævidet! ecce inſcitiæ indumentum! Horâ qua non putatis, filius hominis veniet. Ecce velamen opacum. Si vidiſti aliqvando hominem mori, cogita quia & tu per eandem viam tranſibis. Ecce verſatile ſepulchrum. Ergò ille mihi Homo, qvi horam mortis ſuæ ſemper ante oculos habet; & ad moriendum quotidie ſe diſponit.

Tertio hoc ipſo quòd Homo conſtat anima, eaq; rationali, mentis particeps eſt, quâ præterita recolit, præſentia, ut ſunt, intuetur, & de futuris proſpicit. Dignitatem rebus, non ut videntur, ſed ut ſunt, conſtituit; neque tranſitoria pro perpetuis, neqve paulo poſt non futura pro immortalibus habet. Diſcernit, quid ample&aris, quid fugias, quid in medio relinquas: deteſtatur, quidquid ſpeciem vitii præfert, ſeqvitur, quod ſapientibus, quod conſcientiæ viſum. Proprium illi, examinare conſilia, ordinare præſentia, reminiſci præteritorum, & curare futura. Nihil illi ſubitum, nihil inopinum: totum antequam fieret, quod fieri poſſet præconceperat. Cum in principio eſt, exitum cogitat.

Deniqve hoc ipſo quòd Homo anima rationali præditus eſt, ad virtutem natus eſt. Tunc Homo Homo eſt, inquit diviniſſimus Chryſoſtomus; cum virtutem colit. Quæ etenim eſt imago Hominis? rationalem eſſe? non hoc ſo-

ſum

lum fuerit eſſe Hominem; ſed virtutibus eſſe deditum, & vitia fugere, & illicitis, & dominicis obimperare affectibus temperare mandatis.

Ex dictis, Homo, quem ſectari oportet, ſi volumus eſſe Homines, eſt ſubſtantia creata, conſtans anima & corpore, non de ſolo vivens pane, corde præditum, pariterqve iraſcibili, atque concupiſcibili; adeoqve animal ſociabile, rectum tuens, ad laborem natum; rationis particeps, virtutis amans, mali fugiens, & rebus non tam præſentibus intenta, quàm futuris. Conſtet anima, ut ad ſuperna feratur: conſtet corpore, ut ſe mortalem meminerit; ſic de pane vivat, ut ſimul de verbo, quod procedit de ore DEI. Cor habeat, ſed domi, vel certè quia alterius eſt, ad eum, à quo, & cujus eſt. Habeat iraſcibile, ſed nolit peccare: habeat ſuum concupiſcibile, ſed nolit cor apponere: videat ſed recta, ſed non invideat, oret, ſed ſimul laboret; Brevius ex Eccleſ. c. ultimo:

DEUM time, & mandata ejus obſerva;

Hoc eſt enim omnis Homo!

(*,*)

In

In feſto Annunciationis B. V.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum Lucæ 1.

Divinum: Fiat: Mundi Creatio. Marianum: Fiat, Mundi reſtauratio.

AD ſpectandam hodie totius univerſi fortuniſſimam Recreationem, uno eodemque verbo ſimul cœptam, ſimul perfectam, invitamini Domini Academici. Formationem primam Mundi legiſtis apud Ovidium Naſonem Poetæ: apud Lactantium Firmianum Rhetores, apud Mercurium Triſmegiſtum Philoſophi, apud diviniſſimum Moyſen Theologi. Hodie mecum ejusdem Mundi reformationem legetis apud Lucam Evangeliſtam Domini c. 1. ibi; miſſus eſt.

Efformaverat divina illa potentia, hanc rerum univerſitatem Principio ſui ſanè pulcherrimam Illic cœlum, iſthic terram ſuſpenderat; qvibus velut vaſtiſſimum Oceanum, innumeris refertum incolis, fluidum infuderat aërem: ſuâ & amplitudine, & loci præcellentia, fluviis, mariqve dominantem: accenderat in cœlo luminaria, alia quæ diei, alia quæ præeſſent nocti, alia quæ fulgerent in ſigna, annos, & tempora: intra auras, hoſpitari voluit volucres, alias qvæ pipiunt, alias, quæ fritinniunt, alias quæ cantillant, alias, quæ zinzilulant: hæ glocitant, hæ gemunt, illæ garriunt In terra, ibi potentia divina ludebat in floribus, ibi fructificabat in arboribus, ibi jocabatur in fluminibus, ibi emicabat in fontibus; ibi efferebat montes, iſthic deprimebat valles; alibi campos in planum extenderat; alibi argenti maſſam, alibi auri copiam, alibi margaritarum, & gemmarum pretia ſparſerat. Et nè quid ad tantorum decorum cumulum deſiderari videretur, creavit DEUS hominem, hoc eſt, univerſi totius largiſſimum compendium, qui hanc rerum pulchritudinem contemplatus, eam *Mundum*, hoc eſt, ut alicubi dixit Plinius, id, quo nihil mundius, nihil ornatius, nihil cultius eſſe poſſit, compellavit.

Verum, quemadmodum hæc temporaria ſunt, labente die in diem, defluentibus annis & ſæculis, ſenuit mundus: & qvod nuper aurum, hoc tandem ſcoria, & quod nuper Roſa, hoc tandem dumetum, & qvod nuper flamma, hoc tandem fumus, & qvod nuper mundus, hoc jam non mundus apparuit. Ipſi cœli, ut veſtimentum veteraſcere viſi: interturbati ſolares curſus, jam ad Joſue, jam ad Iſaiæ prophetæ imperium: Luna tot Ecclypſibus obnoxia, vix ſibi ſua: in ipſis ſtellis repertæ pravitates; de ſuo, exire elementa; terra in vicem roſarum, ſpinas ferre, & tribulos: aquarum effuſiones univerſam orbis obruere machinam: aër viciniæ minari tonitru, fulgure, fulmine; ignes integra regna vorare incendiis.

Ille

Ille inprimis Mundus deficere viſus; qvem Microcoſmum, ſeu Hominem appellamus. Erat ille divinâ fabricatus manu, eâ arte, ut uno velut brachio, quà materiâ conſtans, corpoream altero, quà animâ præditus immortali, complecteretur naturam Angelicam: & intelligere, & arbitrari, & libere velle natus: nec minus, quàm magnus iſte mundus, inſtructus varietatib9. Pollebat intellectu, pollebat voluntate, memoriâ, videndi, audiendi, odorandiq; guſtandiq;, ac etiam ſentiendi facultate; nec minor illi virtus, aut ſe de loco in locum transferendi, aut ſeſe nutriendi, aut tuendi, aut aliena propulſandi. Inter prima decora illi, Monile divinum, Juſtitia Originalis, quæ Solis adinſtar univerſum hoc immenſis ſplendoribus illuſtrabat. Virtutes reliquæ, quas infuſas vocamus, vicem ſtellarum, aliorumq; ſiderum: vicem quatuor elementorum ſupplebant Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, & temperantia. Donorum cæterorum, tam naturæ, quam gratiæ ſeries, innumera multitudo, non minus implebant Hominem quam hoc noſtrum univerſum, tot alia, & alia exornent rerum promptuaria.

Sed ecce, & hic mundus, inter tantas viciſſitudines, ſolisqve ſiderumqve obtenebrationes, non modò obſcuruit, verum interitui quoqve proximus factus eſt. Primum illi malum, ex malo; unde toti mortalitati malorum Ilias. Neq; ceſpitâſſe, aut lapſum fuiſſe, ſatis fuit; ſemper in pejora itum; ſemper in deteriora, ut jam inveteratus malorum ſenex; deperdita Originalis Juſtitiæ pulchritudine, obfuſcatâ Solis, ſiderumque eminenti Luce, turbatis reliquarum virtutum ordinibus, & rebus demum in interitum magis, magisq; labentibus, non aliud haberet ſuper, quam ſepulchrum.

Cum ecce benignos cœlos! adeſt Ille, qui de ſeipſo poſtmodum edixit Ap. 21. ecce nova facio omnia; ſervataqve prima nuper efformati mundi ratione, modoqve ſuam ſeneſcenti Aqvilæ huic reddidit juventutem; & jam in priſtinum chaos, labens univerſum, primævæ illi, ſed quæ multis augeretur ornamentis, reſtituit pulchritudini; hoc unica diverſitate intercurrente, quòd ibi Mundi Fabricator DEUS Pater, hic per Filium ſuum, Mundi reſtauratrix DEI Mater. Non eſt hic ſermo meus, quanquam & alioqvin meus; ſed eſt illius ſubtilis Archi-præſulis Anſelmi, qui in alloqviis cœleſtibus jam dudum, ita edixit: Qvi potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata, ſinè Maria reficere. DEUS igitur eſt Pater rerum creatarum, & Maria, Mater rerum creatarum: DEUS eſt Pater conſtitutionis omnium, & Maria eſt Mater reſtitutionis omnium. DEUS enim genuit illum, per quem omnia ſunt facta; & Maria peperit illum, per quem omnia ſunt ſalvata. DEUS genuit illum, ſinè quo penitus nihil eſt, & Maria peperit illum, ſine quo omnino nihil bene eſt. Hæc Anſelmus.

DEUS igitur eſt Pater Creaturarum, & Maria Mater rerum recreatarum. Nunc qvibus de cauſis id ſuſtineri poſſit, videamus. Geneſeos primo; dixit DEUS: Fiat lux! & illico, per cœli concava diffundi ſplendores, & naſcentem vidisſes circumire diem: inde qvæ modo infans lux fuerat, creſcere in fulgorem, & qvod modò tenuis radius, jam abire in flammam, in ignes, in incendium. Fugit triſte vacuum, & per inane circumerrantes, in primæva latibula feruntur tenebræ; palleſcunt noctium terga, & non ſine cauſarum momentis, præcipitatis paſſibus in ſuum properant abire nihilum. Ridet amœna lux, & largo circumfuſa ſplendore, inter admirationis & gaudiorum extaſes, feſtiva celebrat tripudia. Fiat lux! & facta eſt lux. Ità DEUS.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum, ità Lucæ 1. Maria. Fiat! & ecce illico Verbum Caro factum eſt, & habitavit in Nobis; illa lux, qvæ de ſeipſa Joh. 8. Ego ſum lux mundi. Illa lux, de qua Joh. 12. ambulate dum lucem habetis. Illa lux de qva Joh. 1. quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Audiſtis Academici? utrobiqve dicitur Fiat: utrobiqve facta eſt lux; ibi à DEO, Patre Creaturarum; iſthic à Matre DEI, & ſimul Matre rerum recreatarum.

Pergamus porrò. Geneſos 1. rurſum dixit DEUS: Fiat firmamentum in medio aqvarum, & dividat aquas, ab aqvis: & factum eſt ità. Fiat firmamentum. Audiunt aqvæ, & mox abeunt in mandata, & obſeqvia: pars ima petit, pars ad ſuperna vehitur; mediæ in ſeipſas eunt, & liqviditatem ſuam oblitæ ſpiſſantur in ſolidum, ſolidantur in durum; ducantur in firmamentum. Huc, huc Archimedes, move, ſi potes. Firmamentum eſt. Fiat firmamentum! Ita DEUS.

Fiat mihi ſecundum verbum tuum, ità Maria. Fiat; & illico cœleſtis ille ros, de qvo Patres noſtri Iſ. 49. Rorate cœli deſuper. Ille, qui de ſeipſo Cant. 5. Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium, factus eſt nobis in firmamentum: de quo in ſpiritu prophetico Regius Vates: Dominus Firmamentum Meum. Pſ. 17. Tunc diviſæ ſunt aqvæ ab aqvis, cùm aliæ abierunt in fontes ſalientes in vitam æternam, aliæ more qvorundam fluminum, ſteterunt in ſicco; quibus, quod dereliqviſſent fontem aquæ vivæ; omnis hæſit aquá. Utrobiqve dictum eſt: fiat! utrobiqve factum firmamentum. Ibi DEUS, Pater Creaturarum; hic Maria Mater rerum recreatarum.

Iterum Geneſeos 1. dixit DEUS: Fiant luminaria, ut luceant ſuper terram, & præſint diei, ac nocti, & dividant lucem à tenebris! & factum eſt ità. Fiant, Et illico alia parte de chao ſuo adeſt, reliqva aſtra gubernaturus ſiderum

prin-

Digitized by Google

princeps ſol, diemque pleno terris effundit ſinu. Aliâ parte adhuc Cornuum ignara Luna, fratrem refert, mutuis colludens ſplendoribus; reliqua ſtellarum cohors per vaſtum ſparſa cœlum, fulgurillis ſuis noctium temperat caligines, & quà poteſt arte, noctilucis diem accendit faculis. Fiat! ità DEUS.

Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Ità Maria. Fiat! & ecce Vir, cujus Oriens nomen ejus. Zach. 6. Luminare, quod præſit diei; viſitavit nos oriens ex alto. Lucæ 1. Fiat, & ecce vocem: quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto pulchra ut Luna Cant. 6. Luminare, qvod præſit nocti. Fiat; & jam tunc deſtinabantur in ſtellas ſanctiſſimi Apoſtoli, ſæculorum judices, & vera Mundi Lumina. Utrobiqve dictum fiat; utrobiqve factum eſt ità. Ibi DEUS, Pater Creaturarum; iſthic Maria Mater rerum recreatarum. Ibi creatus mundus; hic reſtauratus mundus. Ad hoc te fecit (ô Maria, Dominus) ut qvod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur. Doctiſſimi Idiotæ ſententia eſt. L. de B. V. c. 4.

Oberrat hic mentem meam Academici, neſcio quod fulgetrum, ex Pſalmo 61. ſemel, ait Propheta ibi, ſemel locutus eſt DEUS: duo hæc audivi: quia poteſtas Dei eſt, & Tibi Domine Miſericordia. Duo memorantur: Poteſtas Domini, & Miſericordia! Certe grandis poteſtas: ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt. Grandis poteſtas: fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aqvas ab aqvis, & factum eſt ita. Grandis poteſtas: congregentur aquæ, qvæ ſub cœlo ſunt, in locum unum, & appareat arida; & factum eſt ità. Annon grandis poteſtas? germinet terram herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum; & factum eſt ità. Annon grandis poteſtas: fiant Luminaria in firmamento cœli, & dividant diem, & noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos, & factum eſt ità, Duo hæc audivi: quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia.

Poteſtatem Domini ſpectavimus; in uno verbo Fiat expreſſam. Sed ubi Miſericordia? Hanc in Mariano Fiat legemus: Inter cædes & mortes medius hærebat mundus; Fiat, inqvit Maria; & en adeſt, qui venit ut vitam habeat, & abundantius habeat mundus, Hoc miſericordiæ eſt. Seneſcit mundus. Fiat, inquit Maria; & jam ad ſilicernium dicitur: renovabitur ut Aquilæ juventus tua. Hoc iterum utiqve miſericordiæ eſt. In ruinas abit mundus. Fiat, inquit Maria, & en habes, per quem de interitu ſuo eripitur mundus. Languet mundus: Fiat, inqvit Maria, & adeſt, qui languores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, ut ſanaretur mundus. Obmutuit, obſurduit mundus. Fiat, inquit Maria; & adeſt, qui ſurdos fecit audire, & mutos loqvi, ut ſic curetur iſte mun-

Digitized by Google

Mundus. Cæcus factus eſt mundus: Fiat, inquit Maria, & omnis caro vidit ſalutare DĖI, adeò jam acutè vidit mundus. In efformatione mundi Patris æternæ Poteſtas: in reſtauratione, Virginis Matris miſericordia: ibi DEUS, Potens Pater creaturarum, iſthic Maria miſericors Mater rerum creatarum.

Verùm, difficultatem Sententiæ attigimus Academici, non explicuimus. Si enim ſemel locutus eſt DEUS, qvomodo Propheta duo audivit? & ſi duo audivit, qvomodo Deus tantum ſemel locutus eſt? ſi fiat ſemel tantum prolatum eſt, qvomodo unum & alterum Fiat: audierimus? & ſi duo fiat audita ſunt, quomodo ſemel tantum, Fiat, inſonuit. Academici! ego hanc rem ſic accipio. Habent hoc valles, ut acceptos ſonos, in ſuum remittant principium: unde qvoque Eclogà qvintà Poeta: ipſe canit: pulſæ referunt ad ſidera valles. Id artificium Nymphæ eſt, quæ nobis Echo dicitur. De qua Naſo in Metamorphoſis tertio: Vocalis Nympha, qvæ nec reticere loqventi, nec prior ipſa loqui didicit, reſonabilis Echo. Hanc alibi vocis imaginem dixit Poeta, inquiens: Concava pulſu ſaxa ſonant, vocisqve offenſa reſultat imago. Tranſit Viator, & vallem verſus locutus, dixit: ſtate! ſtate reſpondebit, Echo. Subjunget fortè: abite! abite reſpondebit Echo. Venite, inquiet ille; venite, repetet illa; redite, dicet iſte; redite, dicet illa. Sic dum neſcio quæ amatrix te ſuum vocaret Theſeum, toto clamanti litore, Theſeu. Reddebant nomen concava ſaxa tuum, canit Ovidius. Verbo: Echo eſt, qvæ voces, auditaque verba reportat.

AA. Nympha hæc, Ancilla Domini, Maria eſt: vocalis illa, & cujus vox dulcis Cant. 2. Nympha, ſeu Virgo, ante partum, Virgo in partu, Virgo poſt partum; ejus imago, qui verbum erat in principio. Domicilium hujus Nymphæ, vallis: nihil illa humilius. Hanc vallem reſpexit DEUS, cum locutus eſt; reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ. Lucæ 1. Quid locutus? Fiat, inqvit DEUS! Audivit Propheta; & cùm DEUS tantùm ſemel locutus eſſet, duo audivit: unum nempe Fiat Poteſtatis, alterum; Fiat, Miſericordiæ: unum quod locutus eſt Pater Creaturarum; alterum, quod repoſuit Mater rerum Creatarum: unum qvod locutus eſt, qui Potens eſt; alterum, quod reddidit, quæ Mater Miſericordiæ eſt: unum, quod protulit, apud quem in principio erat verbum: alterum, quod illa retulit, in qua Caro factum erat verbum.

Et hoc fortè illud eſt, qvod ſub tacito Magnæ hujus Dominæ nomine, dixit Sapientia prov. 8. Qvando (Deus) præparabat cœlos aderam; quando certâ lege, & gyro vallabat abyſſos: quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum; quando circumdabat Mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, nè tranſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ; cum eo eram cuncta componens.

Præ-

Digitized by Google

Præparabat cœlos Dominus; quemadmodum ſcriptum eſt: In principio creavit Deus cœlum & terram: aderat DEO cœlos, & aqvas cœleſtes formanti Maria, inquit hic Cornelius à lapide, quia qvidquid in eis pulchrè condebat Deus, id totum vel literaliter, vel ſpiritualiter pulchrius deſtinabat indere B. Virgini; quia ipſa futura erat cœlum animatum; in quo plenitudo divinitatis habitatura erat corporaliter. Quemadmodum enim Damaſcenus orat. 1. de B. V. prædocet; Maria præ primo longè divinius cœlum eſt; in illo Solem, quem videmus effecerat Deus: in hoc Sol juſtitiæ nobis ortus eſt.

Firmavit Deus in principio æthera ſurſum, & libravit fontes aqvarum, quos quaſi librà & trutina, per univerſam terram aptiſſimis ſpatiis diviſit, diſtribuit, & dimenſus eſt, inqvit Molina. Fecit hoc & Maria, quæ eſt ille fons paradiſi, qvi egreſſus inde dividitur in quatuor capita ſeſe per innumerabiles aqvæ ductus, & gratiarum effluvia toti propinans orbi, ac ſemetipſam in omnes dividens, atqve diffundens.

Circumdedit principio mundi DEUS mari terminum ſuum. Hoc feliciſſimè & Maria, quando Verbum divinum, mare illud, atqve abyſſum immenſam omnis ſapientiæ, potentiæ, bonitatis, atqve omnis virtutis, ſuis virgineis concluſit viſceribus; qvare & ſecundum D. Ambroſium Merechemja id eſt ex utero Deus dicta eſt, quia ſcilicet ipſa ex utero concepit, & genuit Deum.

Appendit in principio DEUS fundamenta terræ; id eſt, ut vult Hugo, & Lyranus, conſtituit, deſignavitq; ſuum terræ centrum, ad qvod omnia gravia ferrentur, ut ad locum proprium, & ſedem qvietem. Idipſum, inquit Cornelius à Lapide, rectè adoptes B. Virgini, in qva Deus, qui eſt centrum magnitudinis ideoqve centrum omnium creaturarum, ſedem ſuam figere voluit; futurus centrum, ſcopusq; omnium, & ſingularum creaturarum.

Deniqve fecit Deus cœlum, terram, lucem, & diem, ſolem, & lunam, firmamentum & ſtellas, lignum, & herbam, quadrupedia & piſces, virum, & mulierem: & vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Verùm ùt dictum eſt, labentibus temporibus mundus iſte ſenuit; emutuit, obſurduit, cæcus, & pæne amens in pluribus corruptus, in multis à ſeipſo diviſus fuit. Qvare ſapientia reparatrice opus erat, quæ labefactata ſolidaret, everſa reſtauraret, proſtrata erigeret, diviſa recolligeret, componeretq;. Et hæc eſt, de qva in præſentiarum, Maria. Cum eo eram cuncta componens. DEUS, Pater creaturarum; Maria mater rerum creatarum; ille quod nondum erat, ponens; iſta quod turbatum erat, rurſum componens.

Quæ cum ità ſint, eſt quod tibi ſupplex accidam Domina potentiſſima. Ad

Digitized by Google

ſacerrimos pedes tuos proſtratus, non ſinè immenſorum gaudiorum eluvio, agnoſco gratus felicitatem, quam labenti Mundo ô Diva contuliſti. Per te reſtauratus ſtetit, per te vitam vixit, & abundatiorem, & fortunatiorem; per te, qui in umbra mortis ſedebat, Lumen veritatis, Lumen juſtitiæ aſpexit. At ecce, mundus hic rurſum ſenuit, rurſum eviluit; jam annum à ſui reſtauratione agit milleſimum & prope ſeptingenteſimum. Quacunque inſpicitur, ægerrimè habet. Humidum radicale maximâ ſui parte conſumptum, refrigeſcente nimirum charitate, & abundante perverſiſſimorum mortalium nequitia Jam Silicernium eſt, ſtatuit oculos ſuos declinare in terram, nil ſapit præter terram; homo de humo, terra de terra, totus in quærenda terra, brevi periturus cum terra.

Potentiſſima Domina! locutus eſt ſuum Fiat, DEUS, quod erat poteſtatis. Echo divini verbi es, ô Nympha diviniſſima, illâ longè celebratior, quæ apud Olympios ſepties vocem reddere eandem ſolita. Tuum Fiat imploramus. Ecce qvantum tenebrarum quantum caliginis, & umbrarum ſuper faciem hujus mundanæ abyſſi, quando homines magis dilexerunt tenebras quàm lucem, o audiamus ex Te. Fiat Lux!

Mundi Domina! en quàm varia mundum ſors verſat, & quantas ludit fortuna vices! nihil ſub ſole ſtabile, firmum nihil; præſertim, ubi virtus, Numinis, que honor & gloria quæritur. O audiamus ex te! Fiat Firmamentum.

Cœli, terrarumque Regina narraverunt nobis Patres noſtri, quia Orbis Chriſtianorum gemino illuſtrabatur luminari, quorum alterum præerat Orienti, alterum occidenti. O audiamus ex te. Fiant Luminaria in firmamento, ut Joſephus præſit Orienti, & Carolus occidenti.

Mater ſanctæ ſpei: bella horrida bella! vibravit hoſtis gladium ſuum arcum ſuum tetendit, & paravit illum; ſagittas ſuas ardentibus effecit. Audiamus ô ex Te. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis ô Hiſpania.

Refugium Peccatorum Maria; dolores mortis circumdederunt nos, & multiplicatæ ſunt iniquitates noſtræ capillos capitum noſtrorum. O audiamus; fiat miſericordia. Salus infirmorum Maria-ecce mors in olla. Mors in olla. Mors in civitate, mors in ſolitudine, mors in agris, mors inter parietes; cunctam pervadente regionem peſtilentiâ. O audiamus ex te. Fiat tibi ſicut crediſti.

Septies dabat reſponſum Echo Olympica. Ergo loquar ſeptimum. Ecce omnes morimur, & qvaſi aqvæ dilabimur, ſuper terram. Fluit hora, & mors brevi concuſſura clepſydram dicet, ſatis. Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis, & da, ut audiamus ex te fortunatum.

Fiat. Amen.

Die

Die Cænæ Domini.

Cùm dilexiſſet ſuos (JESUS) qui erant in mundo; in finem dilexit eos. Joh. 13.

Mors, & Amor paciſcuntur, ut Chriſtus amare, & mori, mori, & adhuc amare poſſit.

IESU Chriſti, in genus humanum Amoris ea eſt magnitudo, AA. ut hanc nemo expreſſurus videatur felicius, qvàm taciturna ſeſe non ferentis animi admiratio. Quia tamen ſilere non debui, ubi mihi pro imperio ad loquendum eſt ſpectatiſſima tot ſapientum Capitum præſentia; non detrectabo hodie conceptos ſuper argumento hoc, mentis meæ ſenſus facere palàm; non tam ducturus manum per ſingula, qvam velut è longinquo proſpectantem, ſummo ſolum digito monſtraturus reconditam latentium myſteriorum veritatem.

Rem maximam abſolvam paucis: magnis veſtris cogitationibus ſerviturus ſilentio; ſi modò prius expoſuero, Redemptoris noſtri conſilium, cui non ſatis fuerit ſuos, qvi erant in mundo, amâſſe, & mori: Sed ſic pariter voluiſſe mori, ut adhuc amaret: Non ſatis diligere usque in finem; ſed dilectione voluiſſe ipſum tranſcendiſſe finem: non deniqve ſatis eidem fuiſſe, prodigere vitam usqve in mortem, ſed in ipſa morte collocaſſe, qvam rurſum exponeret vitam.

Mirabile Amoris ingenium: Mortem hodierno die Cænæ Domini cum Vita paciſci fecit: Vitâ annuente, ut generis humani Redemptor amare poſſet, & mori: Morte nihil obſtante, ut idem mori poſſet, & adhuc amare: atqve ſic mors fulcrum fieret Vitæ, cujus ruina fuit; & Vita mortis eſſet fomentum, quæ mortis erat exitium.

Juraverint hactenus mors, & Vita, ſempiterna divortia; hodie Amor & Vitam, & mortem utraq; unum fecit. Sic dilexit Chriſtus, utusq; in finem; ſic in finem, ut ultra finem diligat; Vitæ uniat mortem; morti Vitam; in ipſo Ortu occiduus; in ipſo caſu Oriens: manet, & abit; abit, & manet; Vita moriens; Mors vivens: amat, & moritur, moritur, & adhuc ſub eliminati panis ſphærula amat. Parum eſt ardenter amanti Salvatori amare, & mori; amplius affectio ejus extenditur; anhelat mori, & adhuc amare. Sciens JESUS, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, accepit panem, & benedixit, ac fregit; deditqve diſcipulis ſuis dicens: accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Accipite, non modo in memoriam meæ Paſſionis ſed pariter, de quo ego pauca in præſentiarum, in conteſtationem ſemper duraturæ meæ dilectionis. Atqve hic ego Academici, nihil penſi habeo, ſi fortè in ſcrutatione tanti

my-

myſterii mea ſeſe perdat oratio; ibo vitam ſalvatoris, ac Mortem inter medius: hic perdi non poſſum; ubi mihi Mors Chriſti eſt in vitam, & ubi emortuam dictionem animabit Vita Redemptoris.

Vita corporis anima eſt; animæ vita, eſt amare. Amoris vita pati; patientiæ vita poſſe amare ſimul, & pati. Aut mori, aut pati, dicebat Seraphicus Amor Thereſiæ. Placetne audire, quid in tota Vita ſua faciat Chriſtus? amavit. Ideo nobis datus, ideo nobis natus, quòd diligeremur. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum Unigenitum daret. Redemptoris Noſtri, & Amoris unus, idemq; in mundum ingreſſus fuit,

Chriſtus charitas eſt. Non credimus? præcepta ejus ponderemus. In hoc cognoſcent omnes, qvia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. Chriſtus charitas eſt. Hæremus! ad monumentum properemus Lazari; quid ibi audituri? ecce qvomodo amabat eum. Si non credimus verbis, credamus, quas Dominus fudit, lacrymis. Chriſtus charitas eſt. Inſpice principium, ſcrutare medium, reſpice finem: perpende ſurſum, perpende deorſum: metire longitudinem, metire latitudinem: cum dilexiſſet ſuos JESUS, in finem dilexit eos.

Vita ergo Chriſti amare: ſed Amoris Chriſti vita aut pati, aut mori. Imò pati, & mori. Imò pati, & mori, & adhuc amare, hæc vita Amoris Chriſti fuit. Luſtremus Jeroſolymæ cænacula, inſpiciamus phariſæorum ſedes, intremus hortos Gethſemani, adeamus Principum palatia videamus ædes Caiphæ, aſcendamus ad Pilati atrium, accedamus Herodis baſilicam, egrediamur in montem Calvariæ, ubiq; amat Chriſtus, ubique patitur.

In cænaculo turbatur ſpiritu; venumdatur in domibus phariſæorum, captivatur in horto Gethſemani, luditur in Regia Herodis, excarnificatur in atrio Pilati, raptatur per vias Jeruſalem, pendet denique in monte Calvariæ è ligno Crucis, maledictum pro nobis factus Amor Chriſti, in promptu cauſa: Amavit.

Traditus in manus latronum, & laqueos inimicorum: in crudelitatem furentium, & ſævitiam barbarorum: poſitus Judæis in ſcandalum, gentibus in ſtultitiam: factus in percuſſiones, & flagella; conſputationes, & opprobria; deriſiones, & ludibria, agones, & deliquia. Amavit.

A Juda appretiatus triginta argenteis: à Petro, ſecundum, & tertium pernegatus; deſertus à ſuis: elanguerunt oculi ejus præ inopia: raptatus ab alienis: circumdederunt eum canes multi. Vincitur à carnificibus, depalmatur à militibus, conſpuitur à Judæis, flagellatur à gentilibus, finem crudelitati non factu-

factis, dum locus plagæ, plaga flagellis, flagellum ferociæ ferocia tortoribus ſuperfuerit. Sic amavit.

Hæc Præſidum crudeli clementia hactenus acta: circumſiſtitur jam à ſæviſſimis hoſtibus, raptatur, affigitur; ſupponitur ferali cruci; proſciſſo corpore, laxatis artubus, manante ubertim ſanguine: ducitur ſemivivus extra urbem exſibilatus conviciis, cumulatus opprobriis, oneratus contumeliis; nullo de ſuis comite, nullo conſolatore.

Una tu mæſtiſſima Mater, una tu miſerabili lamentantium Mulierum comitata cætu, affuiſti; qualemcunqve opem, ſi poſſes, allatura. Sed & tu illa fuiſti, quæ magnitudinem dolorum in filio deleviſti triſtisſimo illo aſpectu tuo, quò à temetipſa dividebaris, deleviſti, inqvam, majorum cauſa dolorum. O quàm metuendum erat, nè dies ille utriusqve duceret ruinam; Matremq; cum Filio, amantes, & dolentes, eodem amoris, & doloris tumularet conditorio.

Verum jam ad montem Calvariæ deventum eſt Academici. Reſpiciamus nunc in faciem Chriſti, & de Cruce pendentis Amoris ſpectemus effigiem; ſi fortè & illic amantium legamus veſtigia, & qvantum pati, Amori Vita indulſerit, videamus.

Horret ſpinis in crudelem Sphæram redeuntibus ſacerrimum ſalvatoris caput; & tot venturæ morti concedit aditus, qvot habet vulnera. Quot rivos numerat ſanguinis, tot exitum properanti vitæ pandit oſtia. Hærent in funeſto ligno innoxiæ manus, & pedes Redemptoris, atqve nos amplexari avida brachia, infauſtisſimo vinculo, infames clavi detinent.

Riget frons, emoriuntur oculi, cruentantur genæ, flaveſcunt crines, torpet lingva, diffugit vox; pallent labra, mæret aſpectus, exulat decor, labant genua, obrigeſcunt brachia; demum, quod uterq; obſtupeſcat mundus, moritur Deus, & tot viis, qvot vulneribus cedere facilis fugit vita.

Quis dabit capiti meo aqvam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte Interfectum Filiæ populi mei. Quis dabit mihi pennas gemebundæ columbæ, & volabo, & reqvieſcam in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, in ſacratiſſimis vulneribus Salvatoris.

Hæc Academici, Chriſti vita fuit: Amare. Hæc Amoris Chriſti vita, pati. Langvores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Vulneratus eſt propter iniqvitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Omnes nos quaſi oves erravimus; unusqvisq; in viam ſuam declinavit, & poſuit in eo Dominus

Digitized by Google

iniquitates omnium noſtrum. Traditus eſt, quia ipſe voluit, & cùm diligeret ſuos, in finem, in mortem dilexit eos.

Sed enim parum eſt amantiſſimo Salvatori ſic amâſſe, ſic pati, ſic mori. Mori deſtinavit, ut ultra omnes mortis terminos amaret. Quô momento ſtatuit mori, & præberet ſui in nos amoris argumentum, eodem momentô ſtatuit in Euchariſtiæ ſuperſtitis ſacramento vivere, nè poneret dilectioni obſtaculum. Chriſti fortis dilectio, vivens moritur, moriens vivit; moritur, qvia amat, & vivit, ut amet.

Nemo mihi nunciet fabulas, Amorem, cùm eviduatâ jam pharetrâ omnes ſagittas eſſet ejacultatus, tandem ſemetipſum impoſuiſſe arcui, ut haberet, quô amatum feriret. Chriſtus cum dilexiſſet ſuos in finem, tandem ſemetipſum ex immenſi amoris impetu, diviniſſimo ferculo injecit, quantò majore charitate, tantò certiùs mortalium corda ipſe jaculi vice ſubiturus.

Atq; hæc ſunt illa, Vitam, ac Mortem inter fædera; quæ hodie in Cæna Domini, ad Euchariſticas epulas, teſtibus Apoſtolis, inita, prætioſo Redemptoris ſanguine ſubſignata Chriſto, amores in vita, indulſere; poſt mortem non abſtulerê. Vita Mortem quærit, ut Chriſtus rurſum vivere poſſit: Mors vitam qværit, ut rurſum mori poſſit. Mors vitam non finit ad amandum; ſicut nec Vita mortem exterminat ad patiendum.

Fortis eſt mors: fortis ùt mors, dilectio; dura ſicut infernus æmulatio. Geſtat pharetram mors: geſtat & Amor. Vibrat ſpicula mors; & Amor: Tendit arcum Mors; & Amor. Verſat enſem Mors, & Amor: ſcuto defenditur Mors; & Amor. Haſtam torqvet mors, & Amor. Falcem intentat Mors & Amor. Laqveos tendit Mors; & Amor. Fortis mors, fortis Amor. Dilectio Chriſti, mortem adeò ſibi ſimilem, ſi non amat, non pavet; imò charam habet cum qva paciſci audet. Amica Amoris eſt Mors; modo Amorem non impediat.

Placetne majus quidpiam? dura ſicut infernus æmulatio. Magno JESU Chriſti amori parum eſt, mortis induiſſe naturam: quæ ipſo, qvo torqvet momento, tormentum finit. Productius tormentum, productius pati, vult Amor: ultra mortem amare, ultra mortem pati quærit Amor. Gehennæ, & Amori, diverſiſſimâ quidem causâ, effectu tamen ſimili, eundem ſcripturæ volunt eſſe modum, & terminum. In Amore perinde ac in gehenna, vita producitur, ut mors ſuſtineatur; & mors ſuſtinetur, ut vita ſemper, atqve ſemper interimatur.

Parum

Parum eſt Salvatori noſtro tradi, & circumdari canibus; corpus dare percutientibus, & genas vellentibus, parari in flagella, fodi manus pedesqve dinumerari oſſa, recipere in eſcam fel, & in ſiti potari aceto: ultra eſt, quod qværit Amor. In minutum panis Euchariſtici fruſtulum ſeſe colligit, ut illic amare, & amari, addo, amare, & pati poſſit. O qvoties ille iſtic proſcindetur lingvis blaſphemorum hæreticorum! Quoties immittetur cordibus ſceleratorum Catholicorum! quoties ille molis conteretur hominum nefariorum! quoties ad opprobria, & ludibria trahetur in domibus incredulorum!

O DEUM prodigum ſui præ deſiderio homines! exclamat Gvarricus Abbas Sem. 1. in Pent. Annon prodigum, qui non ſolùm ſua, ſed & ſeipſum impendit, ut hominem recuperaret non tam ſibi, qvam homini ipſi! Addamus: an non prodigum, qui ſemetipſum impendit in mortem, & ultra mortem, toties paratus denuo proſcindi lingvis, toties impuris premi labiis, toties ſatulentis excipi hominum præcordiis, qvoties iisdem in te inſanire libuerit.

O verè Amor continuò moriens, ô dilectio ſemper mors vivens! video in ſole poſuiſti tabernaculum tuum; Sponſe diviniſſime. Sol oritur, & occidit, inqvit Eccleſiaſtes; non diverſis ſanè temporibus, ſed momento eodem mortis ſepulchra, & vitæ patitur incunabula, infantiæ naſcentis injurias, & mortis ſubeuntis pœnas. Neſcias qvid ægrius ſit huic ſideri: an incunabula jam adultum ſuſtinere; an mortis ſepulchra vix natum intrare? Eodem inſtanti & antipodibus aſtrum hoc lucet, & nobis occidit; itaqve moriens vivit, & vivens moritur ſol, magnum Amoris divini Euchariſtici Symbolum.

Mortis anguſtias hodie ſubit CHRISTUS, & vitæ longævitatem non perdit: Producit vitæ ſuæ ortum, nec vitat occaſus interitum. In ipſo mortis ſepulchro, in ipſo occaſu ortum invenit: imò idem ipſe ortus, & occaſus, occaſus, & ortus eſt. Ecce Amoris tabernaculum in ſole, CHRISTUS in tabernaculo Euchariſtico: in ſolari orbiculo: hic nec vita exterminat Mortem; nec mors refragatur vitæ. Idem myſterium eſt; quod ſe in cœlo conſpexiſſe ſcribit diſcipulus Amoris. Vidi inqvit Agnum ſtantem, tanquam occiſum. Quid ſibi vult hæc tam diverſorum enunciatio, diviniſſime Apoſtole? vidi Agnum ſtantem, tanqvam occiſum! ſi ſtat, qvomodo arbitrabimur occiſum! Si occiſus, quomodo etiamnum ſtat! ſtare, triumphantium eſt, non clades in jugulo ferentium. Triumphantem vidit, qvi filium hominis ſtantem à dextris videbat. Nega ergo occiſum, ſi ſtantem vides. Aut ſtare nega, ſi occiſum dicis.

Digitized by Google

Remitte in cœlum oculos, ſi fortè ſtantem, ſed non occiſum; aut ſi occiſum, & non ſtantem deprehendas. Sed bene vidit, qvæcunque Aquila illa vidit. Stantem vidit, ut agnoſcamus viventem; tanqvam occiſum vidit, ut diſcamus, quantum diligi oporteat pro nobis morientem. Qvaſi occiſus apparet, ut anguſtias tuæ paſſionis exprimat; ſtat, ut Crucis anguſtias paſſus, vitam amori, in immenſum producat. Abnuit Salvator noſter experiri mortis dolores, niſi longius in ævum immortalem vitam produceret; non adeò blandiretur Amori, niſi nobili purpuraſceret ſanguine; non adularetur affectui, niſi perenni ſtatione perſiſteret. Vitam Morti univit: Morti Vitam. Ut amoris ſui ſibi conſcius ſeſe nobis conſpiciendum dare poſſet & vivus, & mortuus. Demum Agnus Euchariſticus jugitur immolatur, ſed immolatus vivit jugiter; ſtat occiſus; quia paſſionis anguſtias Amore Duce toleratas, Euchariſtia repreſentat; Sed occiſus quia in Euchariſtia immortalis, atque triumphabundus Amor adhuc amat. Quare diem hodiernum, Diem Amoris compellare ſolita eſt Beata Maria Magdelena de Pazzis; Amorem Amorum dixit D. Bernardus; nil niſi Amorem Beatisſima Angela de Fulginiò; ipſam verò Sacro-Sanctam Euchariſtiam, effuſionem divitiarum DEI nuncupavit Concilium Tridentinum, cùm Seſs. 13. c. 2. dixit: Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum; & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annunciare mortem, donec ipſe ad judicandum mundum veniat. Sic hoc Sacramentum inſtituit, ut diſceſſurus maneret, manens diſcederet; amaret, moreretur, moreretur, & adhuc amaret.

Repetat nunc Amoris Diſcipulus: Vidi Agnum ſtantem, tanquam occiſum; repetat Vates Regius; In ſole poſuit tabernaculum ſuum: repetat divinus ſponſus: fortis ut mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio. Annuat vita, ut Chriſtus amare, & mori poſſit: Non obſtet mors, ut Chriſtus mori, & tamen adhuc amare poſſit. Noſtrum eſt Academici hanc Amoris altitudinem, hanc vitam morientem, hanc mortem viventem, & amantem non proſequi, niſi amore, affectibus, lacrymis, ſuſpiriis.

(O)

Do-

Dominica Reſurrectionis JESU Chriſti.

Surrexit, non eſt hic. Marci. 16.

In Reſurrectione ſumma Chriſtianorum ſpes!

CHriſtianorum ſpes! ô Beata ſpes. Tu, tu noſtras tergis lacrymas, moderaris ſuſpiria, componis gemitus; tu noſtros lenis cruciatus, mitigas dolores, fugas timores, ô beata Spes! Si vincimur, ſi captivamur, tu redimis: Si patimur, ſi periclitamur; tu defendis: ſi cadimus, tu ſuſtines: ſi cecidimus, tu erigis; ſi pugnamus, tu ſcutum es; ſi vulneramur, tu malagma es; ſi peregrinamur, tu dux es; ſi provehimur; tu vehiculum es: ô beata Chriſtianorum ſpes.

Phœnix nobis es, nunqvam tota moreris: palma nobis es; nunquam tota opprimeris: Sol nobis es; nunquam tota occidis: cœlum nobis es! nunquam tota obnubilaris: quædam æternitas nobis es; nunqvam tota effluis: cum moriente Phœnice renaſceris: cum oppreſſa palma reſurgis; cum occiduo ſole reverteris; obnubilato cœlo rurſum ſerenaris, cum æternitate ſemper florente, ſemper vireſcis, floreſcis ſemper, ô beata Chriſtianorum ſpes.

Te Duce, nullus jam mortem metuo: Etſi occiderit me ille, qui vivificat, & mortificat; in ipſo ſperabo: Te Duce; ſepulchri tenebras nil perhorreſco: quando poſt tenebras certam ſpero lucem: Te Duce, ſi conſiſtant adverſum me caſtra; non timebit cor meum; etſi exſurgat adverſum me prælium, adhuc me tenebis ô beata ſpes! Urat per diem Sol: Spes mihi umbraculum eſt; ab altitudine diei non timebo. Urat Luna per noctem; Spes mihi dulcis ſomnus eſt, in idipſum dormiam, & reqvieſcam. O beata ſpes; Tu nobis poſt tenebras lux; poſt nubila Phœbus, poſt bellum pax, Tu in labore reqvies, in æſtu temperies, in luctu, atq; fletu, dulce, & inenarrabile ſolatium!

DD. AA. placet noſſe, quæ ſit iſta Chriſtianorum ſpes? videte, quid ſibi inter hujus mundi varietates, & fortunæ ludibria, inter hujus noſtræ mortalitatis fluxus, refluxusq; ac perpetuas viciſſitudines, quoties ſors blandior miſerum deſtituerit: aut famam proſciderit adverſarius, aut vires corporis proſtraverit morbi vehementia, vel criminum ſuorum non ignara Conſcientia mæſtum pulſaverit animum, qvid ſibi inquam occinat beata Chriſtianorum ſpes. *Scio* inquit, *ſcio quod redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus Sum, & rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* O quæ ſolatia! *Redemptor meus vivit*, ô quæ afflicti hominis refrigeria! *& in noviſ-*

noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum! o quæ preſſi corporis gaudia; *rurſum circumdabor pelle mea*! o quæ Chriſtianorum tripudia! *& in carne mea videbo DEUM meum.*

Quidquamne in hoc mundo eſſe poſſit aut in fortuna tam adverſum, aut in viciſſitudinibus tam fluxum, aut in tormentis tam crudele, aut in viſu tam horridum, aut in mortalitate tam miſerum, quod non illico veluti unico ſpongiæ tractu univerſum extergat hæc beata Chriſtianotum ſpes. Quin imò: quidqvamne in hac mortali vita eſſe poſſit aut in honoribus tam ſublime, ac præcelſum: aut in opum congeſtione tam copioſum, ac ſplendidum: aut in deliciis tam exaggeratum, & ſvave: aut in amicis tam charum, ac dulce; qvod non illico mole ſuorum ſolatiorum obruat univerſum hæc beata Chriſtianorum ſpes. Redemptor meus vivit: & de terra ſurrecturus ſum, &. circumdabor pelle mea, &: in carne mea videbo Deum meum!

Dicit mihi quandoque timor: moriendum eſt, moriendum eſt. Sic ſtatutum eſt! & expaveſco, & contremiſco; & fracta voce, valete, inquam, ocelli mei, ah moriendum eſt; Non vos poſthac in hoc veſtro frontis cœlo ſidera fulgebitis, non ardebitis ſtellæ; non mutuos accendetis aſpectus; non curioſi nuncii per lilieta, & roſeta vagabimini; brevi futuri, forte cras, fortè hodie triſtes ſinè luce cavernæ. Valete aures meæ; moriendum, moriendum eſt; Non vos poſthac blandam amicorum oratoriam, & lenocinia, non dulcè ſonantium vocum capietis melodias, non citharæ, non teſtudinis, non loquacium organorum garritus: brevi futuræ, fortè cras, fortè hodie vacua ſinè omni hoſpite diverſoria. A dio, odoratus meus, moriendum eſt. Non poſt hac roſeta, & preſti lilia, non Arabiæ odores, & Indiæ opobalſama, ſed qvod te circum ſtabit, fortè cras fortè hodie, putredo eſt tabes, eſt, fœtor eſt, ſanies eſt: vermium domicilium.

Adio palatum meum: moriendum eſt. Non poſthac inter ebrias dapibus menſas, dulces cum amicis capiemus cibos; non hæc & illa, verſabimus falerna, aut maſſica: brevi ipſi futuri, fortè cras, fortè hodie terræ pabulum, cibus vermium, ſerpentum Convivium. Adio corpus meum! moriendum eſt. Nihil tibi poſthac cum byſſo, & veſtitu Tyrio, nihil cum Phrygibus, & ſeribus. Non tibi poſthac ſomnus inter ſybaritarum roſeta, aut molles olorum exuvias: ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes; fortè cras, fortè hodie.

Ità mihi loqvitur timor, & expaveſco. Sed enim, loquatur beata Chriſtianorum ſpes: & jam timeò nihil, perhorreſco nihil. Moriturus ſum? ſed ſcio, quòd Redemptor meus vivit. Moriturus ſum? Sed ſcio, quòd in noviſſimo die

Digitized by Google

die de terra ſurrecturus ſum. Moriturus ſum? ſed ſcio, quod rurſum circumdabor pelle mea. Moriturus ſum? ſed ſcio, qvod in carne mea videbo Deum Salvatorem, meum.

Eqvidem intelligo, quia hic mundus modò nihil aliud eſt, quàm cæmeteria! ubiqve ſepulchrum: in terra, in mari, in urbibus, in oppidis, in vallibus, in montibus, in ſylveſtribus, in campeſtribus, in fontibus, in fluminibus: ubiqve timor ſcripſit epitaphium: mortuus eſt; ibi poſuerunt eum. Vidit Adam 930. annis: & mortuus eſt; ibi poſuerunt eum. Vixit Seth 912. annis, & mortuus eſt; ibi poſuerunt eum. Vixit Enos 905. annis: mortuus eſt, ibi poſuerunt eum. Vixit Cainan 840. annis; mortuus eſt, ibi poſuerunt eum. Vixit Mathuſalem 969. annis; mortuus eſt, ibi poſuerunt eum. Verum enim vero, adhuc modicum, & ecce veniet dies nota Domino, & in momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba de terra ſurrecturus ſum: & jam illud ſcribetur epitaphium: *Surrexit, non eſt hic.* Hic tumulus colonum tegebat; ſurrexit, non eſt hic. Hoc Mauſolæum Regem tegebat; ſurrexit, non eſt hic. Hac ſub terra, hoc ſub ceſpite qvievit ruſtica Baucis. Hoc ſub pyramide, Auguſtum Imperatricis caput; illic Dominus, iſthic ſervus; ibi junior Doſitheus, hic ſenior Pachomius indormiit; non eſthic.

Oſſa arida, oſſa arida; & qvotquot ſub ſepulchralibus marmoribus, qvotqvot per terræ viſcera, mariumve tractus diſperſi, in Domino, aut frigetis, aut caletis mortales cineres; audite, qvidnam vobis nunciet beata Chriſtianorum ſpes! Jacetis, tacetis muta, ſurda, elinguia, arida oſſa in pulvere veſtro; nulla veſtri mundo cura, nulla veſtri mortalibus memoria; dormite, & requieſcite ſub molli ceſpite: ecce modicum, & veniet dies, & intromittam in vos ſpiritum, & vivetis, & ſcietis, quia ego Dominus. Modicum adhuc, & ecce depilis hæc veſtra calvaria, hoc nunc inanes aut ſolorum vermium diverſorium, ipſius divinitatis æternùm viventis erit habitaculum. Modicum adhuc, & ecce hic veſter, cui moriendo indormiſtis cinerum acervus, formabitur indè in cryſtallum oculorum, inde in ſuperciliorum irides, inde in frontis ebur, indè in cirrhos capillorum, inde in roſas genarum indè, in labiorum purpuram. Modicùm adhuc, & ecce hi veſtri ocelli, quibus cæca mors jam ante ſæcula omnem lucem extinxerat; Lucem illam in acceſſibilem mortalibus, conſpecturi ſunt: illæ aures veſtræ, per tot ſæcula, inania ſinè ſpiritu, & voce organa; inter lætiſſima divinorum ſpirituum cantica reanimabuntur: Ille odoratus veſter, per tanta ſæcula, putredinis, ac vermium inqvilinus, cœleſtibus æternorum collium paſcetur aroma-

Digitized by Google

aromatis. Illud palatum veſtrum, jam ante ſæcula cibus ſerpentium; de torrente illius ſupernæ voluptatis potabitur: Illud corpus veſtrum, tot laboribus, & ſudoribus, tot cruciatibus & doloribus, tot infame curis, & perſecutionibus, reſurget in gloria; de ſepulchro ad vitam; de tenebris ad lucem: de certamine ad victoriam; de prælio ad palmam; de exilio ad patriam. O beata Chriſtianorum ſpes!

Tonent ergo, fulgurent, pluant, grandinent, fulminent ſidera: non metuo premi palma; quæ ſic preſſa, ſic reſurgam. Involvar, obruar, opprimar quocunqve terræ ceſpite; nihil granum frumenti perhorreſco, qvando niſi mortuum, fructum non affero. Moriar in indulo meo, & in flabiles reſolvar cineres, fortunatus Phœnix, qvando ſic feliciorem in vitam transferendus ſum.

Eſt ſtella in tenebris clarior: eſt Luna poſt defectum plenior: eſt Phœbus poſt nubila pulchrior: eſt roſetum à ſpinis formoſius; eſt lilium à rore fœcundius: eſt thus ab igne odoratius: eſt aurum à flammis purius: eſt oliva poſt fata virentior: eſt cypreſſus à funere fauſtior: eſt cedrus à concuſſione firmior; eſt palma poſt depreſſionem ſublimior.

O beata Chriſtianorum ſpes. *Seminatur in corruptione*, inquit Apoſt. 1. Cor. 15. *Surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale; ſurget corpus ſpirituale.* Tædetme Domine, inqvit Auguſtinus; Medit. c. 21. *Tædetme Domine valde vita hujus & iſtius ærumnoſa peregrinationis! vita hæc, vita miſera, vita caduca, vita incerta, vita laborioſa, vita immunda, vita Domina malorum, regina ſuperborum; plena miſeriis, & erroribus; quæ non eſt dicenda vita, ſed mors.* Aſſentior Auguſtino; ſed vocetur Apoſtolus, & audiatur, qvid ſibi occinat beata Chriſtianorum ſpes: *Seminatur* inqvit, *in corruptione ſurget in in corruptione. O quàm glorioſum eſt regnum, in quo tecum Domine regnant omnes ſancti; ubi juventus nunquam ſeneſcit: ubi vita terminum neſcit: ubi decor nunquam palleſcit: ubi amor nunquam tepeſcit, ubi ſanctas nunquam marceſcit ubi gaudium nunquam decreſcit: ubi dolor nunquam ſentitur: ubi gemitus nunquam auditur, ubi triſte nihil videtur: ubi lætitia ſemper habetur: ubi malum nullum timetur, qvoniam ibi ſummum Bonum poſſidetur.* Auguſt. Col. c. 25. *Surget in incorruptione.*

Seminatur nunc corpus in ignobilitate. *Si ſingulas carnis miſerias enumerare velis, inquit Bernardus, qvàm ſit onerata peccatis, irretita vitiis pruriens concupiſcentiis, occupata paſſionibus, polluta illuſionibus, prona ſemper ad ma-*

malum, *& in omne vitium proclivis*; *plenam omni confuſione*, *& ignominia invenies.* Subſcribo Bernardo: ſed vocetur adhuc Apoſtolus, & audiatur beata Chriſtianorum ſpes! *Seminatur*, inqvit, in *ignobilitate*, *ſurget in gloria.* Mater Jeruſalem, Civitas Sancta DEI, chariſſima Sponſa Chriſti, Te amat cor meum; pulchritudinem tuam nimium deſiderat anima mea. O qvàm decora, qvam glorioſa, qvam generoſa tu es! Nihil in te tale, qvale hic patimur: non ſunt in te tenebræ, aut nox, aut qvælibet diverſitas temporum; non lucet in te lux lucernæ aut ſplendor Lunæ, vel jubar ſtellarum; ſed DEUS de DEO, lux de luce, ſol Juſtitiæ ſemper illuminat te. Auguſtinus. Ibi hymnidici Angelorum chori; ibi ſocietas ſupernorum civium; ibi dulcis ſolemnitas omnium ab hac triſti peregrinatione ad tua gaudia redeuntium: ibi Prophetarum providus chorus; ibi duodenus Apoſtolorum numerus; ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus; ibi ſanctorum confeſſorum ſacer conventus. *Surget in gloria.*

Seminatur nunc qvidem corpus noſtrum in infirmitate: *Væ mihi miſero, loquitur* Auguſtinus ſol. c. 4. *toties obcæcato, qvia Tu* (DEUS) *lux & ego ſinè Te. Væ mihi miſero toties vulnerato, quia Tu ſalus, & ego ſinè Te. Væ mihi miſero, toties infatuato, quia tu es veritas, & ego ſinè te. Væ mihi miſero toties aberrato, quia tu via, & ego ſinè te. Væ mihi miſero toties mortuo, quia Tu vita & ego ſinè te.* Aſſentior Auguſtino. Sed vocetur, ſed audiatur beata Chriſtianorum ſpes. *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Si enim credimus*, loquitur Apoſtolus 1. ad Theſſ. 4. *quod JESUS mortuus eſt*, *& reſurrexit, ità & Deus eos, qui dormierunt per JESUM adducet cum eo & mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi. Deinde nos, qvi vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto*, in aera; & ſic ſemper cum Domino erimus. Ibi videbimus ſcribit Auguſtinus 36. ſolit. Amabimus, & laudabimus: videbimus in Lumine tuo (DEUS) Lumen tuum; Lumen immenſum, Lumen incorporeum, Lumen incorruptibile, incomprehenſibile: Lumen indeficiens, lumen inextinguibile, Lumen inacceſſibile, Lumen increatum, Lumen vendicum, Lumen divinum; qvod illuminat oculos Angelorum; qvod lætificat juventutem Sanctorum; quod eſt lumen luminum, & fons vitæ, qvod es Tu Domine Deus meus. *Surget in virtute.*

Seminatur nunc qvidem corpus noſtrum animale. *Comparatus homo*, inquit Pſalmiſta, *jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Subſcribo Pſalmiſtæ. Sed vocetur, ſed audiatur, qvid ſibi cantillet beata Chriſtianorum ſpes! *Seminatur*, inqvit, *corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.*

Digitized by Google

O vita, ſuſpirat rurſum Auguſtinus medit. c. 21. quam præparavit DEUS diligentibus eum. O vita vitalis, vita beata, vita ſecura, vita tranqvilla, vita pulchra, vita munda, vita caſta, vita ſancta, vita ſinè labe, ſinè corruptione, ſinè anxietate, Sinè dolore, ſinè varietate, ſinè mutatione! libet me tuæ intendere claritati: libet in te oculos cordis attollere; libet de te loqui, de te audire, de te ſcribere: ut vel ſic poſſim ab hujus mortalis, perituræque ardoribus, periculis, & ſudoribus ſub tuæ vitalis auræ dulci refrigerio, tranſire; & tranſiens in ſinu tuo feſſum caput dormiturus vel paulillum reclinare. *Surget corpus ſpirituale.*

Eja Civis cœleſtis; allocutio eſt Angeli, ad Venerabilem P. Julium Mancinellum (ex vita) cùm ob ingruentium adverſitatum multitudinem in mortis deſiderium incidiſſet; Lætare Civis cœleſtis, quandoqvidem unus & ex electis, noli metuere amplius longa, & aſpera itinera, ſolem urentem, hyemem rigentem, noctem obſcuram, & vagas feras, latrones occultos, Saxa, & foveas, famem, ſitim, labores, & ſomnum debilem; crede prudentioribus, & mala aliorum judicia de te ride; lætare Civis Cœleſtis; qvandoquidem es unus ex electis.

Ergo laborate, laborate ocelli mei, quantum poteſtis; ecce Redemptor veſter vivit; erit tempus; cùm eum videbimus; eſt ſpes. Diſcurrite, circumcurrite pedes mei, qvantum poteſtis: Redemptor veſter vivit; erit tempus, cum illi obviam ituri ſumus. Eſt ſpes. Scribite, pingite, laborate, deſudate manus meæ; quantum poteſtis: Redemptor veſter vivit; erit tempus, cum in dulces ejus ruemus amplexus; eſt ſpes. Clamate, prædicate labia mea, quantum poteſtis: Redemptor veſter vivit; erit tempus, cum dulcia Domino figemus baſia. Eſt ſpes. Eja Civis Cœleſtis, lætare, qvandoquidem & unus ex electis; nevè metueris aut ſolem urentem, aut hyemem rigentem; non noctes obſuras, non lugubres curas; non latrones occultos, non adverſarios multos; Civis cœleſtis, unus ex Electis.

Poſt ſex horas, inqviebat illa inter Carnificum manus, atqve tormenta, pro fide Catholica Martyr Anglicana; poſt ſex horas ſuper ſolem, & Lunam evehar, & aſtra pedibus premam Apud. Corn. A A. Poſt ſex forte annos, fortè menſes, fortè hebdomadas, forte dies, fortè horas, & ecce finietur hæc noſtra vita; & ſuccedet illa alia Vita. Ergo

Quam-

1.

Qvamvis brevis ſit hæc vita
Tamen ſemper durat illa.
Quæ eſt vita infinita,
Quamvis brevis ſit hæc vita.

2.

Quamvis brevi ſim favilla
Tamen ſemper floret vita
Semper ardet flamma illa
Quamvis brevi ſim favilla.

3.

Quamvis brevi ero Cinis,
Tamen nullus eſt illius,
Nullus erit vitæ finis,
Quamvis brevi ero cinis.

(*$_*$*)

Digitized by Google

Dominica I. poſt Paſcha.

Non credam. Joh. 20.

Oſtenditur, quæ vitanda, quæ amplectenda iis, qui volunt fieri Athei.

FRequens confeſſus veſter Academici, avidumque divina percipiendi ſtudium, tum etiam patientia, qvà frigidulos ſermones meos recipitis, tum benevolentia, quà ceſpitantem dictionem meam benignè ſuſtinetis, deniqve huic Concioni gratiſſimum ſilentium, in cauſa ſunt, ut non modò dulciſſimis perfundar ſolatiis, qvoties hunc ſapientiſſimorum virorum congreſſum intueor, verum etiam tot gratiis, aliqvid obſeqvii relaturus ſtatuerim, vobiſcum hodie quodpiam ſecretum, forté plerisque ignotum communicare. Secretum inqvam admodum ſecretum, & non niſi vel fortunatiſſimis, vel ſapientiſſimis hujus ſæculi filiis notum. Quanquam enim fuerint, qui hoc myſterium à ſæculis abſconditum libris, typisqve conſignaverint pleraqve tamen hujus materiæ volumina, quorundam nimiâ ſolicitudine, flammis periêre. Cæterum, res, qvam præ manibus habeo, adeò admirabilis, ſcituqve digna, ut homines fuerint, qui adverſa quæqve tolerare, ipſius etiam ſalutis æternæ diſpendium facere, ejus intuitu non dubitàrint. Quin unus aliquis de Sorbona fuit, qvi vivus incendio perire maluit, qvam tantum myſterium ignoràſſe videri. Ad hæc res eſt acqviſitu non difficilis. Nullus hic in legendo, aut deſcribendo, aut perdiſcendo urgetur labor; nullæ expenſæ pecuniariæ. Non opus adire Athenas, aut Corinthum. Non frequentare ſtoam, non peripatum. Non Galeni perqvirere aphoriſmos, non Juſtiniani Codicem. Iter ſolum, quod monſtro, aggredere, & negotium pœne confeciſti. Nec ire labor eſt, ut cum Tragædo loqvar, ipſa deducit via.

Atq; ut animos veſtros AA. ultra ſuſpenſos non teneam; ecce intendo hodie commonſtare viam, quà præſertim noſtra Academica Nobilitas, intra exiguum temporis ſpatium, & absqve omni grandiore conatu poſſit non modò in qvamcunqve infidelitatem, aut hæreſim, ſed in ipſum adeo Atheiſmum pervenire, atqve ità, faventibus inferis, in egregios evadere Atheos. Nunquid hoc myſterium non eſt? Eſſe Chriſtianum, ac ſimul infidelem? eſſe Catholicum, ac ſimul Atheum! eſſe Philoſophum, & ſimul vel maximè deſipere? Nunqvid hoc non Phœnice rarum magis, nec cœlos credere, nec inferos; Nullum Dominum, cui obſequaris, nullum Deum, qvem reverearis, nullum agnoſcere principium, à quo pendeas? Nunquid hoc non prorſus admirabile, neq; timere Judicem, qvi prævaricantem punire poſſit; neque amare Remuneratorem, qui præmiare

miare laborantem velit? Quisqvamne noſtrum eſt, qvi mentem cœlis gubernandis prorſus abſtulent? qui hoc univerſum in eam, qua fulget, majeſtatem, neſcio quo caſu, coaluiſſe ſibi perſvaſerit? qui nihil ſperet futurorum, nihil metuat? qvi ſe ad nodum brutorum in ſuum nihilum revertentium, periturum ſentiat?

Atqvi hæc vos pervenire facillimum! qvomodo! hoc modo. Agite, qvod Thomas, & pervenietis, quò Thomas, imò fortè & ulterius, qvàm Thomas. Ille infidelis in uno, vos, ſi placet, Athei eſſe poteritis in omnibus. Ille non credidit Chriſtum reſurrexiſſe: Atheus nè quidem eſſe, aut fuiſſe, ad hoc vel unum NON, ſufficit. Non credam.

Quid autem Thomas? hoc quod ſcriptura dicit: Thomas non erat cum eis. Cætum Apoſtolorum deſeruit Thomas, inter filios tenebrarum Thomas, hinc illæ voces: non credam: Cum eſt inter Apoſtolos: fideliſſimus Thomas; oſtende inquit nobis Patrem, & ſufficit. Eamus, inqvit, & nos, & moriamur cum eo: receſſit vel tantillum à ſanctorum conſortio, & jam non credit Thomas.

Hoc eſt, unum ex iis, quod futuris Atheis agendum eſt; nè ſcilicet vos in familiaritatem Doctorum, & ſapientum virorum, ac præſertim religioſorum, aut qui plus de probitate morum habent, intimius immittatis. Multa ſunt, quæ iſtud perſvadeant. Sunt enim Primò hujusmodi viri inſtar illius Megarenſis ſaxi, de quo Pauſanias, quod ſemel à lyra Apollinis, contactum toties ejus lyræ ſonum reddebat, quoties vel minimo digiti pulſu feriebatur. Ita viri ſapientes, poſtquam ſemel divino ſpiritu ſunt afflati, nihil niſi Deum, & cœleſtia ſonant. De vitiorum turpitudine, de virtutis amore, de vitæ brevitate, de mundi inanitate, de juſtitia in peccatores, de liberalitate DEI in ſui amatores, de Charitate in Creatorem, de gratitudine erga Salvatorem, perpetua ſunt eorum Cantica. Et Ignatium quidem ſocietatis JESU Fundatorem nominaturi Romani, dicebant; oſtendite nobis illum Patrem, qui ſemper de DEO, & rebus divinis loqvitur. Interea hoc loci nihil diſcitur, quod generoſam nobilitatem deceat, quod libertati faveat, quod ad Atheismum ducat. Neſcit enim hoc hominum genus, vel certè ſpernit ſales, & lepores de ſponſis, & amaſiis, cynæd s, & ganconibus: diſcurſus de præeminentia gloriæ, de præſtantia pſeudo-politicæ, & quantum referat, ſeſe accommodare tempori. In poſtremis habet illa omnia, quæ ars ſaltatoria, qvæ venatoria, qvæ digladiatoria pro magno venditant. Nihil illi, quibus artibus emolliendi patroni, quibus fraudibus premendi adverſarii qvin nec conſveta, ſalutandi, reſalutandivè, aut gratulandi complementa in aliqvo loco reponit; ſinè quibus tamen his temporibus inter nobilitatem non vivitur.

Sunt præterea id genus homines, Magnetis adinſtar: duriſſimum ferrum in ſuam viciniam trahentis. Certè Oniſtus D. modico ſermone aliquando traxit, tria aut qvatuor, quo vellet, hominum millia. Ita Antonius Eremicola, Hilarionem, ita Franciſcus Ægidium, & Bernardum, ita Benedictus Maurum, ità Ignatius Xaverium, velut Gallicani quidam Hercules, facundiæ ſuæ catenis in vota ſua pertraxere. En habes, quid velint, ſperentve, qui ſeſe ſapientum virorum commerciis addixerint. Si quis eſt Demoſthenis, (inquit Ælianus l. 4. eloquentem faciet Demoſthenes: ſi quis eſt Epaminondæ, Militem faciet Epaminondas; ſi quis eſt Ageſilai, magnificum faciet Ageſilaus, ſi quis eſt Ariſtidis, juſtum faciet Ariſtides; ſi quis eſt Socratis, ſapientem faciet Socrates. Quidni addamus: ſi quis eſt freqvens inter religioſos, Religioſum Religioſi facient.

Deniqve viri Sapientes, perpetuum cum vitiis bellum gerunt; proinde nihil inter eos eſt audire magis, qvam vituperia eorum actionum, qvas homines vix vitare poſſumus; vellentque in mundo aliud nihil eſſe, quàm vel æterno ſilentio addictos Brunones, vel abſtinentiâ emaciatos Bernardos, vel inter abdita ſylvarum retruſos Antonios; qui nè jocum qvidem, aut leporem menſæ inferre patiantur. Ergo nihil quæſo Academici, nihil vobis cum ejusmodi hominibus, hac viâ nihil, qvod ad Atheiſmũ faciat, perficitis. Sed potiꝰ ex adverſo, dum hos auditis, ad omnem fidem in DEUM, ad omnem religionem, atq; pietatem abripiemini.

Ac proinde in contrarium abeundum vobis eſt, ſi portum tenere vultis: Itaqve eorum colatis amicitiam, qui cùm ingenio ſint utcunque hebeti, nullis literis, nullâ morum gravitate exculti: inſuper nihil, aut parùm de probitatis ſtudio habent. Deinde freqvens ſit converſatio cum Sexu muliebri: Nam hoc genus mortalium plerumqve helleboro indiget; & nullo laboratur hîc periculo, ut vobis aut ſtatus Religioſus, aut Caſtitatis vota perſvadeantur. Inde futurum ſperate, quod Salomoni eveniſſe teſtantur ſcripturæ, qui cum Regni ſui principio unicum ac verum haberet DEUM, Amore Mulierum Idololatra factus, ſuos proprios filios idolis concremandos conſecravit. Ita & vos confidite fore ut poſteaqvam in varios creaturarum amores abieritis, Dei, ſalutisqve veſtræ obliti in ejusmodi cum Salomone præcipitia abeatis, & aliquando cum excæcato Petro, ad unius ancillæ vocem, nec ipſum amplius Chriſtum Redemptorem veſtrum, agnoſcatis.

Poſt hæc inter primas cura ſit diverſis artibus, puta Saltatoriæ, digladiatoriæ, ac etiam hiſtrionicæ vos ex integro dedere. Hoc enim & veſtris amaſiis, & deitatibus vos faciet acceptiores, & aliâ ex parte ad rixas proniores; valebitqve inſtar alexipharmaci, ad pellendas melancholiæ obfuſcationes, ſi fortè vos pec-

peccatorum commiſſorum dolor, aut meritarum pœnarum timor ſubierit. Proderit etiam ſerio charti foliorum luſibus aſſveſcere; nam his temporibus id ſignum diſtinctivum, ac differentia generoſæ nobilitatis eſt, & hac agendi ratione omnis curæ, atque angorum facilè obliviſcimur; dum ſic integri inter lætas ſocietates dies, noctesq; tranſeunt; quibus alioquin vel melancholiâ conſumeremur, vel chartis, aut negotiis impalleſceremus. Deniqve pro diverſitate temporum, adſint jam Canes Venatorii, jam domeſtici; adſint curules, & diverſorum eqvorum apparatus; & ad fallendas horas, ſi minus cœlum rideat, ad faciendas excurſiones; adſit unus, alterve hiſtrio, aut in neqvitiis bene excocti, & ad omne ſcelus profligati ſervi aliquot; qui cuncta aliorum facta, dicta, obſervent, ſcelera Heri tegant, & promoveant, munuſcula, ad has, illas ſecreto, & fideliter deferant. Et tum enim verò ſpero (ſpero, pro timeo) quòd meus Academicus in brevi erit Thomas, aut planè Atheus, ad omnia promptus dicere; non credo, non credam.

Perge meus juvenis, ſatis eſt mala ſemita, perge,
Hac periêre omnes, quorquot iêre via.

Alterum, quod materiæ huic multum profuerit, eſt AA. ut, ubi primum ex Academia diſceſſum feceritis, pias exhortationes Maurianos Conventus, atque concionatores vitare quantum in vobis erit, omnino ſtudeatis. Et quidem jam, & ab hodie initium faciendum; nè vos fortè nimis multa, & audiſſe, & didiciſſe pæniteat. Thomas, nec Mulieres Chriſtum reſurrexiſſe annunciantes, audivit; neq; Apoſtolis idipſum perſvadere conantibus, fidem habuit.

Hujus moniti multæ cauſæ ſunt. Atq; in primis illa, quòd Concionatores horum temporum, præſertim, poſtquam id ſanctiſſimæ memoriæ Innocentius XI. Pontifex Maximus, ita fieri voluit, relictis ſpecioſis conceptibus, & ingeniorum formoſis partibus, non niſi Chriſtum prædicent, virtutes laudent, & vitia eliminare ſtudeant. Qvâ ratione quis non futurũ metuat, ut non modò vobis dulcem Dei, ac futuræ vitæ memoriam, amoremque ingenerent, verum etiam & à vitiis abſtrahant, & in cœpto ad virtutem itinere corroborent. Annon meminiſtis, qvantum Herodem, illum fraternæ uxoris inceſtuoſum detentorem, illud Joannis Baptiſtæ fulmen terruerit: non licet tibi habere uxorem fratris tui. Annon legiſtis, quia Beatus Franciſcus Seraphicus in Ducis Alverniæ fundo, unicâ exhortatione univerſos nuptiarum, quæ tunc celebrabantur, convivas, à menſis, & ſaltationibus ad Confeſſionem paragendam pertraxit? An neſcitis, quod de Beato Joanne Capiſtrano refert, Crantzius, ſuâ unicâ dictione Magdeburgi ad cives habita effeciſſe, ut omnis populus, latrunculos, aleas, taxillos aliaque

ludo-

Digitized by Google

Judorum inſtrumenta, publicum in forum contulerit, atque cuncta ſuper extructo rogo flammis exuſſerit. Et nonnè Beatus Petrus Apoſtolus, unicâ concione, de qua in Actibus Apoſtolorum, tria hominum millia, ab infidelitate ad Chriſtum convertit? qvid ſi igitur ſimile quid videamus, ut nempe ſacris intenti Academici concionibus, non modò recuſent eſſe athei, ſed nè qvidem mali Chriſtiani. Quid ſi accidat, qvod Franciſco Seraphico, qvi illud Evangelii: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habet, & da pauperibus, prælegi audiens, calcato mundo, in Angelum, ac pœne in Seraphinum evaſit.

Deinde, qvid vobis illi Exhortatores allaturi ſunt, quod non dudum ſciveratis, & jam potius neſciiſſe velletis? quam præterea tædioſi ſunt, quam faſtidioſé longi, quàm moroſi. Accedit, quòd pleriqve neſcio qvod Pythagoricum ſilentium deſiderent, & mox fulmen parent, ſi qvis Antæus, tantum ſonorius reſpiraverit. Qvin & hominem, vel tantillum oſcitantem, iis feriunt oculis, qvibus cuncta in Saxum poſſint obrigeſcere. Præterqvam qvod dum concio omni ex plebe affluit, rarò admodum ſunt nobilitati condecens, obveniat locus, dum quisqve Menalcas, aut Corydon de jure ſedendi diſputat. Deniqve experientiâ docemur, per Conciones non Atheos, non infideles naſci, ſed homines evadere fideliores, probiores, juſtiores, Deiq; & proximi, amantiores. Ergo valede concionatores.

Suffecerit vobis domi habere hominem, qui moritoris vices agat, Academicumqve reducat, ſicubi contra humanitatis leges inter edendum, aut bibendum, aut aliter in principia politices in agendo, loqvendovè, aut in artium aliquam peccaverit. Sit vir ille ad omnia obſequiorum genera promptus, exiguo ſalario contentus, & qui nihil contra ponat, etſi lapides comeſſe oporteret. Complurium lingvârum peritus; aut qui ſaltem jam ex Italica, jam ex Hiſpanica, jam ex Gallica, proverbiolum, aut commodam ſententiam ſuggerere novit, quò Dominus Junior omnium ſcientiarum homo videri poſſit. De Philoſophicis abſolverit ſaltem logicam, usque ad tractatum de Contradictoriis, doceatqve Juniorem ſuum, qua ratione, itâ & non, mendacia cum veritatibus combinari poſſint, absque quod honor nobilitatis lædatur. Audierit etiam Inſtitutiones ſaltem usqve ad titulum: de diviſione rerum, & acquirendo earum dominio; noverit aliquid ex arithmetica, muſica, gladiatoria, ſaltatoria, venatoria; ſaltem ex omnibus aliquid, etſi ex toto nihil. Probitati nimium nè addictus ſit, utpote, quæ nobilitati non admodum proficua; ſaltem non neceſſaria. Diligenter caveat, nè noſter Academicus, aut nimius ſit in freqventandis Confeſſionibus, aut templis adeundis, aut auſcultandis Concionatoribus, aut vel-

volvendis libellis precatoriis, aut exercendis extraordinariis devotionibus. Hæc enim & multum temporis diripiunt, qvo minus Dominus Junior conſvetas Societates adire & luſibus vacare poſſit: & pietatem ad Atheiſmum nihil facturam fovent, promoventque. Illud intelligat cumprimis, vitia, modo in publicum non prodierint, nullumve honoris periculum ſubſit, neqvaqvam ſub ferulam cadere debere. Quin ſi alicujus honeſti ſceleris feratur occaſio, ea juniori, quo affectus ad multa valiturus comparetur, ultro porrigenda. Corrideat tanqvam accutè loqventi, ſi quid turpe; tanqvam generoſo, ſi quid ſit prolatum furiosè; tanquam erudito, ſi qvid temerarium pronunciabitur. Quod ſi ſecus faxit, & turpitudines, fraudesqve aut ſtruere, aut ferre nolit, perſoluto, aliquâ portione, ſalario ad ſuos remittatur, aliusqve conveniatur; qui tamen ultra canis venatici ſumptus diurnos non faciat; & ſit ſaltem priore ad nequitias expeditior. Hæc altera viæ ad Atheiſmum pars:

Perge meus Juvenis, ſatis eſt mala ſemita, perge;
Hac periêre omnes, qvotquot iêre via.

At enim omne trinum perfectum. Quare præterea reſtat Academici, ut pro tertio, vos à lectione Sacratiorum librorum, quocunque demum conatu, quoad poſſibile, abſtrahatis. Admodum veritati conſentaneum eſt, Apoſtolos poſt mortem Salvatoris in Congregationem adunatos, lectioni divinarum ſcripturarum incubuiſſe, eo præſertim tempore, qvo illis Chriſtus à morte reſurgens viſus eſt. Aberat tunc Thomas; inde nullis divinis literis roboratus, nulla ſuperiore illuſtratus luce, niſi videro, inqvit, non credam. Id qvod pariter cum Thoma omnibus atheiſmi ſtudioſis obſervandum venit. Cujus moniti complures cauſas habemus. Certum enim quod nulla ſapientiſſimorum virorum oratio, nulla Sacrorum Oratorum facundia potuit, id ſubinde per exiguum mole de divinis rebus conſcriptum libellum perpetratum eſſe. Cùm oramus, & Sacras preces fundimus, DEO loquimur homines: cum ſacras ſcripturas, & DEI Spiritu afflatas paginas oculis perlegimus, DEUS loqvitur hominibus, & quod tam potenti Magneti ferrum non obſecundet? Sunt ejusmodi ſcripta, qvædam literæ à ſupremo Numine ad nos directæ, ut notavit Cornelius à Lapide; ex quibus ejus ſacratiſſimam voluntatem intelligere poſſimus: in quem ſenſum D. Gregorius l. 4. Ep. 84. ad Theodorum medicum; Imperator cœli, Dominus Angelorum, & hominum, pro vita tua, tibi epiſtolas ſuas transmiſit, & tu illas ardenter legere negligis. Et Apoſtolus 2. ad Timoth. 3. omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis ad docendum, & arguendum. Ex quo ſatis intelligimus, ejusmodi libros futuris Atheis quam maxi-

Digitized by Google

maximè vitandos eſſe, cùm ii non modò veritates fidei, ſed & viam vitæ æternæ edoceant, vitia extirpent, virtutes inſerant, & homines ad cœleſtem, angelicamqve vitam componant. Legebat, ut eſt Act. 8. Miniſter, Reginæ Candacis Iſaiam, & ad Chriſtum eà lectione adductus eſt. Legerat Ethnicus Savinianus illud Pſalmi: aſperges me, & mundabor; & baptiſmum Chriſtianorum expetiit. Legit in Paulo Auguſtinus: non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, & in alium hominem mutatus eſt. Legebat Ignatius acta Sanctorum ad fallenda tempora, & ex Milite mundi, Miles Chriſti evaſit. Libros ergo ejusmodi caveat neceſſe eſt, qvisqvis ad ſcelera, & atheiſmum iter quærit.

Satius fuerit totius Europæ ſibi comparare novalia, modò illa intermittantur, quæ aliquid pietatis, aut Religionis præſeferunt. Juverit etiam Qvintillæ, & Camilla miſſitare amatorias literulas; futurum enim eſt, ut reſponſoriarum ſemper habeatis, qvod legi poſſit. Quod ſi hoc periculoſum, legatur qvotidie aliquid de amoribus ex Naſone, aliquid ex Apulejis Aſino, aliquid ex Tibulli facetiis; item acta Doctoris Fauſti, Amadiſius, Liſander, & quæ præterea vel hæreticorum, vel aliorum ſemiſanorum fabulæ ſunt. Addi poſſet pro Curioſitate aliqua, libell9, falsò Alberto Magno de ſecretis naturæ inſcriptus: inde enim non modo multa dedecoroſa, ſed & ſuperſtitionem, atqve magiam fœtentia didiceritis. Inter Prima comparetur ſcelerati Machiavelli opus de Principe, ſed correctũ, quod priore longè nequius eſt, & profundiore inferno dignum; idq; quam primum dum Nundinatio durat; tum Molinari opera: niſi fortè illa dudum Carnifex digno rogo exuſſerit Demum etiam Cornelium Agrippam, qui ex dæmone, quem ſub canis ſpecie ſemper paredrum habuit, DEUM nullum eſſe, nullum aut cœlum aut infernum didicit. Et qvanquam hos poſteriores libros à ſummis Pontificibus ſub excommunicationibus latæ ſententiæ, & reatu æternæ damnationis prohibitos eſſe conſtet, neque ulli integrum ſit eos aut legere, aut domi retinere, aut divendere; hoc tamen illis ſcrupulum movere non debet, qui ad omnia ſcelera inclinati, ad atheismum properant, & extra metum Numinis eſſe volunt.

Perge meus Juvenis, ſatis eſt mala ſemita, perge,
Hac periêre omnes, quotquot iêre viâ.

Sic domini Academici, ſic, & brevi nec Deus, nec dæmon ullus vobis timori futurus eſt, nulla virtutis cura, nullus æqui amor, nullus injuſti, nullus peccati timor. Verbo: eritis in brevi Athei. Sed quid poſtea?

Ibitis, quò Athei.

Do-

Digitized by Google

Dominica 3. poſt Paſcha.

Cognovit autem Jeſus, quia volebant eum interrogare; & dixit eis: de hoc qværitis, inter vos, quia dixi: modicum. Jo. 16.

Amoris veri ingenium: ſuccurrit, etiam non rogatus:

Liberale prorſus eſt Amoris ingenium, liberalis natura; ſuccurrit etiam non rogatus. Veritatem hanc, in ipſa naturalium rerum univerſitate, quæ qvoddam Amoris literatum veſtigium eſt, ſi volumus, legamus.

Inſpicio terram, fæcundam illam, naſcentium, & renaſcentium parentem: exiguâ ſulcatione emollitur, exiguâ occaſione perfricatur, aliqua exiguâ liberalitate conſeritur, qvibus velut muneribus demulſa, Cultori refundit, alibi trigeſimum, alibi Sexageſimum, alibi fructum centeſimum. Neq; hoc ſolum: nec culta, nec rogata, eviſceratur in cedros, exinanitur in cypreſſos, liqvatur in myrrham, diffluit in opobalſama; flammatur in carbunculos, accenditur in pyropos, vireſcit in Smaragdos, purpuraſcit in rubinos, ardeſcit in aurum, gelaſcit in cryſtallum, duratur in adamantem: verbô in mille formatur amantis liberalitatis prodigia, nec culta, nec rogata.

Aqvarum elementum contemplor; diaphanum illud prodigalitatis miraculum, nec cultum, nec rogatum propinat ſe in fontes, & ſcaturigines, diffundit ſe in rivos & flumina; expandit ſe in lacus, & maria; tenuatur in vapores, denſatur in nubes, mollitur in pluvias, liqueſcit in rores; dulcoratur in botros, acideſcit in citrina, aſperatur in cydonia, mellitur in mulo granata; inſuper immenſam ſquammatorum incolarum varietatem parturit in patria. Et hoc unda, nec culta, nec rogata.

Contemplor chariſſimum, & quotidianum noſtri pectoris inquilinum aerem; gradior: & itineris comes eſt: viam proſequor, & præcurſor eſt. Fugio, & amator mei ſeqvitur me: repello, & repulſus ultro redit ad me. Suſpiro, & aere paſcor; reſpiro, & refrigeror; blanditur mihi, ſi quieſco; colludit, ſi qvid operor; pacatus domi, ſollicitus, dum foris ſum. Id qvod pulchritudinis colores, ſvavitatis voces, blanditiarum odores venale habent, unus ipſe, gratuitus conductor, & bajulus domum meam defert, neq; cultus, neq; rogatus.

Quòd ſi oculos erigamus in ſupernam illam, ſeu charitatis, ſeu liberalitatis patriam, qvæ ibi non ſcintillant faces, quod non ibi parturitur lætum hodie; lætũ craſtinũ: qui ibi non texuntur anni, & ſæcula, nec rogata, nec vocata. Non exoratus exorior, Lemma eſt ſiderum principis. Exultavit ut gigas ad currendum viam; non contentus veniſſe, niſi ultro, niſi veniat currendo, niſi veniat exultando.

Magnus cœli eleemoſynarius, oritur ſuper bonos, & malos, & non eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus. Solem ſeqvuntur reliqva ſidera, & vel fugientem diem, quo poſſunt, conatu retinent, vel noctium umbras ſuis fulgurillis temperant; nec culta, nec rogata.

Atque hæc ſunt illa, per naturam ſparſa Amoris veſtigia, ex qvibus ejus ingenium utcunqve legimus. Quid jam ipſe faciat Amor? Magnum Amoris diſcipulum, D. Cyprianum audiamus. Ut ſponte Sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat, ità ſpiritus cæleſtis ſeſe ſponte mortalium pectoribus infundit. Amorem loqventem audiamus. Juventus ſum à non quærentibus me; palàm apparui iis, qui me non interrogabant. Factum Amoris audiamus. Cognovit autem Jeſus, qvia volebant eum interrogare, & dixit eis; de hoc qværitis inter vos, quia dixi: modicum. Cognovit, & dixit, ſatis fuit cognoviſſe; ut qvæſtionem ſolveret: nondum interrogantium vox miſſa, & reſponſum expeditum fuit. Nimirum, amanti ſatis eſt, ad opem ferendam, modò ſciat, qvis opem velit. Amanti reſponſum extorſiſti, modo interrogare volueris. Currit amor, modò noverit, qvò poſtuletur; imô etiam currit non rogatus, non poſtulatus.

Academici, Religio Chriſtianorum eſt Religio Amantium, eſt Religio Amoris. Teſtor ſaturos ſtomachos, qvos eſurientes, amore ducti, toties paviſtis; toties in ſiti potâſtis. Teſtor platearum mendicabula, qvæ toties veſtitu donaſtis; hoſpitio recepiſtis, & omni benevolentia coluiſtis. Teſtor Xenodochia, & miſerrimorum quorumqve ergaſtula, quæ utut obſcura, veſtra liberalitate toties illuſtrâſtis. Millena, & millena ſunt, hujusmodi amoris in proximum inter Chriſtianos teſtimonia, qvæ olim in illo die ad unius cujusque veſtrum gloriam, & ſolatium recenſebit is, qui etiam calicem frigidæ in pretio habet. Quæ cum ità ſint, qvid igitur præterea volumus. Hoc, ut, quod facimus, volentes lubentesqve faciamus, ultro, citi, gaudentesque faciamus. Grande ſtigma Amori inuſtum eſt, ſi quis noſtrum in proximi commodum venturus, vel ſummam poteſtatem præcipientem, vel ſummam humilitatem petentem expectet. Amoris ſplendorem aut abſtulit, aut obſcuravit, qui nonniſi precibus fractus, manum in beneficia ſolvit.

Charitas Chriſtiana ſimilis ſit oportet Charitati Chriſti. Videte Charitatem Chriſti. Lucæ 23. crucifixus erat una cum Redemptore noſtro homo facinoroſus, olim latrociniis deditus, & tunc ob graviſſima crimina morti adjudicatus: qui etiam, cum jam pœnas luit, alias merebatur, Domino noſtro improperando, & ſceleſtiſſimis qvibusqve loquendi formulis conviciando. Cum ecce repente

corde

Digitized by Google

corde motus cœlitꝰ, vertitur in alium, jam & factorum pœnitens; Domine inquit, memento mei, dum veneris in regnum tuum. Quid ad iſta Chriſtus? nunquid hominem execratus eſt? nunquid rejecit? nunquid hirquo oculo intuitus? nunquid patrata exprobravit? nunquid ſaltem, quam daturus erat, gratiam diſtulit? nihil horum omnium; quia potius, illo ipſo momento, & placido vultu, & in dulcedinem compoſito ore, inquit: amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo; Spectate Amorem! quàm citò audivit: quàm non differt: quàm liberaliter promittit, etiam paradiſum, etiam latroni, etiam nondum petenti. Tam liberaliter, inquit D. Bernardus, Dominus omnem donavit injuriam, ut jam nec damnet ulciſcendo, nec confundat improperando; nec minùs diligat imputando. Tantæ pietatis eſt Dominus JESUS, ut ipſi Judæ donaret veniam, ſi Chriſti expectâſſet miſericordiam, ſcribit in Lucæ Evangelium D. Ambroſius.

Chratitas Chriſtiana ſimilis ſit oportet Charitati Chriſti. Joannis II. mittunt ſorores Lazari ad Jeſum dicentes: Domine, ecce, quem amas, infirmatur. Ubi Auguſtinus: non dixerunt, inquit, veni: amanti enim tantùm nunciandum fuit. Sufficit, ut noverit: non enim amat, & deſerit. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? nuper divi Pauli, hodie Chriſtianorum omnium vox. Ut accurrat Chriſtianus, ut conſoletur, ut opem infirmo ferat, amanti tantum nunciandum eſt.

Charitas Chriſtiana ſimilis ſit Charitati Chriſti. Joannis 2. dicit Mater Jeſu ad filium: vinum non habent. Omnibus perſpectum eſt, quâ occaſione id, & qvibus ex cauſis dictum, ſed quam brevibus quàm paucis, quàm non exaggeratè, qvàm nihil urgendo. Amanti tantum nunciandum fuit, & mox implentur hydriæ; mox meraciſſimum offertur vinum: mox in omnes liberaliter dividitur Ambroſia; & quidem non ſinè grandi prodigio. Rurſum Joh. 6. Cum ſublevâſſet oculos JESUS, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum dixit ad Philippum: unde ememus panes, ut manducent hi? Nemo famis mala pertimeſcat; modò periculum Charitati conſtiterit; charitati ſatis eſt famentem turbam vidiſſe, ut ſuccurrere velit. Optimum eſt, inquit Romanus Philoſophus libro de Benef. occupare, antequam rogemur. Non tulit gratis, qui cùm rogâſſet, accepit. Nulla res carius conſtat, quàm quæ precibus empta eſt. Moleſtum verbum eſt, oneroſum, & demiſſo vultu dicendum; rogo. Legit iſta Chriſtiana Charitas, ideo ſuccurrit, etiam non rogata.

Joannis 5. Erat qvidam homo triginta & octo annos habens in infirmitate ſua, & hominem non habebat, ut cùm turbaretur aqua, mitteretur in piſcinam. Et dicit ei JESUS, ſurge, tolle grabatum tuum, & ambula. Quiſquis in

Digitized by Google

in Charitatis obtutum incidiſti, querulari deſine; hominem non habeo. Non habes hominem; ſed habes homines, ſed habes ipſam Charitatem, quæ tibi devinctos faciet omnes homines; habebisqve non ſolum, qvod petiſti, ſed etiam quod nondum rogâſti, etiam qvod nondum cogitaſti; Nec modo valebis, ſed ſic valebis, ut & grabatum tollere, & ambulare poſſis.

Rurſum Joh. 1. Audierunt duo diſcipuli Chriſtum loquentem; & dicunt ei: Rabbi, ubi habitas? dicit eis: venite, & videte. Et venerunt, & viderunt, & apud eum manſerunt die illo. Qvantum ad quæſtionis ſolutionem ſat fuerat manſionem vel verbo indicaſſe, vel monſtrâſſe digito. Sed id non ſatis fuit Amori. Amor eſt qui non ſolum dicit: venite: ſed ſimul dicit, videte, ſimul dicit: manete. Diſce Chriſtiane, monet Auguſtinus, exhibere hoſpitalitatem; etiam non rogatus, etiam non provocatus.

Quis jam dicat ſe amatorem mei, qui opem laturus nunquam accurrit, niſi fractus precibus, niſi humiliationibus expugnatus; & hoc non ſemel? qui cùm ſuſpicatus eſt aliqvid à ſe peti, frontem obduxit, vultum avertit, occupationes ſimulavit? qui longis ſermonibus, & de induſtria exitum non invenientibus occaſionem petendi abſtulit? qui variis artibus neceſſitates properantes eluſit? in anguſto verò deprehenſus, aut diſtulit, aut timidè negavit. Aut promiſit quidem, ſed difficulter, ſed ſubductis ſuperciliis; ſed vix exeuntibus verbis: ſed paciſcendo, ſed majora petendo: aut beneficium magis impingendo, qvam dando. Aut gravatè injecit, aut qui fatigatus magis, quàm gratuitus excuſſit.

Non eſt Amor ex ſimilium turpitudinum monſtris conflata deitas! Totus eſt pes ad ſuccurrendum: totus manus ad ſublevandum: totus brachium ad amplexandum: totus auris ad benignè auſcultandum: totus oculus ad ſolicitè proſpiciendum; totus lingva, ad edocendum, & conſolandum; totus cor, totus viſcera ad liberaliter amandum. Nunquam ille; nunquam ſine numeroſo virtutum comitatu. Loqvor Amorem, non eum, qui videtur charitas, & eſt, carnalitas: quanquam neque ille ſolus venit. Utpote cui omnia inſunt vitia, ut expertus dixit Poeta: injuriæ ſuſpiciones inimicitiæ, induciæ, bellum, & pax rurſum. Sed loquor Amorem, qui deſurſum eſt, quem in cordibus noſtris ſupernus ille diffudit Spiritus; quem charitatem fraternitatis compellavit Apoſtolus; charitatem inquam, quâ diligimus invicem ſinè ſimulatione, honore invicem prævenientes, ſolicitudine non pigri; ſpiritu autem ferventes, neceſſitatibus ſanctorum communicantes, ſequentes hoſpitalitatem, & benedicentes perſequentibus nos; gaudentes cum gaudentibus, & flentes cum flentibus; idipſum invicem ſentientes, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes; nulli malum pro bono reddentes, cum omnibus pacem habentes. Hunc

Hunc amorem adeſſe tibi docebis, ſi lapſo, aut periclitanti, ſi laboranti proximo manum ad ſublevandum alacer, gaudensque etiam non quæſitus, etiam non rogatus, ſi exporrecto vultu, ſi affabili, ſi non lentus, ſi non diu, expectatus porrexerit. Videte amantem filii ſui Patrem. Redibat, Lucæ 15. Prodigus ille à porcorum ſiliquis in domum paternam, plenus metu, plenusque pœnitentiâ, quod Genitoris vultum ſuo diſceſſu tam propterve læſiſſet, quod univerſam ſubſtantiam tam fœdè pergræcatus eſſet; quod Miniſterio, ſuo generi tam dedecoroſo operam locâſſet; & ſuper omnia, quod filii dignitatem tam enormibus factis prodegiſſet. Non ſum, inquit, dignus vocari filius.

Et ecce, cum adhuc longè eſſet, ejusmodi animo ſecum revolventem, vidit Pater, ah Patri, & amanti, conſilio, & auxilio deſtitutum vidiſſe, ſatis fuit. Vidit & miſericordia motus eſt; vidit, & celeri paſſu redeunti obviam accurrit: Vidit, & accurrens cecidit, ſuper collum ejus: vidit, & cadens ſuper collum ejus oſculatus eſt eum! Vidit lacero, maleqve hærente veſtitu indutum, & ait ad ſervos ſuos: citò proferte ſtolam primam, & induite illam! non cras, aut perendie primum, non poſt horam unam, aut alteram. Sed citò, ſed confeſtim, mox, actutum, induite illum. Vidit generis inſignibus deſtitutum; & illico jubet poni annulum in manum ejus; & plenus benevolentiâ, filium velut ſponſam habet. Vidit ornamentis pedum exutum, & calceamentis indui præcipit. Vidit eſurientem, & fame preſſum; & mox inſtitui jubet epulas atque convivium. Vidit, meſtum, & triſtitiâ ſqualidum; & ad exhilarandum filium jubet Symphoniam fieri: plenus ſolatiis, & lætitiis, quod qui Mortuus fuerat, revixiſſet, & qvi perierat, inventus eſſet. En quam de longè in miſeros proſpicit Amor; quàm feſtinus quàm blandus, quàm benignus, quàm effuſus eſt Amor. Vidiſſe ſatis fuit, ut omnibus miſeriis fracto ſuccurreret: nec accurriſſe, nec benevolè accepiſſe ſatis habuit, niſi ſimul in collum invaderet, niſi oſcula figeret.

Videte DEI Matrem amantem. Amorem conceperat, amorem parturiebat! Benigna, ſervire prompta, res feſtina eſt Amor. Tunc exurgens MARIA, in diebus illis abiit ad montana cum feſtinatione Lucæ 1. Quid ibi? ut parturienti Eliſabeth adeſſet; ut mœſtam conſolaretur; ut viribus infirmam juvaret obſeqvio; ut ætate gravem foveret ſolatio; ut naſcituræ Proli DEUM unà portans, eſſet auxilio. Non terruit Virginem, ſuæ teneræ ætatis conditio; non itineris longinquitas, non montanorum aſperitas; non aeris intemperies; quin omnia iſta cum feſtinatione aggreſſa eſt. Amabat! Nempe omnis benignitas properat: & proprium facientis libenter, eſt cito facere. Si quis de die in diem trahens profuit, non ex animo fecit Itaque duas res maximas perdidit; & tempus; & argumentum amicæ voluntatis. Tardè velle, nolentis

eſt

Digitized by Google

eſt, ſcribit Romanus Sapiens. Citò euntes, dicite diſcipulis, monebat Matth. 28. Angelus Mulieres, quia ſurrexit (Chriſtus,) & ecce præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis. Citò euntes dicite, Odit verus amor, nec patitur moras; ergo citò. Habet ſuam Dies, habet ſuam Nox, habet Tempus, habet Æternitas, habet vita, & Mors, ſpes, & Timor. Odium, & Amor ſibi familiarem paræmiam, quâ velut ſigillo cuncta ſua dicta, indicta, facta, infecta, conſignent. Quocunque te agis, video te. Diei paræmia eſt. Poſt tenebras ſpero Lucem: Noctis. Aliquando: Temporis eſt, ſemper, & nunquam; Æternitatis. Ambulate, dum lucem habetis: ait Vita: Venio, ait Mors. Spes: adhuc locus eſt. Timor: leo eſt in agro. Odium: non videbit me homo. Amori verò geminum lemma eſt: aliud ſubſcribit rebus præſentibus, aliud futuris, præſentibus qvidem: ultro, ſponte, liberaliter: ſeu; fecimus etiam non rogati. Futuris: citò, citiſſimè. Amor Poſtarius eſt; Aquilis inſident beneficia, quæ ab amante proveniunt, pigras teſtudines premunt, quæ ab invito animo extorta ſunt.

Quare ſapiens in proverbiis monit: nè dicas amico tuo: vade, & revertere, & cras dabo tibi; cùm ſtatim poſſis dare. Non enim ſcis, quid contingat ſeqventi Die, ſubnectit Cyprianus. Miſericordiam tuam nè nox quidem intercipiat: nè dixeris, aliàs redi, & in craſtinum dabo: nè quid fortè accidat, inter propoſitum tuum, & beneficium tuum. Gloſſatur Nazianzenus. Nihil æquè amarum, philoſophatur Annæus, quàm diu pendere. Æquiore quidam animo ferunt, præcidi ſpem ſuam, qvàm trahi. Ingratum eſt beneficium, quod diu inter manus dantis hæſit. Qui tardè fecit, diu noluit. Cùm plurima beneficia remedium alicujus afferant, qui aut diutius torqueri patitur, qvem protinus poteſt liberare, aut tardius gaudere, beneficio ſuo manus affert.

DD. Academici, ſic proximo ſuccurramus, ſic charitatem Chriſtianam exerceamus, quomodo ipſi vellemus accipere; quomodo Chriſtum intelleximus dediſſe. Ante omnia libenter, citò, ſinè dubitatione, non quæſiti primum, non primum rogati. Non eſt amantis animi beneficium; quod quis ægrè dimittere viſus eſt, aut ſic dare, tanquam ſibi præriperet. Quod ſi qvid moræ intervenerit, evitemus omnino, nè deliberâſſe videamur. Proximus eſt neganti, qui dubitavit. Gratiſſima ſunt beneficia, parata, facilè, & ultro occurrentia; & ubi nulla mora fuit, niſi in accipientis verecundia. Primum eſt antecedere deſiderium cujusq; proximum ſequi. In hoc ſimus imitatores illius, qui cùm delexiſſet nos, prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Deus promptâ, munificâ, atq; prolixâ natura eſt, jucundius dat, quam alii accipiant, loquitur Nazianzenus. Premamus Academici, premamus filii Dei tantæ Charitatis veſtigia; ut indigenti ſuccurramus rogati; accurramus autem etiam non rogati.

Digitized by Google

In feſto SS. Philippi & Jacobi.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Joh. 14.

Quanta merces Chriſtianorum, docetur Plinius.

NEgo itaqve rurſus conſeqventiam. Quam illam? quam ex nupera mea exhortatione neſcio, quod tepidi Chriſtiani fruſtum inferebat. Nempe, ſerviendum eſſe tempori, & gaudendum eſſe cum gaudentibus, nec propero nimis pede Chriſti veſtigiis inſiſtendum; quandoquidem omnes, qvi pie vivere voluerint in Chriſto, perſecutiones pati eſt neceſſe. Cur ità faciam, intelligetis DD. Academici, ubi prius Cæcilium Plinium, Plinii Secundi Veronenſis Nepotem convenero, hominemq; alioqvin Ethnicum, ad ſacra Chriſtiana, erudiendum adduxero.

Scribit Cæcilius Plinius inter cæcos Gentiles luſcus ep. 10. Chriſtianos ſanctiſſimé vivere, & ſolum in eis reprehendi poſſe, qvod nimis faciles pro Deo ſuo, qvem unicum habent, & venerantur, vitam profundant. Velut diceret: laudo, qui vitam, doctrinamq; Chriſti ſectamini: non inter vos malefactores, non fures, non adulteri, non latrones: non malefici, non falſorum teſtimoniorum fabricatores: inſuper ſeduli ſacra frequentatis, ſuperos precibus placare ſtudetis, ab ebrietatibus, rixis, æmulationibus abſtinetis; res veſtras in ſinum pauperum conjicitis; ſubjecti majoribus pacifici inter æqvales, placidi erga inferiores, grati erga parentes, benevoli erga proles; laudo vos; ſed in hoc non laudo, quòd vos ultro in miſerias, & calamitates, conjicitis; dum veſtrum Chriſtum, adeò induiſtis, ut ejus intuitu ſpontè in mortes ruatis. Secentur manus, reſecentur crura, trucentur nares, tollantur aures, expungantur oculi, diffringantur dentes, fundatur cerebrum; uratur corpus, ſæviat princeps, Pater, Mater, Carnifex; immotus ſtat Chriſtianus! adeò lepidà ſunt hæc capita. Et cùm ſanctiſſimam ducant vitam, in hoc ſolùm inſaniunt, qvod tam faciles pro Deo ſuo vitas ponunt. Ità ſibi uni ſapiens Cæcilius Plinius.

Bone vir, ùt intelligo, non prorſus malè in Chriſtianos affectus es. Saltem alterutro oculo bene tueris, quo ſanctiſſimos Chriſtianorum mores aſpexiſti; quamvis altero tantundem cæcutias, qvem in eorum tolerantiam, patientiamq; conjeciſti. Placet ut & huic Lumen ſuum redeat? Veni, & cur ità Chriſtiani faciant. Cur illi Chriſtum, quamvis calamitates, timores, anguſtias, perſecutiones, cataſtus & eqvaleos, vincula, rogos, & incendia inauſuri ſint, ſequantur

nihilominus, hodie, ſi voles, intelliges; Veni, inqvam, & æternæ veritatis promiſſum inſpice: quid legis? ſi qvis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Jo. 14. Obſcurum eſt? ergo huc reſpice: omnis, qvi confitebitur me, coram hominibus, confitebor & ego eum, coram Patre meo, qui in cœlis eſt. Si & hoc obſcurum, ergo iſthuc inſpice: Amen dico, vobis, qvod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael. Capisne hoc? nondum fortaſſis; ergo pergamus: & omnis, qvi reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam, poſſidebit. Hocne percipis? aliquid fortaſſe. Ergo cæpto inſiſtamus: oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt illum. Jamne? ferè aſſeqvitur. Ergo adhuc: Momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in Nobis; ita 2. Cor. 4. Primæ veritatis Apoſtolus. Jam capit Plinius. Sed adhuc tantillum. Salvatorem exſpectamus D. JESUM Chriſtum, qvi reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ ad Philipp. 3. Jamne perfectè. Hoc quidpiam obſcuritatis habet.

Ergo veni; & omnes hujus mundi calamitates, & miſerias, dolores, & angores, tentationes, perſecutionesqve, & quidqvid ferale usqvam in Chriſtianos, aut poteſtas tenebrarum potuit, aut cœlum immiſit, aut ipſi ſponte ſuâ amplexi ſunt, cum ea, qvam Chriſtiani ſperant mercede, trutinemus: Hinc Chriſtianorum ponderantes cruciatus, indè futura gaudia: hinc lacrymas, indè tripudia, hinc miſeriam, illinc felicitatem obventuram; hinc momentum tribulationis, illinc æternum gloriæ pondus, quod iis promiſſum eſt; ac tunc luce meridiana intelliges clarius, quam non inſipienter ſe habeat, quisquis Chriſtum etiam usqve ad tormenta, & necem ſeqvi volet.

Huc ergo veſtros labores, & ſudores, ſanctiſſimi Patriarchæ, huc veſtras prædicationes Prophetæ, huc veſtras itinerationes, & perſecutiones Apoſtoli, huc veſtras cataſtas, & Cruces Martyres huc orationes, jejunia atq; eleemoſynas Confeſſores, huc pudicitiæ certamina ſacræ Virgines; huc qvidqvid omnes Divi, Divæq; unquam egiſtis, tuliſtis; in hanc lancem trutinandum reponite.

Adeſte! & ecce adeſt Princeps Apoſtolorum Domini Petrus, qui per viginti quatuor annos peccatorum ſuorum pœnitens, vitam in continuis duxit lacrymis, laboribus, atqve adverſariorum perſecutionibus: præter innumeros tole-

ratus.

Digitized by Google

ratus. Cruces etiam eam adfert, in qva ſub Tyranno Nerone Chriſti Martyr occubuit. Huc mi Petre huc!

Jam adeſt & Doctor gentium Paulus. Amore Chriſti ter virgis cæſus, ſemel lapidatus, ter naufragium paſſus, fame, ſiti, nuditate, frigore, innumerisqve malis afflictis, præter quàm plurimos toleratos cruciatus, & tormenta, ſuum affert enſem, quo ad extremum, pro DEO ſuo, capite minutus eſt. Huc mi Paule, huc.

Nunc adeſt & Andreas Apoſtolus, qui poſtqvam in explicabili labore, ingentem Chriſto multitudinem animarum adduxit, tandem ſæviſſimæ Cruci affixus, biduum in eo ligno pependit, usque amore ſui Magiſtri ſpiritum inter crudeliſſima tormenta reddit. Hic præter alia, ſuam affert Crucem. Huc mi Andrea, huc.

Adeſt & Divus Jacobus Apoſtolus, qvi prægrandem, quo illi vita erepta eſt, fuſtem; adeſt & Philippus Apoſtolus, qui copioſum lapidem, qvo obrutus eſt; adeſt & Thomas Apoſtolus, qvi lanceam, qua crudeliter confixus eſt, & Mathias Apoſtolus, qui ſecurim, qua percuſſus, & Bartholomæus, qvi pellem defert, qvam illi Carnifex detraxit. Huc mei Domini, huc.

Verum jam qvoqve approperat innumerus ſanctiſſimorum Martyrum exercitus. Adeſt D. Laurentius cum craticula in qua aſſatus. D. Georgius cum ferreis ſcorpionibus, quibus cæſus, fuſtes, & ſagittas adſit D. Sebaſtianus, vivos carbones, urentesqve faces D. Vincentius, unicos ferreos, plumbumque liquatum D. Pontianus, Lanceam D. Simplicius, lapidum congeriem D. Pro-Martyr Stephanus. Excuſſos dentes Apollonia, crudelis Patris enſem Barbara, Equuleum Agatha, Rotas Catharina, rogi ſtruem Anaſtaſia; ferro dilaceratas palpebras Macrina, præciſam linguam Baſiliſta, diſſectas manus Charitina.

Jam & adſunt centum ſanctiſſimi Martyres, qvi ſub Rege Sapore in Perſide crudeliſſima quæque paſſi; & ducenti Carigii interioris Armeniæ, qui ab Ethnicis barbarè trucidati: & trecenti illi, qui in perſecutione Maximiani ad Coloniam Agrippinam pro Chriſto ſanguinem fuderunt! & quadraginti illi qui cum D. Cyrico Martyre cæſi; & quingenti illi qui cum diviniſſimo Martyre Areta Romæ trucidati ſunt; & mille quingenti, qui ſub Decio: & bis mille quingenti, qui cum S. Andrea Martyre, & quater mille nongenti qui in Africa, ſub Hunerico ſæviſſimè interempti. Et quis ſingulos enumeret, quando teſte Franciſco Arias, ultra undecim milliones ejusmodi glorioſiſſimorum Athletarum cenſet Romana Eccleſia; qui inter graviſſimos contemptus, & opprobria, vitam ægrè toleraverunt, ac tandem pro Deo ſuo eandem profuderunt.

Digitized by Google

O quam multas, & graves tribulationes paſſi ſunt Apoſtoli, Martyres, Confeſſores Virgines, & reliqui omnes, qui Chriſti veſtigia voluerunt ſequi! Th. Kemp. l. 1. c. 18. Et hoc eſt, qvod non capit Plinius.

Sed jam quoque adeſt Sanctorum Confeſſorum turba, quàm nec Apocalypticæ Aquilæ oculus potuit dinumerare. Adeſt Paulus primus Eremita, & inquit: Pœne puer eremum ingreſſus, vixi in ſumma auſteritate, usqve ad annum centeſimum decimum tertium; victus mihi palma, potus aqua, veſtis arborum folia: domicilium, inculta ſylvarum; Sodales, feræ beſtiæ, tectum, cœlum fuit.

Adeſt & Antonius Ægyptius, & inquit: Adoleſcens, cùm orbatus eſſem parentibus amore Dei mei, quidquid de peculio collegeram contuli largus Chriſti pauperibus, Inde mihi horrida eremus, domicilium; Panis cum ſale, cibus: unda potus; humus lectus fuit. Inter dæmonum opprobria, atque etiam verbera, nudus, egensqve rerum omnium vixi ad annum centeſimum quintum!

Adeſt & Hilarion, & inqvit: Septuaginta annos, inter moleſtiſſimas vigilias, orationesqve continuas, & duras abſtinentias vixit anima mea, & cùm ex hac mortali ſtatione cedendum eſſet, adhuc timuit. Domus mihi perpetuum ſepulchrum; capillum ultra unam vicem in anno, totondi nunqvam, lectus mihi dura humus, ſtratum junci ſylveſtres: ſaccum, quo induebar, à ſordibus mundavi nè ſemel, per annos qvinqvaginta nullus mihi cibus, qvàm aquà madefacta lens; tribus annis præter ſolum panem, ſalem, & aquam ſumpſi nihil, à ſexageſimo qvarto anno, usq; ad octogeſimum etiam hac lautitia abſtinui.

Adeſt Onuphrius, & inqvit: Triginta annos in horrida ſolitudine vixi, nullo in mortalium unqùam vel verbulo affatus. Triginta annis nihil cibi præter panem, nihil potùs, præter aquam deguſtavi. A capite, usq; ad calcem, promiſſus capillus mihi loco veſtimenti fuit. Feræ ſimilior, qvam homini, ſi figuram ſpectes, ſi mentem, multum ultra hominem Onuphrius.

Macarius inqvit: annis vixi nonaginta; in horrenda ſolitudine ſeptuaginta, mundus mihi crucifixus, & ego mundo. Qvæ ab hominibus, à feris, à fame & ſiti, à dæmonibus, & meipſo, tuli; nunquam explicuero ſatis, & ſi dicerem, nemo crederet. Tanta fuerunt.

Euſebius inqvit: ducentas quinquaginta libras chalybis de collo ſuſpenſus geſtavi multo tempore, nè cœlum, qvo me ob peccatorum meorum multitudinem, indignum rebar, vel ad momentum erectus intueri poſſem.

Et magnus ille Stylita inquit; Eccleſiæ per quadraginta annos continuos, inter imbres & frigora, ſolisqve jam æſtus, jam ardores in columna ſublimis conſtiti,

Digitized by Google

ſtiti, nunquam moleſtiſſimum illud domicilium, non domicilium mutare viſus, ubi uni deo adorando intentus potiſſimam vitam duxi.

Huc quæſo omnia, huc reponite, & vos ſanctiſſimi recidui Cœlites, Benedicti & Bernardi, Norberti, & Roberti, Franciſci, & Dominici, Brunones, & omnis Confeſſorum, Virginumque, Viduarumqve turba; ut poſteaquam depoſita fuerint univerſa, veſtros labores, & contrà, Mercedem veſtram librare poſſimus. O qvam multas, & graves tribulationes, libet rurſum exclamare, paſſi ſunt Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, & reliqui omnes, qui Chriſti veſtigia voluerunt ſequi. Et hoc eſt illud, qvod non capit Plinius. Annon inſaniæ genus eſt, cum vivere poſſis felix, & quietam ducere vitam, ſeſe ultro omnibus calamitatibus, miſeriisqve expoſitum ire? Eſt mi Plini, qvod dicis ità eſt. Unde noſtrorum Apoſtolorum aliquis ſcripſit: Nos ſtulti propter Chriſtum; usqve in hanc horam eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus; maledicimur, & benedicimus. perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; Blaſphemamur, & obſecramus; tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus; omnium peripſema usqve adhuc.

Sed nunc audiatur & altera pars. Non in forum, ubi vulgi libertas, ſed in ſenatum Academicum, ubi ratio gubernat deſcendimus. Ergo audiatur & altera pars. Videaturqve, qvid pro altera Bilancis parte, Chriſtianorum patientiâ, vel ſpes afferat, Bene eſt, videamus.

Quod igitur ad iſta, ô tanta, tamque mira, & inaudita paſſi ſancti DEI? quidqvamne eſt, qvod veſtras tergat lacrymas, veſtros ſoletur mærores, veſtra leniat ſuſpiria, & labores præmiet? nihilne vobis eſt, aut quid illud tandem eſt, quod alterum bilancis partem premat? Quid ad hæc ſanctiſſime Princes Apoſtolorum Petre, qvid Doctor Gentium Apoſtole Paule? quid cætera Chriſtiadum turba? ergone nihil eſt, qvod in tantis ærumnis ſolatio, aut lenimini fuerit.

Eſt ſinè dubio, eſt & qvidem magnum valde, de quo æterna Veritas in hodierno Evangelio: ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. Et ſi hoc obſcurum eſt, clarius loqventem Matt. 5 audiamus. Gaudete, inquit, & exultate, qvoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Quam copiòſa? eum, qvi vidit, audiamus: Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt eum.

Eſt ſinè dubio, eſt inquit Apoſtolorum princeps Ep. 1. c. 4. communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.

Digitized by Google

Unde hæc gaudia, unde exultatio? inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos; qvoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus Lumen; affirmat Coronatus vates Pſ. 35.

Eſt ſinè dubio, eſt, inquit Doctor Gentium Paulus, exiſtimo enim, quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, qvæ revelabitur in nobis ad Rom. 8. Quomodo hoc? Merces ſanctorum tam magna eſt, quòd non poteſt menſurari, tam copioſa, qvod non poteſt finiri, tam pretioſa, quod non poteſt æſtimari. Reſpondet D. Bernardus L. de Conſol. Eſt ſinè dubio eſt, inquit adhuc Vas electionis; momentaneum enim & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis 2. Cor. 4 qvod, qvaleve illud gloriæ pondus? Effugit omnem ſermonem, excedit omnem humanum ſenſum, decus illud, atq; Majeſtas. Quod DEUS præparavit diligentibus ſe, fide non capitur, ſpe non attingitur, caritate non apprehenditur, deſideria, & vota transgreditur: acquiri poteſt, æſtimari non poteſt, reſpondet Auguſtinus. Apud Jerem. drexel. L. 1. de cœlo. c. 1.

Momentaneum ah momentaneum eſt, ô Plini, qvòd in arctiſſima vita 50. annos vixit Macedonius, 60. annos Onuphrius, 70. annos Hilarion, 80. annos Antonius. 90 annos Paulus; & totum leve qviddam, ſi futuræ mercedi, quæ æterna futura eſt comparetur, & Crux Petri, & lapides Stephani, & Craticula Laurentii, & flagra Sebaſtiani, & Carceres Vincentii, & perſecutiones Athanaſii, & ignès Apolloniæ, & eqvulei Agathæ.

Temporalis vita æternæ vitæ comparata, inqvit D. Gregorius, mors eſt dicenda potius quàm vita. Quæ autem lingua dicere, vel qvis intellectus capere ſufficit illa ſupernæ civitatis quanta ſint gaudia; Angelorum choris intereſſe; cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ Conditoris aſſiſtere, in circumſcriptum Lumen videre; nullo mortis metu affici, ſed incorruptionis perpetuæ munere lætari.

Tanta eſt pulchritudo Juſtitiæ, inqvit D. Aurelius L. de moribus, tanta eſt jucunditas lucis æternæ, hoc eſt, incommutabilis ſapientiæ, ut etiamſi in ea non liceret amplius, qvàm unius diei morâ, permanere, propter hoc ſolùm innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis, & circumfluentià bonorum temporalium, rectè meritoq; contemnerentur.

Franciſce! dicebat ad Seraphicum Patrem vox lapſa cœlitus; Franciſce, ſi univerſus terræ globus vertatur in puriſſimi auri congeriem, ſi omnes fontes & flumina, ipſum mare etiàm liqveſcat in meriſſima balſama, ſi omnes montes, atque colles dureſcant in gemmarum, margaritarumque pretia, nihil admodum

the-

theſauri eſt, comparatum ad illam cœleſtem, quæ te manet, gloriam. In ſpeculo Exemp. verbo. Cœlum.

Tanto è ben che io aſpetto.
Che mi con ogni pena deletto.

Tantum eſt bonum, quod me exſpectat, qvòd me omnis pœna delectat, materia Exhortationis eſt, quam Seraphicus Pater habuit ad Ducem Alverniæ. Perſeqvatur Franciſcum Pater, perſequatur mater, ſoror, & frater; mundus & Caro & tota inferorum colluvies; inſtet magnus, & parvus, pauper, & dives, domeſticus, & extraneus; urgeat fames, & ſitis, nuditas, & frigora, inſtantia, & futura, perſecutor, & gladius. Tantum eſt bonum, qvod me exſpectat, qvod me omnis dolor delectat.

Dimiſi Patrem, & Matrem, domos, & agros; & ecce! ô Iſrael, qvam magna eſt domus DEI, & ingens locus poſſeſſionis ejus. Magnus eſt, & non habet finem: excelſus eſt, & immenſus, ità docente Baruch Prophetâ c. 3. Surſum, ſurſum ingentia ſpatia ſunt, in qvorum poſſeſſionem animus admittitur. Sen. l. 1. quæſt. natur,

Famemqve ſitimq; æſtumq;, & ardores tuli. Sed ecce, non eſurient, neq; ſitient, & non percutiet eos ſol; qvia miſerator eorum teget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Annuntiante Prophetâ Iſaia c. 49. Quidqvid ibi beatus volet, erit, qvidqvid nolet, non erit. Auguſt. l. de ſpiritu & gratia.

Vilis, contemptusqve fuit mundo Franciſcus: & ecce humilis ille, & innumerabilibus ærumnis preſſus Franciſcus, lætus, divesqve cœlum ingreditur. O ſi vidiſſes ſanctorum in cœlo coronas perpetuas; quantâ qvoque nunc exultant gloriâ, qui huic mundo olim contemptibiles, & quaſi vitâ ipsâ indigni putabantur; profecto te ſtatim humiliares usqve ad terram, & affectares potius omnibus ſubeſſe, qvam uni præeſſe. Neque hujus vitæ lætos dies concupiſceres, ſed magis pro Deo tribulari gauderes; & pro nihilo inter homines computari maximum lucrum duceres. O ſi tibi hæc ſaperent, & profunde ad cor tranſirent; qvomodo auderes vel ſemel conqveri. Nonne pro æterna vita, cuncta laborioſa ſunt toleranda. Thom. Xemp. l. 3. c. 47.

Crudele verbum: pati. Sed dulcis vox: vitam æternam poſſidebit. Hoc ſufficere viſum eſt humanæ infirmitati, ut diceretur: habebis vitam æternam. Aug. ſerm. 64. in Joem. Decies centena annorum millia habent finem; qvod tibi tabo non habet finem. Qvalis miſericordia DEI (Auguſt. in Pſ. 83.) non dicit tibi: decies centena millia annorum labora: non dicit: decies mille an-

nos

Digitized by Google

nos labora: nec qvingentos, ſed cùm vivis, in paucis annis labora; inde requies erit, & finem non habebit.

His ità conſtitutis utrinque Domine Plini, pondus & pondus æſtimemus. Iſthic eſt pondus diei, & æſtus; ibi pondus honoris, & gloriæ. Hic pondus laborum, ibi pondus præmiorum. Hic pondus lacrymarum, & gemituum: euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua. Ibi pondus gaudii, atque exultationis: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Hic pondus paucorum annorum, vel horarum; ibi pondus ſemper duraturæ, ſemper vernaturæ æternitatis. Modicum, & hoc jam non erit; modicum, & illud ſemper erit. Denique hic pondus leve: jugum meum ſvave, & onus meum leve. Æternæ veritatis effatum eſt: ibi immenſum gloriæ pondus, qvod Chriſti Sectatoribus ab eadem veritate promiſſum eſt.

Academici, molleſcit animus Plinio, & ad tantam cœleſtis gloriæ dulcedinem illi dentes dentiunt. Satis habeo. Cauſam aperui, ob qvam nuperrimè illatam negavi conſeqventiam. Quod ſi dicta non ſufficiunt, peto mihi oſtendi paralogiſmum. Tentet, qvi volet; hoc ſcio, Plinius non volet.

(***)

Do-

Digitized by Google

Dominica 5. poſt Paſcha.

In corruptores orationis Dominicæ.

Petite, & accipietis Joh. 16.

VAlida ſanè Auditores Academici, nunqvamq; ſatis deprædicata, fuſæ ad Deum orationis virtus eſt, & efficacia, atq; adeò dominium qvoddam, non modò in hæc, quæ mortales pedibus calcamus, ſublunaria; verum in ipſos quoqve cœlos, ſolemque, lunamqve, & reliquam ſiderum congeriem; qvin ſi fas eſt ità loqui, in ipſammet ter maximi Dei præpotentem dexteram; utpote, cujus, noſtris fortè ſceleribus offenſæ fulmina, humili prece mitigari; cujus profuſam liberalitatem ad diſpergendas qvaqvaverſum gratias exorari non ſemel vidimus; ut una oratio nubes penetrare; cœlo ipſisqve divis; at alioqvin vinci neſcio DEO, qvandam violentiam inferre poſſe videatur. Spectate victorias, audite miracula. Orat Enoch, & transfertur in paradiſum: Orat Abraham, & de Sterili conjuge exorat filium: Orat Jacob, & pateſcunt ei cœli clauſtra: Orat Joſeph, & crudeles fratrum effugit dexteras: orat Moyſes & integras hoſtium ſternit phalanges; orat Joſue, & properantes in curſu ſuo moratur ſoles: orat Job, & ditatur in millibus: orat David & vincit in millibus: Orat Tobias, & fugat cæcitatem: Orat Daniel, & triumphat leones: Orat Jonas, & eruitur de ventre cæti: orat Eſther, & ſalvatur de manibus inimici: Orat Judith, & trucidatur Holofernes: Orat Suſanna, & ſuppreſſa, in victorias emergit innocentia. Nempe *omnipotens eſt*, ut ille apud Theodoretum dicebat; *& cùm ſit una* oratio, *omnia poteſt.* Audite adhuc prodigia. Orat Magdalena; & de ſepulchri ſqvalloribus ad vitæ jucunditates reviviſcit Lazarus: orat Hæmorrhoiſſa: & de mortis vicinia eripitur exangue corpus: orat Petrus, & ponti miteſcunt freta: orat Paulus; & deperditam nuper oculorum recipit aciem: orat Publicanus, & juſtificatur: orat Zachæus, & à cœlorum, terrarumqve Domino, propria in domo viſitatur: orant Apoſtoli, & deſcendit ſpiritus: orat Eccleſia, & de vinculis eruitur Petrus: usq; adeò, cum una ſit, oratio omnia poteſt.

Spectate adhuc qvæſo, per omnia victricis orationis trophæa. Orat Divus Gregorius, à facinorum claritudine dictus Magnus; & videt Angelum, qvi univerſam Italiam graviſſimâ peſtilentiâ afflixerat, videt inqvam, ùt gladium furentem in vaginam condat. Orat ſanctus Caluppa Reclauſus, & aterrimum dæmonem draconis formâ tectum, oratione dominica fugat. Orat Martyr Tiburtius, & hominem ex alto lapſum, omnibusqve membris multa paſſum ſymbolo Apoſtolorum ſanat. Orat Gregorius Thaumaturgus, & montes transfert; orat

Divus Antonius Patavinus, & perdita refert: orat Ignatius; & à terra ſublimis elevatur; orat Xaverius, & furens mare in momento ſedatur. Adeò Oratio, cùm una ſit, omnia poteſt.

Verum, qvid hoc Academici, quod, quæ alioqvin omnipotens eſt oratio, hodie inter nos tam parùm poteſt? audio enim muſſitari, qvod Pſ. 17. ſcriptum eſt: clamaverunt ad Dominum, nec exaudivit eos. Quotidie, inqvit Roſillus, Corollam virgineam recito, neqve qvidqvam impetro: quotidie penſum Marianum perſolvit Florillus & nihil, inqvit, obtineo. Sanctiſſimo miſſæ ſacrificio, quotidie aſſiſtit precator Sempronius, & non auditur: Divi Xaverii decendiſi iterum atq; tertio obit Stephonius, & non exauditur. Frequentantur ſacræ homologeſes, atqve ſynaxes; mittuntur pœne horis ſingulis ad ſuperos vota, & ſuſpiria, & nihil evincitur. Num exiſtimabimus AA. quia fortè abbreviata ſit manus Domini; aut aliud nobis, ac prædeceſſoribus noſtris incumbat cœlum; alia ſidera? an potius in nobis eſt, quòd alioquin ſponte in nos ruentibus divinis beneficiis, hodie multi oramus, & pauci impetramus!

Eqvidem omnino exiſtimo, magnam hujus infelicitatis eam eſſe partem, qvod vetus illud à Chriſto Domino oraturis dictatum Pater noſter mente elabi ſiverimus. Non oramus, inquam, antiquum Pater noſter, quod mundi Salvator Matthæi. 6. & Lucæ 11. capite inſtituit. Videamus. Antiqvum Pater noſter initio ità habet, *Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum.* Hac primâ petitione tum Apoſtoli, & Evangeliſtæ, tum optimi quiq; de Chriſtianitate à DEO poſtulabant, Magni DEI Nomen ubiqve terrarum eſſe in honore, veneratione; amoribus; utqve toti mundo, ad eum manifeſtaretur modum quem Regius vates deſcripſit, inqviens: *à ſolis ortu, usque ad occaſum, laudabile nomen Domini:* (Pſ. 112.) *Primum omnium, quæ petuntur,* inqvit Auguſtinus l. 2. de ſerm. Domini c. 10. *hoc eſt; ſanctificetur nomen tuum; quod non ſic petitur, quaſi non ſit ſanctum DEI nomen; ſed ut ſanctum habeatur ab hominibus, id eſt: ità innoteſcat DEUS, ut non æſtimetur aliquid ſanctius. Rogare jubet orantem,* inqvit Chryſoſtomus hom. 20. in Matth. *DEUM per vitam noſtram glorificari; ac ſi dicat: ità fac nos vivere, ut per nos univerſa te glorificent. Sanctificetur nomen tuum; id eſt,* inqvit Titus ſerm. 28. *nota ſit tua ſanctitas toti mundo, & laudet te decenter; juſſit ergo* (Chriſtus) *orare pro emundatione totius mundi.* Huc usqve prima petitio ſecundum antiqvum Pater Noſter.

Verum hujus ſanctiſſimi poſtulati ſubſtantiam evertunt illi grammaticuli; de qvibus alicubi Auguſtinus, qvi plus timent dicere: ominem, quam occidere

ho-

Digitized by Google

hominem. Hi allato orationis Dominicæ principio neſcio quas audaces interjiciunt interpunctiones; ut itâ orent. Pater Noſter - qvi es - in cœlis ſanctificetur nomen tuum. In cœlis ſanctificetur. Qvaſi dicant; Cœlum cœli Domino: ibi ille magnus, potens, ſanctiſſimusq; Dominus; ibi illa ſapientia, Bonitas, Virtus, atq; Sanctitas: ibi laudetur, ametur, honoretur, ſanctificetur; ibi reſonet, qvod Propheta Iſaias ſe ibi audiſſe dixit: ſanctus ſanctus ſanctus Dominus Deus Sabaoth. Ibi repetant Apocalyptici Muſici: dignus eſt Agnus, qvi occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et non etiam in terris? ab hoc iſti Oratores præſcindunt. Erravi! proſcindunt, dici oportebat. Proſcindunt, inquam, ſanctiſſimum DEI nomen, per illud paſſim jurando, ac etiam pejerando: diviniſſima ſacramenta blasphemando; & qvidqvid ſacrum eſt, ſpurco ore temerando; qvæ loqvendi formulæ, licet nulla in Academia tradantur, nullo legantur in libro, tam frequentes nihilominus ſunt, ut vix aliquod hominis fruſtum reperias, cujus hæc lingua non ſit propria. Non ergo oratur antiqvum Pater Noſter; in qvo petitur, ut DEI nomen ſanctificetur, honoretur, & glorificetur, ab hominibus; ſi ſic oratur, ut in cœlis ſanctificetur, in terris blasphemetur.

Altera petitio orationis dominicæ eſt; *Adveniat Regnum tuum.* Quibus verbis ſanctiſſimi Apoſtoli, cæteriqve veteres Chriſtiani, Deum orabant, primò qvidem ut divina Bonitas per ſuam gratiam, reliqvaq; ſuæ miſericordiæ dona in ſervis ſuis habitare dignaretur; tum ut illis ad beatam patriam, quod unicè regnum dici poteſt, pervenire liceret. *Petitur hic*, inquit D. Hieronymus, tom. 9. tract. de orat. dom. *ut ad Diabolus in mundo regnare deſiſtat; vel, ut in unoquoq; regnet DEUS, & non regnet peccatum in mortali hominum corpore.* D. Cyprianus verò inqvit; *petimus advenire à Deo nobis repromiſſum, & Chriſti ſangvine acquiſitum ſc. illud cæleſte regnum, in quo regnaturi ſumus.*

Hujus petitionis vim enervant qvidam ludiones hiſtrionici. Allatam orationem primi Chriſtiani proferebant compoſitis, & in cœlum levatis manibus, quibus, ſi qvid daretur cœlitus, promptiſſimi, expeditiſſimique arriperent. Verùm noſtri hiſtriones, ità quidem dicunt, ut ore precentur: adveniat regnum tuum: manu autem utraq; , quod poſtulant, repellant penitus, vel quàm diutiſſimè abeſſe velint. Itaq; ex eadem olla fumatur & frigidum, & calidum. Timent nimirum invenire, qvod quærunt, & obtinuiſſe, quod ambire videntur: vellent illi cœleſtibus frui, ſed ſimul mortalibus hiſce deliciis; ibi regnare; & iſthic ſemper vivere: ibi eſſe, & hinc non exire: ibi ſtellas premere pedibus; hic ſimul

mul eas portare in capite. Talis ſtultitiæ portio fuit Florentinus ille nobilis, de qvo noſter Stanihurſtius l. de 4. noviſſ. c. 5. de cœlo. Hortum is habebat ſuburbanum, curioſitatis Italicæ compendium; & qui, ſeu ſoli præſtantiam, ſeu ludentium aquarum miracula, ſeu fruticum ordines, ſeu fructuum varietates, ſeu miras florum ſpecies pulchritudines, inter formoſa mundi monſtra formoſior ferebatur. Huc cum ſeſe comite qvodam Sacerdote, nobilis contuliſſet; ex eoqve audiret, eam horti conſtitutionem merum qvidem eſſe miraculum; ſed alium eſſe paradiſum, qvi plus deliciarum uno conferre poſſit momento; quàm univerſa mundi topiaria, integris ſæculis. Enimverò negavit ille: & quod me attinet, inqvit: Si Deus pro mercede omnium bonorum quæ unqvam geſſi, velit mihi in totam æternitatem hunc hortum meum eſſe tum ego volens, lubensq; ipſi univerſum cœlum reſignavero. Dixerat brutalis anima; & ecce eodem adhuc continuante ſole, dum eſſedo domum repetit, è fragili ponte, qvem transvehi oportebat, equorum conſternatorum ferociâ excuſſus, cervicem fregit. Ità illud regnum, pro qvo in antiqvo Pater Noſter oramus obtinendo, non aſſecutus; alterum qvod unicè ipſe quærebat, pariter ùt multis evenit, amiſit.

Tertia Orationis Dominicæ petitio eſt: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. In quæ verba D. Chryſoſtomus hom. 20 ſuper Matth. *Non dixit: fiat voluntas tua in me, vel in nobis; ſed ubiq; terrarum; ut ſolvatur error, & plantetur veritas; & expellatur malitia; & revertatur virtus, & ſic jam non differat cœlum à terra. Fiat voluntas tua*, inquit D. Cyrillus ſerm. 28. quaſi dicat; *præſta nobis Domine converſationem cœleſtem quatenus, quæcunq; tu vis, nos etiam velimus*. Et idem tract de mortalitate: *Meminiſſe debemus, voluntatem nos non noſtram, ſed Dei facere debere; ſecundum quod nos dominus quotidiè juſſit orare: fiat voluntas tua.* Ità antiquum Pater Noſter.

Hujus petitionis proprietatem evertunt illi divinæ providentiæ Modificatores; qui, cum omnia, quæ illa gubernatrix divina ſapientia conſtituerit, in admiratione, atq; pretio habent; caperent nihilominus, ſaltèm quantum ad ſuam perſonam, nonnihil aliter res agi: Deoq; ſtatui terminos, ultra qvos illi progredi non liceat. Volunt Divinam voluntatem vincere in omnibus: modò eos nulla egeſtas premat: modò viribus corporis pòlleant; modò hos, illòsve honorum gradus detur conſcendere: modò apud viros principes gratioſi; modò docti, ſapientesq; habeantur. Eſt, qvi dicat: Fiat voluntas tua Domine; at quæſo equellus meus tibi qvoque curæ ſit, nè elangueſcat: & dummodo Quintillam offenſam non habeam: dummodo de inimico meo ulciſci liceat; dummodo hæc atqve illa adverſitas premere deſinat. Ità olim in hujus urbis Eccle-

ſia

Digitized by Google

ſta Clementina, precatus fuiſſe fertur Adalbertus Bauzek, literarum ſtudioſus: Fiat ô Domine, dicebat ille coram Auguſtiſſimo Sacramento in genua profuſus, fiat voluntas tua. Vis me forſitan Eccleſiaſtico addici ſtatui; ah volo, amantiſſime Deus; modò non Jeſuita, vis me ſæcularibus implicari curis; moleſtum hoc, ſed volo, iterumque volo; modo non Jeſuita. Vis me religioſæ addici regulæ; ſit illa Auguſtini, ſit Benedicti, ſit Brunonis, ſit Franciſci; planè volo; modò non velis, Jeſuita ut ſim. Verùm hunc divinæ Providentiæ Modificatorem in rectum duxit divina Bonitas; cùm illi ex Sanctiſſimo ſacramento ſub ſpecie blandi puſionis reſpondit Dominus: *volo te ibi eſſe, ubi es.* Quo percepto nuncio Adalbertus Societatem Jeſu expetiit, in eaq; poſt complures exanthlatos labores feliciter vitæ dies clauſit, quod tam diu eſſe timebat, Jeſuita.

Quarta Orationis Dominicæ petitio eſt: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Quibus ea hum liter petere jubemur, non quæ ad ventris faciunt ingluviem, non qvæ ad fomentum luxus, & Luxuriæ, ſed qvæ ad qvotidianum victum, amictumq; aut planè, aut multùm neceſſaria ſunt. Juxta ea, qvæ Paulus Apoſtolus 1. ad Tim. 6. ſcripſit: *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Et quæ Eccleſiaſticus c. 29. attulit: *initium vitæ hominis, panis, & aqua.* Ubi D. Ambroſius L. de Jejunio: *hi duo pedes ſunt*, (ſc. panis, & aqva) *& ſufficiunt. Sufficientiam vitæ*, inqvit Auguſtinus ep. 121. *non indecenter vult, quisquis vult, & non amplius. Pro pane juſſit* (Dominus) *orationem facere*, inqvit D. Chryſoſtomus hom. 20. in Matth. *non pro pecuniis, neq; pro laſcivia; ſed ſolum pro pane quotidiano; & neq; hoc ſufficit; ſed appoſuit: da nobis hodie; ut nos ipſos non conteramus ſolicitudine ſupervenientis diei.* Vel addit: qvotidianum: inqvit D. Cyprianus in tract. de Orat. dom. *ut tantum quis manducet, quantum ratio naturalis exigit; non quantum laſcivia carnis impellit. Si enim in uno convivio tantum expendas, quantum tibi ſufficere poteſt centum diebus, jam non quotidianum panem manducas.*

Hanc petitionem non obſervant illi, qvi orant Pater noſter Hebraicum; de qvo S. Hieronymus Tom. 9. in Orat. Dom. *In Evangelio, quod appellatur ſecundum Hebræos, pro ſuperſubſtantiali pane, MOAR, reperitur; qvod dicitur craſtinum.* Non ſunt hæc ventris mancipia contenta abſumpſiſſe, qvæ illis competebant pro hodie; niſi ſimul abligúriant, qvod cras & poſtridie porrigendum erat.

Nunc inquit D. Ambroſius l. de jejunio, *quidquid piſcium natat, qvidquid avium volat, quidquid ferarum diſcurrit, noſtris ventribus ſepelitur. Una ſylva*, ſcribit Seneca ep. 7. *pluribus elephantibus ſufficit, homo verò paſcitur vix*

Digitized by Google

Pater Noſter. Nempe, quod alicubi Seneca dicebat: *Stygias ultro qværimus undas*! & voluiſſe perire arguimur, qui pereundi vias ipſi conqvirimus.

Demum poſtrema petitio eſt: *ſed libera nos à malo*: à peccato ſcilicet, diabolo, morteque æterna, quæ ſi mala non ſunt, nulla omnino toto orbe mala ſunt. *Unusquisq;*, docet D. Auguſtinus (ſerm. de verbis Domini) *petit*, *ut à malo, hoc eſt, ab inimico, & peccato liberetur.* Et Chryſoſtomus hom. 20. in Matth. *Malum hîc diabolum vocat; propter excellentiam malitiæ, non quæ ex natura eſt, ſed quæ ex electione. Mors ipſa malum eſt, & infernus malum eſt; & diabolus malus eſt; à quo gratia Dei, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum nos liberet;* ſubſcribit Abbas Tuitienſis Rupertus. l. 5. in Matth. *Libera nos à malo; omni, viſibili, & inviſibili;* Orat Lyranus; *à præſenti, præterito, & futuro, concludit* Seraphicus Franciſcus.

Hanc petitionem evertit docta ignorantia, quæ cum omnia nôrit, ignorat univerſa. Novum illi lexicon: qvos Evangelium beatos, hæc miſeros vocat. Quos Chriſtus felices, hæc infortunatos clamitat; quos cœlum inter ſidera, hos illa inter paliuros, & vepreta numerat. Deniqve, ut Iſaias loquitur c. 5. malum dicit bonum, & bonum malum; ponens tenebras lucem, & lucem in tenebras. Inde in hunc modum precatur: libera nos à malo; quod eſt rerum penuria; quod eſt luctus hujus vitæ, atque gaudiorum parſimonia; quale eſt corporis afflicti ſtatus, & virium infirmitas, qvale eſt annorum lucisq; brevitas; quale eſt voluptatum hujus ſæculi fugacitas: quale eſt libertatis, noſtrarumqve rerum refrænatio: cum tamen hæc nec mala ſint; & apud ſapientes in numero bonorum quoq; cenſeantur. Quid jam mirum, ſi hi corruptores orationis dominicæ, qvod orant, non impetrant: *petitis*, inqvit D. Jacobus Apoſtolus c.4 *& non accipitis, eò quod malè petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis. Malè petit*, Scribit Venerabilis Beda, *qui amiſſo amore ſupernorum, infima tantùm quærit bona percipere*! Non ſic Academici, non ſic: ut, qvod petimus, impetremus, ad veritatis fontem, ad veterum temporum puritatem, ad antiqvæ ſapientiæ lucē, ad antiquū Pater noſter redeamus. Illud his diviniſſimis ſenſis complectebatur Franciſcus Aſſiſias, ut habetur tomo 5. Bibliothecæ Sanctorū Patrum; cum qvo & nos pariter toto cordis affectu, totæ mentis conatu, omnibusq; animi noſtri viribus dicamus: Sanctiſſime *Pater Noſter*, Creator, Redemptor noſter, Salvator noſter, Conſolator noſter. *Qui es in cœlis*, in Angelis, in Sanctis, illuminans eos ad tui cognitionem; quia tu es Domine Lux: inflammans eos ad amorem tuum divinum; quia tu domine amor es: inhabitans, & implens eos ad beatitudinem; quia tu Domine ſummum bonum es; & æternum bo-

num

num à quo omnia bona,& ſinè quo nullum bonum. *Sanctificetur nomen tuum*. Clarificetur in nobis notitia tua; ut cognoſcamus, quæ ſit latitudo beneficiorum tuorum; longitudo promiſſorum, ſublimitas majeſtatis, & profundum judiciorum. *Adveniat regnum tuum*; ut regnes in nobis per gratiam tuam, & facias nos venire ad regnum tuum, ubi eſt tui viſio manifeſta, tui dilectio perfecta; tui ſocietas beata, tui fruitio ſempiterna. *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*. Ut amemus te ex toto corde, te ſemper cogitando: ex tota anima, te ſemper deſiderando; & honorem tuum in omnibus quærendo: & ex omnibus viribus noſtris; omnes vires, ſenſusq; animæ, & corporis, in obſequium tui amoris, & non in alio exponendo: & Proximos noſtros amemus ſicut nos ipſos; omnes ad amorem tuum pro viribus trahendo: de bonis aliorum, ſicut de noſtris gaudendo, in malis compatiendo, & nemini ullam offenſam faciendo. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Dilectum filium tuum Dominum noſtrum JEſum Chriſtum da nobis hodie in memoria, in intelligentia, & reverentia amoris, quem ad nos habuit, & eorum, quæ pro nobis fecit, dixit, & ſuſtinuit. *Et dimitte nobis debita noſtra*. Per tuam miſericordiam, & ineffabilem paſſionis dilecti Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti virtutem, & Beatisſimæ MARIÆ Virginis, & omnium Electorum merita, & intercesſiones. *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Et quia non plenè dimittimus, tu Domine fac plenè dimittere; ut inimicos propter te diligamus; & pro eis apud te devotè intercedamus; nulli malum pro malò reddamus; & omnibus in te prodeſſe ſtudeamus. *Et nè nos inducas in tentationem*, occultam, ſive manifeſtam, ſubitam, vel importunam; *ſed libera nos à malo*, præterito, præſenti, & futuro. *Amen*.

(* * *)

Do-

In feſto Aſcenſionis D. N. J. C.

Et Dominus quidem Jeſus, poſtquam locutus eſt eis aſſumptus eſt in cœlum Marc. 16.

In cœlos nos veros dominos fore.

NOn poſſum hodie AA. qvin unum aliquem ex veterum Philoſophorum Stoa, ad Scholam vocem Chriſtianorum; eumqve neſcio quam ſuſpectam Græcorum dedoceam ſapientiam, Chriſti Diſcipulus. Diogenes eſt, Cynicus ille, & qvi dentem intentaturus eſt, ad modum canum; niſi illum Chriſtianâ manſvetudine, benignè, atq; honorificè habeamus. Philoſophus hic, auſus eſt qvondam Athenis circuire compita, & emptores! emptores! inclamare; habere enim ſe, qvod venderet: emerent, quicunqve ſapere vellent, emerent ſibi Dominum; talem ſe omnibus eſſe velle; talem omnibus fore. Adeò etiam Philoſopho huic ad compellationem, & titulum Domini, dentiebant denticuli.

Bonam lucem, & bonam mentem mi Domine! unde nobis? aut quorſum ô Diogenes? ut intelligo, ſervos qværis, qui Te ſibi emant in Dominum! Quodnam autem, & cujus rei tibi Dominum? qvæ terrarum, quæ regionum portio? qvantum latifundiorum, quæ ſolo, ſalòq; jurisdictio? Qvantum Latifundiorum? Diogenes Coſmopolita eſt: totus mundus illi in ſervitium; & ubi cæteri hominum vivere deſierint, unus ille orbis terrarum Dominus. Profectò Diogones Philoſophus eſt. Quantum verò cenſes de urbibus, & palatiis, de caſtris, & oppidis? Corinthum aliis non invideo, Syracuſas aliis remitto, Athenas non quæro, ſpartam non ambio; univerſa aliis lubens gaudensq; cedo; ſic meum facio, quidqvid alienum eſt. Adhuc ſapit Diogenes. Quantum autem camporum, quantum pratorum, & fluminum, ſylvarum, atqve hortorum poſſidet Diogenes? Hoc per me licet, vobis enuncient, qvi mihi ſeminant agricolæ unde panem recipio: & piſcatores qui mihi cupedias parant de flumine; & fæniſecæ, qvorum operâ pecus meum paſcitur. Hoc Cynicè. Iſtud eſt, quod dicebam, canis eſt, mordebit Diogenes. Sed enim adhuc quæſtiunculam: qvantum tibi auri, argentiqve, quantum ſupellectilis domeſticæ; quid in veſtimentis, quid in periſtromatis; Nihil horum numerat Diogenes: pauperis eſt numerare pecus. Unus mihi cento, unum cochlear; ubi alterum quis donô obtulerit, tunc numerare incipiet Diogenes. Hic dens acumen habet. At enim ubi parentela, ubi Aulæ miniſteria, ubi ſervitia? Hæc quæſo; idcirco emptores inclamabam, ſi quis Diogenem vellet habere in dominum!

Sedeat, qvæſo, Veſtra Dominatio. Anima ſedendo fit ſapiens; vetus eſt

veterum ſapientum adagium. Hoc opus hodie habet Diogenes. Hodie in ſchola Chriſti, audiet, qvod omnibus vitæ ſuæ diebus non audivit in Græcia. Quid illud? nempe, in hac mortali, tranſitoriaqve vita multos dici Dominos, in altera felici illa, primum eſſe. Mirabile dictu; ſed Diogeni. Nimirum alia eſt ſapientia Stoicorum, alia Chriſtianorum. In Græcia multi Domini, in præſenti: in Chriſtianitate multi Domini, ſed in futuro.

Aliqvid in hac materia ſuper Diogenem ſapuit Auguſtus, qvamvis & ille de gentium tenebris; qvi publico edicto vetuit ſe Dominum compellari, tametſi Romana ſceptra torqveret. Quid Auguſtus Diogeni? Auguſtus, cujus pedibus ſubſtrata jacebat Italia, Sardinia, Sicilia, Hiſpania, Luſitania, Cantabria, Britannia, Hybernia, Celtica, Gallia, Aqvitania, Helvetia, Germania! Auguſtus, cujus ſceptrum adorabat Dacia, Sarmatia, Myſia, Thracia, Albania, Græcia Peloponneſus, Creta, Colchis, eujusq; univerſa vicinia! Auguſtus, cujus decretis ſe ſubmittebat Aſſyria Lydia, Pamphilia, Cilicia, Syria, Ægyptus, Marmarica, Cyprus, Judæa, Numidia, Mauritania Libya? Auguſtus Elogium Domini, cum ferre poſſe videretur, audire recuſavit, qvid Diogenes? cùm fortè voluerit, non poterit. Indulgete illi hodie Academici, ut communibus Lectionibus eidem intereſſe liceat. Promittit ſe quietè aſſeſſurum, & pythagoricè taciturum. Audiat, durante hac mortali vitâ vix quenquam rectè dici Dominum, ſed tunc id veriſſimum fore, cùm de Homine dicetur: aſſumptus eſt.

Et Dominus quidem JEſus, poſtqvam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, Marc. 16. Rem obſervo in divinis ſcripturis prorſus mirabilem Academici. Centies ſexageſies hoc ſacroſanctum JESU nomen in Evangelica ſua hiſtoria locavit Matthæus; Octogeſies ſepties idipſum præſtitit Marcus; Nonageſies ter Lucas; & ducenties quadrageſies bis illud repetivit Evangeliſta Joannes, & ecce in univerſa Evangelica illa horum Sanctorum relatione non eſt invenire has duas voces conjunctus; DOMINUS JESUS; niſi Lucæ 24. c. ubi de Redemptore jam à mortuis redivivo: & Marci 16. ubi agitur de Chriſto in cœlum Aſſumpto. Quid hic myſterii? Lucæ 2. circumciditur puer, & vocatum eſt nomen ejus JESUS; ſed non Dominus Jeſus. Item Lucæ 2. proficiebat Jeſus ſapientiâ, & ætate & gratiâ apud Deum & homines; ſed non Dominus Jeſus. Iterum Matthæi 4. ductus eſt JESUS in deſertum, ut tentaretur; Sed non DOMINUS JESUS. Iterum Marci 5. transcendit Jeſus in navim, ſed non Dominus Jeſus. Iterum Lucæ 5. cognovit JESUS cogitationes eorum, ſed non Dominus JESUS. Iterum Joh. 10. dicit eis Jeſus: meus cibus eſt facere voluntatem ejus, qui miſit me: ſed non Dominus Jeſus. Ità de Salvatore noſtro Evangeliſtæ inter

mo-

mortalia adhuc conſtituto: verùm ubi is ex hac mortalitate abiit, ubi vitam moriendo reparavit, ubi fractis inferni clauſtris ad ſuperna remeavit Redemptor, & Victor; jam Stylo mutato ſcribit Lucas c. 24. Una autem ſabbati valde diluculo venerunt (Mulieres) ad monumentum, portantes, quæ paraverunt aromata; & invenerunt lapidem revolutum à monumento; & ingreſſæ, non invenerunt corpus DOMINI JESU. Notate bene: non invenerunt Corpus DOMINI JESU. Similiter mutato Stylo poſt lætam CHRISTI Anaſtaſim ſcribit Marcus c. 16. Et Dominus quidem Jeſus, poſtqvam locutus eſt eis (Apoſtolis) aſſumptus eſt in cœlùm. Notate: Et Dominus quidem Jeſus. Jam audet & Petrus dicere Actorum c. 4. in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Nazareni, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. Jam & Stephanus exclamat Actorum 7, Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum. Jam & cœleſtes ſpiritus ingrediente cœlum ſalvatore, inquiunt ex Pſ. 23. elevamini, elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ; & ſi noſſe placet; quis ſit iſte Rex gloriæ; Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. Nempe, capio Myſterium! Jeſus tunc Dominus, cùm in cœlum aſſumptus eſt. In hac mortali vita Jeſus, in altera Dominus; ante reſurrectionem Salvator, poſt reſurrectionem Rex Virtutum, Rex gloriæ.

Hic ego te Chriſtianum Philoſophum cuperem ô Diogenes: imo omnes eos hac imbui ſapientiâ, qui ubi pugillum terræ, quantus vix morituris in ſepulchrum ſuffecturus eſt, acquiſierint, aut fortè nacti ſint tugurium quòd ægre ſubſiſtit in cucumerario; ſi fortè per fortunæ incuriam numulus aliqvis ſuâ volubilitate ad eos pervenerit; jam hoc ipſo ſibi Magni Domini ſunt. Dic quæſo, quem tu dicis Dominum? Ambroſius Calepinus habet; Dominus eſt, qui domûs imperium habet: Hieronymus Lauretus in Sylva Allegoriarum habet: Dominus eſt, qui cum poteſtate domui præeſt. O Quales in hac mortali vita Domini, quos vel cæca fortuna toties, quoties libuerit, domo excutit; quos leviſſimus caſûs quæſito extrudit imperio! quorum poteſtas in ſubditorum ſtat libitu; & pro libidine!

Si qvis in hoc orbe terrarum, certè Dominus, Salomon fuit; cui præter vaſtiſſimas regiones, præter innumeros populos, præter immenſos honores, Pater moriens reliqvit auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, ut nos divinæ ſcripturæ edocent. Ipſum Salomonem de ſua dominatione loquentem audiamus. Eccl. 1. Ego Eccleſiaſtes fui Rex in Jeruſalem. Locutus ſum in corde meo: ecce magnus effectus ſum: magnificari opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos, & pomaria; exſtruxi mihi piſcinas aquarum, ut irrigarem ſylvam lignorum vernantium; poſſedi ſervos, & ancil-

Digitized by Google

las, multamque familiam habui: coacervavi mihi argentum, & aurum, & ſubſtantias Regum, ac provinciarum, & qvæ ibi ſequuntur: vidiſti Dominum? certè talis Salomon fuit. Sed ô rem philoſophiâ digniſſimam, Ego fui, inqvit Rex in Jeruſalem. Qvid inqvit? Fuit Rex in Jeruſalem. Num amplius, cum hæc dictaret, Rex non erat? fui, jam non ſum, inqvit Hugo Victorinus; quia etſi ſim idipſum, jam nihil eſſe agnoſco, qvod ſum. Duo ſunt, qvæ hanc ſapientiam manifeſtam faciunt; alterum qvòd omnis potentatus vita brevis, alterum qvod ipſæ coronæ & ſceptra vilia. Domus ampla, ſed ruinæ proxima; ſupellex copioſa, ſed qvæ ex rudiſſimi elementi viſceribus conflata eſt.

Erratis! erratis mortales, ſi vera imperia in hiſce caducis, evanidisqve felicitatibus qværitis. Eminent ſceptra, ſed firma non ſunt; fulgent coronæ; ſed brevi caſuræ; rubent purpuræ, ſed in pallores inclinant: turgent paludamenta; ſed in brevi ventis futura in ludibrium: eminent throni, & eſſeda; ſed caſui proxima, O qvales igitur harum rerum Domini! Tragædum Senecam in Thyeſte loquentem accipite.

Neſcitis cupidi artium
Regnum quo jaceat loco!
Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis nota Regia,
Non auro nitidæ trubes:
Qvid igitur? *Rex eſt, qui poſuit metus,*
Et divi mala pectoris;
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam ſtabilis favor
Vulgi præcipitis movet,
Qvi tuto poſitus loco
Infra ſe videt omnia;
Rex eſt, qui metuit nihil.

At ubi gentium, ubi terrarum ille? ibi, reſpicite Academici, ibi, qvò Dominus JESUS, poſtqvam ſuis Diſcipulis poſtremùm locutus eſt, aſſumptus eſt. Ibi reges, ibi Domini, ubi ſtantem à dextris DEI Filium hominis vidit Stephanus Act. 7. Ibi tuto poſiti loco, infra nos videbimus omnia, jam verè Domini. Ibi ubi, ùt D. Petrus Damiani concinit; ubi vivis margaritis ſurgunt ædificia; auro celſa micant tecta, radiant triclinia: Solis gemmis precioſis hæc ſtructura nectitur, auro mundo, tanqvam vitro urbis viaſternitur. Ibi, ubi divi Cœlites, poſt

Digitized by Google

poſt triumphum coronati mutuo conjubilant, & proſtrati pugnas hoſtis jam ſecuri numerant; ibi, ùt Auguſtinus in Manuali c. 6. dixit ubi adverſarius nullus, nulla peccati illecebra, indigentia nulla, nullũ dedecus, nulla rixa, nullum improperium, cauſatio nulla, nullus timor, nulla inqvietudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violentia, diſcordia nulla; ſed pax ſumma, charitas plena, jubilatio, & laus Dei æterna, & requies ut ſecura, ita infinita.

Hoc erat illud, qvo Regius Vates inter mundi conflictus, & pugnas animi ſui feſſam relevabat mentem, cùm diceret: Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Quam domum? niſi de qua alius Propheta exclamavit: O Iſrael, quam magna eſt Domus DEI, & ingens locus poſſeſſionis ejus. Baruch 3 24. Magnus eſt & non habet finem excelſus, & immenſus. Sed advertite, qvod menti meæ ſeſe ingerit fulgetrum. Non tantum lætatur Propheta, qvod in domum illam ibimus, ſed qvid in domum Domini ibimus: qvod qvidem ſic accipiendum eſt, ut domus illa domus Domini DEI noſtri eſſe intelligatur; verùm & ſic accipi poſſit, ut ipſi jam qvoqve Domini eam ſimus intraturi: Domini ibimus; non jam ſervi hujus miſeræ vitæ, non ſervi vitiorum, aut dæmonum, non ſervi vanitatis, ſed qvibus dicetur à Domino Dominorum: venite benedicti Patris mei, & poſſidete paratum vobis Regnum. Verè Domini, dicente Ambroſio L. de Incarn. c. 2. Peccator dominatur in hoc ſæculo, juſtus in regno DEI. Ubi demum veriſſimè impletur illud Pſ. 8. omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. Verè Dominus, qvi tutò poſitus loco, infra ſe videt omnia.

Ibi infra nos videbimus ſpiritum, qvo inflantur ſuperbi: cupiditatem, quà fervent avari; incendia, quibus utuntur luxurioſi, furores, qvibus ardent iracundi, ingluviem, qua diſtenduntur gulosi, rancores, quibus conſumuntur invidi; acediam, qvâ flacceſcunt otioſi. Ibi infra nos falſa videbimus gaudia, quibus decipiuntur curioſi; veram triſtitiam, qua affliguntur doloſi; timores quibus excruciantur malefici, languores, quibus contabeſcunt infirmi, ſpes inanes, quibus paſcuntur mundi amatores; Famémqve & ſitim, calores & frigora, peſtes & bella, aquarum eluviones, & incendia, morbos & vulnera, hoſtes, & latrocinia; ibi enim vita vitalis, vita beata, vita ſecura, vita tranqvilla, vita pulchra, vita munda, vita caſta, vita ſancta: vita ignara mortis, neſcia triſtitiæ, vita ſine labe, ſine dolore, ſine anxietate, ſine corruptione; ſine perturbatione, ſine varietate, & mutatione; vita totius elegantiæ, & dignitatis pleniſſima; ubi non eſt adverſarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra; ubi eſt amor perfectus, & timor nullus, ubi dies æternus, & unus omnium ſpiritus: ubi DEUS facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo meus ſinè defectu ſatiatur.

Ri-

Digitized by Google

Rideo jam neſcio quem Poetam, de Romana Majeſtate canentem Romanos rerum Dominos, gentemqve rogatam. Quinam hi Domini, quorum maximi quiq; inter catenata capitis pericula, metusq; , ſæpe mortes aut vulnera ſceptra non tam geſsère ad gloriam, & imperium, qvam ad tormenta, aut ſervitium. Certè Marius, celebre illud à fortuna nomen, ſæpius Conſul & Dictator, inter arundineta, ut vivere liceret, latuit. Pompejo, proh qvem nominavi? vilis de grege miles caput abſtulit. Quid Julium memorem, quem viginti & pluribus vulneribus viri de ſenatu confecère. Caligula qvarto, Galba Imperator ſeptimo, Otho itidem quarto imperii anno è vivis crudeli manu ſublati ſunt. Vitellius in Tiberim præcipitatus; Ælius pertinax à militibus obtruncatus, Heliogabalus in cloacam conjectus, dominationem finière. Maximini Imperatoris caput diu per univerſam Italiam circumlatum, tandem Romæ palo infixum, orbi terrarum ludibrio fuit. Cenſentur Imperatores tam orientis, quàm occidentis, propè ducenti, è qvibus ſexaginta ſeptem vario mortis genere, eoqve ſemper crudeli perière. Tuto ſcilicet, poſiti loco; & qui infra ſe viderint omnia, ac inprimis ſepulchrum.

Sapienter Romanus Sapiens, quem ea etiam de cauſa libentius in meam cauſam voco, quòd Diogeni, hoc eſt, homini, qui de ſapientiæ furfure gloriam quærit, loqvor. Perſonata eſt, inqvit ille ep. 81. perſonata eſt felicitas. Vides illum Scythiæ, Sarmatiæve Regem, inſigni capitis decorum? ſi vis illum æſtimare, totumque ſcire, qualis ſit; faſciam ſolve: multum mali ſub illa latet. Abundet argento, & auro, gemmis, & margaritarum fulgoribus, affluat periſtromatis, & tinctis murice veſtibus; multum mali adhuc ſub illa faſcia capitis latet: quid? curæ, angores, metus, ſpes, triſtitiæ, inqvietudines: ne, quæ fortè poſſidet, perdantur, nè decreſcant: ut conſerventur, ut augeantur. Numeret ille Regum, Regnorumque ſubſtantias; dominetur à mari usqve ad mare: terminus alter ſit Oriens, alter ſit illi Occidens; inſpice faſciam capitis penitius; multum mali ſub illa latet, quid illud. Multa vanitas; multa inanitas; multa vilitas, multa inconſtantia, multa fraus, & afflictio ſpiritûs. Cenſeat ille amicorum centurias, Clientum myriades, & ſervorum qvandam infinitudinem; populos toto orbe fuſos, & ad imperia inclinatus gentes univerſas; crede mihi, ſi faſciam ſolvis, multum mali ſub illa latet: quid illud? ſubdolæ adulationes, non viſæ deceptiones, innumeræ ſuſurrationes, metuendæ rebelliones; horrenda bella, & provinciarum clades, & miſerandi Regnum ex'tus. Et quamvis deſint cætera, non de uno ſolo Ptolomæo ſcripſit Valerius Maximus. l. 9. c. 4. Titulo Rex Inſulæ (Cypri) animo autem pecuniæ miſerabile mancipium. Dominus videtur tibi Nicias, qvòd ſervorum numeret triginta millia?

Titulo

Digitized by Google

Titulo Dominus; animo miſerabile ſuperbiæ mancipium. Xerxes videtur tibi Dominus; qvod armatorum in exercitu numeret decies centena millia: titulo, Dominus, animo miſerabile furorum, & iracundiæ mancipium. Tiberius Nero videtur tibi Dominus, quòd per fas, nefasqve ad ſummum evectus eſt Imperium? titulo Dominus; animo miſerabile crudelitatis mancipium, & hoc qvod in hoc, illove legiſtis Academici de innumeris accipite: qvod ipſum, etſi non comprehendat univerſos, comprehendit tamen omnes illud, quod in hac mortali vita, mortales ſunt; quòd ſub ictu fortunæ ſunt, quòd inſtabiles ſunt omnes regnorum, imperiorum, dignitatumq; celſitudines; neq; ſibi quisqvam tam divos habuit faventes, craſtinum ut poſſit ſibi polliceri.

Si ergo ſapis, infert mellifluus Bernardus ep. 103. Si ſapis, ſi habes cor, ſi tecum (ô homo) eſt lumen oculorum tuorum; deſine ea ſequi, qvæ & aſſequi miſerum eſt. Surſum corda Academici, ſurſum! ſurſum ingentia ſpatia ſunt; in qvorum poſſeſſionem animus admittitur. Sen. l. 1. nat. O quàm contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſurrexit. At conſummatum habet plenumqve bonum ſortis humanæ, cum petiit calcato omni malo altum, & in interiorem ſinum naturæ venit. Tunc juvat inter ſidera ipſa vagantem, divitum pavimenta ridere, & totam cum auro ſuo terram: Non illud tantum dico, qvod egeſſit, & ſignandum monetæ dedit; ſed & illud, qvod in occulto ſervat, poſterorum avaritiæ. Ibi, ô qvam ridiculi ſunt, inqvit, mortalium termini. Ultra Iſtrum Dacus non exeat; Imperium Iſthma Samothraces includat; Parthis obſtet Euphrates; Danubius Sarmatica, ac Romana diſterminet; Rhenus Germaniæ modum faciat: Pyrenæus medium inter Gallias, & Hiſpanias, jugum extollat: inter Ægyptum, & Æthiopas, arenarum inculta vaſtitas jaceat. Punctum eſt iſtud, in qvo navigatis, in qvo bellatis, in qvo regnatis mortales. Surſum ingentia ſpatia ſunt. Ipſa terra, inquiebat in ſomnio Scipionis Tullius, ità mihi parva viſa eſt, ut me imperii noſtri, qvo quaſi punctum ejus attigimus, pœniteret. Non recantavero illud ſapientiſſimi Cœleſtum ſpeculatoris; qui collatis mundum inter hunc noſtrum, ac cœlum, ſedem illam Beatorum rebus, exclamare auditus eſt; quàm ſordet mihi terra, cum cœlum aſpicio. Concludo cum M. Auguſtino ſerm. 64. in Joannem: Hoc ſufficere viſum eſt humanæ infirmitati, ut diceretur: habetis vitam æternam; cum enim mundi ſalvator homini dixit: habebis vitam æternam; dixit: habebis vitam ſinè morte: habebis gaudium ſine mœrore: habebis requiem, ſinè labore: habebis dignitatem ſine amittendi timore: habebis opes, ſinè amiſſione; habebis ſanitatem ſinè languore: habebis abundantiam ſinè de-

defecta; habebis perpetuitatem ſine corruptione; verbo habebis Regnum ſinè fine: & regni ejus non erit fimis.

Hæc habui DD. Academici; quæ noſtro Philoſopho de Græcia in hodiernis lectionibus de ratione, & veritate veri Dominii ex S. fidei noſtræ ſententia proponenda judicavi; Vos cum porrò veſtris explicationibus, repetitionibusq; pro veſtra in hoc ſtodio, peritia, adjuvate? Ego finio. Prius tamen aliquid ex vita S. Franciſci de Paula. Cum hic vir ſanctiſſimus neſcio quem de mercatoribus florentinis, viſitandi gratiâ adiiſſet; demandaſſe feritur Pater familias filiolo ſuo; ut viro ſancto manum deoſcularetur. Audiit idipſum Franciſcus, & nolite qvæſo, inquit me nunc ſanctum vocare: ſed hoc melius olim facturi eſtis, ubi iſte veſter filiolus Pontifex Romanus futurus, & me in numerum divorum relaturus eſt. Dictum: factum. Academici; compellate, ut vultis, Dominos invicem; hoc tamen ſcitote, tunc veros vos Dominos primùm futuros, cùm de vobis dici poterit: aſſumptus eſt in cœlum; ubi ſemper futurus eſt

Dominus vobiſcum!

(o)

Dominica 6. poſt Paſcha

Abſq; Synagogis facient vos. Joh. 15.

Mundi Genius. Bonos perſequi.

Ecce mercedem veſtrũ viri Apoſtoli, cæteraq; Diſcipulorũ Chriſti turba, qvi Patrem & Matrem, res, & ſpes, adhuc autem & animas veſtras relinqventes, Chriſtum ſecuti eſtis. Videte præmium veſtrorum factorum; nempe, abſq; Synagogis facient vos. Optime Petre, qvi nuper tam ſollicitus ex magiſtro tuo quærebas: Ecce nos reliqvimus omnia, & ſecuti ſumus te, qvid ergo erit nobis? vis, dicam; abſq; Synagogis facient vos, alia lectio habet: futurum eſt, ut vos à ſuis ſynagogis, hoc eſt, congregationibus, conventibus, & cœtibus expellant. Neqve hic ſatis. Sed veniet inſuper hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſeqvium ſe præſtare Deo. Et nondum ſatis. Sed plorabitis, & flebitis, & mundus gaudebit. Ecce ego mitto vos, verba veſtri Salvatoris ſunt, ſicut oves in medio luporum, & tradent vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & ad præſides, & ad Reges ducemini. Imò neque hîc ſatis. Tradet enim frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient; & eritis odio omnibus gentibus. Et horum omnium una cauſa; qvod Chriſtum, quòd ejus doctrinam, & monita, quod vitam, & mores ſecuti eſtis.

Ecce Mundi genium, & ingenium Academici. Quæ turpia, quæ rationi diſſentanea, & ſuo pondere inferno proxima, hæc apud malè ſanos homines habentur in amoribus; ſi qvis hiſtrio, ſi qvis de Lupanari Ganeo, ſi qvis egregius Compotator, ſi qvis inter reliqvos major rixator; is enimvero mundo in magno pretio eſt. Virtutem, quæ ſua pulchritudine, ac præſtantiâ meretur locari inter celſa ſidera; ut ſi qvis Chriſti ſervus, ſi in templo frequentior, ſi in Academia modeſtior, in converſatione caſtior, in verbis cautior, in conviviis abſtinentior, in luſibus rarior: modò aut verbo, aut ſigno Chriſtum loquatur, aut Chriſtianum præſeferat: hoc eſt illud, quod pleriqve mortalium odêre. Fuerit heri qvis in rixa, in perjurio, in furto deprehenſus, aut etiam in ganea; amicos, patronos, defenſores habet: Idem hodie caſtra deſerat diaboli, accedat ad caſtra Chriſti: deteſtetur errata, plangat commiſſa, proponat ſeqvi virtutem, laudet qvæ honeſta, quæ caſta ſunt, jam nec amicos, nec Patronos, nec defenſores habet. Quin potius, quantumvis adhuc de longinqvo Chriſti ſervum præſeferat, à ſynagogis & cætibus ſuorum commilitonum repelletur, verbis proſcindetur, & qvas nunqvam meruit afficietur contumeliis. Et hoc ità, ut

Digitized by Google

hæc faciunt, magnum ſe DEO exiſtiment præſtare beneficium, ſi quem ex DEI ſervis, ſaltem linguæ gladio interfecerint.

Turpe qvidem dictu; ſed adeò Deus ſuis creaturis contemptibilis eſt. Animadvertit hanc mortalium perverſitatem Eccleſiaſticus, unde & c. 2. ſcripſit monens: Fili accedens ad ſervitutem DEI, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Foverint te hactenus parentes, defenderint fratres atqve ſororculæ: dilexerint te amici, & conſanguinei; deprædicaverint ſodales, & extranei: id factum fortè fuerit, quia nondum Dei ſervum profeſſus fueras, & quòd nondum te pietati, & veræ virtuti addixiſti. Confidenter dico, ſcribebat ad Narſum D. Gregorius l. 6. ep. 121. qvia minus piè vivis, ſi minus perſecutionum pertulelis. Accede autem vel pauliſper ad ſervitutem DEI; videant parentes te converſantem cum Religioſis, & Deo dicatis hominibus; audiant amici, te freqventiorem eſſe in Eccleſiis, & freqventandis divinis ſacramentis: advertant ſodales inter divina modeſtiorem, inter ſcholaſtica taciturniorem; jam te omnibus tentationibus, omnibus perſecutionibus commiſiſti. Impoſſibile eſt, inquit in allatum principio textum D. Chryſoſtomus, ut qui vitiis bellum indixerit, preſſuris careat.

Involabunt ſcilicet integri crabronum exercitus in miſellum militem, ubi primùm vexillum Chriſti in ſublime extulerit; & ſi ſuperis placebit, prius conficient, qvàm ritè pugnare in hoſtem cœperit. Adeo Chriſtus mortalibus contemptus, odibilisqve factus eſt.

Videte ſanctiſſimos Chriſti Apoſtolos. Alius piſcatoriam, alius telonariam exercebat; alius alio diſtinebatur. Et ecce omnibus alta pax. Legebant litus qvieta piſcatorum navigia, & eodem ligno vehebatur Simon Barjonas, & placidum à perſecutionibus ſilentium. Nullæ lites Matthæo ad telonium, nulla judicia, nullus à tergo lictor, qvantumvis publicanus haberetur. Nec nominati qvidem apud Judicum ſevera tribunalia Apoſtoli. At ubi primùm ſe Chriſti diſcipulos profeſſi ſunt, ejusqve doctrinam promulgare cœperunt, tum enim ad arma mundus conclamavit; tunc accuſationibus, & delationibus, tunc vinculis, & carceribus, tunc verberibus, & flagellis tunc proſcriptionibus, & relegationibus, tunc gladiis & crucibus tunc cædibus, & mortibus, tunc præcipitiis, & excoriationibus in eos ſævitum.

Videte Doctorem Gentium Paulum. Dum minas, & cædes ſpirat, dum Eccleſiam Chriſti perſequitur, dum adeſt lapidantibus Stephanum: & viris principibus percharus eſt, & univerſæ plebis corda animosqve in ſe vertit. At ubi Paulus, jam vas electionis, Chriſtum prædicare, ejusque doctrinam tueri cœpit,

tum

tum ille freqvens in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, pericul s ex gentibus; periculis in civitate, periculis in ſol tudine periculis in mari, per culis in falſis fratribus. Inter leviſſima eſt, qvod ſæpius pro inſano habitus ſit. Quæ res illi fortè expreſſerit verba, quæ 2. ad Timot. 3. ſcripſit: omnes qui piè volunt vivere in Chriſto JESU, perſecutionem patientur.

Videte Magdalenam ad pedes Salvatoris in domo Simonis Phariſæi proſtratam, & lacrymis rigantem pedes Domini. Lucæ 7. Erat hæc mulier in Civitate peccatrix, & de qua Chriſtus ſeptem dæmonia ejeciſſe memoratur. Formæ muliebris, blandorumque colloqviorum, & amorum ſectatrix inter primas: & quæ non minus periculosè amabat, quàm amabatur. Roſarum cruento Veneris veſtigio notatarum, quàm liliorum amantior: ad ſpeculum freqvens, ad feneſtras, & domùs oſtia frequentior, ſua ipſius pulchritudine capta, offerebat tranſituris, qvod in ſpeculo viſum placuerat. Verbo; Magdalena in omnibus omnia, præter lilium. Et cùm talis eſſet, adhuc ſtabat in urbe, velut in Topiario qvidam Regius flos, qvi traheret univerſos, aut ſaltem plurimos haberet ſui amatores. Ubi verò Mundi Salvatori pedes extergere cœpit, ubi deflere errata, deprecari malè commiſſa, jam vel apud ipſum Chriſti tribunal agitur rea; qvia peccatrix eſt. Comitur ad ſpeculum Magdalena, fucatur vultus, pinguntur genæ, cincinnantur crines, aureum immittitur crinale; nudantur colla, gemmis gravantur aures, margaritis manus; & ad omnem venerem excolitur veſtitus. Et adhuc Magdalena adverſarium non habet. Habebit, ubi hæc omnia vanitatis irritamenta amore Chriſti poſuerit; quia peccatrix eſt. Adeò Chriſtus mortalibus inviſus eſt.

Ab ignorante Phariſæo ad Chriſti proditorem Apoſtolum tranſeamus. Cùm Jeſus eſſet in Bethania, inquit Matt. 26. in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. O bene factum, diceret Pietas. Digniſſimum ſanè ſacroſanctum Jeſu Chriſti Caput, in quod Angeli deſiderant proſpicere; & quod omni honore, & omni obſeqvio proſequamur; millenisqve atqve millenis vicibus, Indiæ balſami immergamus odoribus. Ità qvidem ô Pietas, quam cœlo chara, tam mundo ignota virtus. Sed advertite: quid audio? ut qvid perditio hæc: potuit enim iſtud venumdari multo, & dari pauperibus. Ità Judas Mercatorum ille peſſimus. Obſtupeſcite cœli! Si Magdalena Ungentum illud expoſuiſſet foro, indeq; provenientes numos inter patibularios quoſpiam pauperes, qvalis Judas inprimis erat, diſtribuiſſet, tum enimverò Magdalena omnes divinæ ſapientiæ impleſſet apices: at in ſacroſanctum Chriſti caput aliquid inde contuliſſe;

 hæc

Digitized by Google

hæc utiqve una ex maximis perditio eſt. Adeò CHRISTUS mortalibus odibilis eſt.

Et his ſimillima videmus etiamnum hodie. Fecerit filius grandiſſimos ſumptus & pecuniarum expenſſas, in veſtitus vanitatem, in armorum ſplendores, in famulorum, eqvorum, canum inutiliſſimam multitudinem, in comeſſationes, & quotidiana Bacchanalia; in nundinationes, & curioſa crepundia: Ceſſerit egregiam aſſis portionem Mimis, ludionibus, hiſtrionibus, & theatris ſtultorum; abſumpſerint hæreditatis partem aliam ſphæriſteria, alteram ſaltationes, & muſica, tertiam charti folia, quid adhæc boni parentes. Qvid eos facere conveniret, eqvidem non ignoro. Et qvidem inprimis huic ejusmodi infirmo; crederem profuturum pharmacum; de qvo Pſalmiſta: Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Si Antonellus eſt, conſoletur filium virga; Si jam Antonius, conſoletur eum baculus. Deinde ejusmodi filium prodigum habeant parentes ùt ægrotum Medici, cujus curatio ab abſtinendo pendet. Non adjiciant ligna incendio, non ſubminiſtrent luxurianti arbuſculæ, unde in excedentes ramos, & nihil profuturorum foliorum inanem copiam excreſcat: deniqve nè recidivam patiatur valetudinarius, non ſit illi liberum ad auram procedere pro libitu; Sed contineat ſe inter ſuos parietes domeſticos; quod ut obſervetur ſtrictius, ſuper portam domûs figatur ſeqvens ſuperſcriptio: Homo, quaſi flos egreditur, & conteritur. Iſta, aut his ſimillima, ſi præſtarent parentes & ſuo reſponderent muneri, & proles haberent peculii retinentiores: Sed ecce poſt tot domeſticæ rei illatas clades, & vulnera tacent, & ſi qvem habent premunt alto corde dolorem; ſubinde qvoqve facta commendant, qvòd & ipſi qvondam talia auſi; neqve vellent habuiſſe proles ſe aut cautiores, aut meliores.

Verùm, ubi filius numulum aliquem contulerit in Chriſti pauperes, aut ſi qvid ciborum ægrotanti famulo ſubtruſerit; aut ſi amore Chriſti parvis aliquam portionem objecerit mendicabulis; & multò magis, ſi cuiqvam Religioſorum ordini de peculio donô tranſcripſerit. DEUM bonum! quæ ſuſpiria, quæ audiuntur lamenta! quæ in hominem volant convitia? Diſſipari rem familiarem; deſeri domeſticos, univerſa profundi in extraneos, non ſupereſſe, niſi ut paupertas, & mendicitas plenis irruant foribus, idqve cum ſumma generis, & amicorum ingloria, ac etiam injuria. Bone Juvenis, unde hi tibi adverſarii, unde tot contumeliæ! nempe propter aliquot æneos numulos, in Chriſti gratiam erogatos; qui nuper ſine lite, & jurgio, in veſtium, famulorum, canum & compotatorum obſeqvia, aliqvot profuderas ſeſtertia. Adeo Chriſtus, ô pudor! etiam Chriſtianis inviſus eſt. Re-

Digitized by Google

Revertamur ad ſpeculum veritatum, hoc eſt, ad ſacroſancta Evangelia. Contulerat Joh. 9. Salvator noſter viſum homini, à nativitate ſua cœco, ſtipem non longè à Salomonis templo petere ſolito. Quo intellecto Judæi, ac præſertim Phariſæi quærunt ex homine, qvi factum, ut tam dudum cœcus, videret. Reſpondit ille, id beneficii ſibi à JESU paſſim dicto obveniſſe. Et dum illi urgent rem impotentius, ſubjunxit ille impatientius: dixi vobis jam, & audiſtis: quid iterum vultis audire. Nunqvid & vos vultis diſcipuli ejus fieri? Obſervate Academici! Homo iſte nuper cœcus, dum Chriſtum ignorat, non unam eleemoſynam à Judæis, ac fortè plurimam à Phariſæis retulerit. Sed ubi viſum à CHRISTO recepit: cùm inqvit: ille homo, qvi dicitur JESUS, lutum fecit, & unxit oculos meos: cùm audet quærere: nunqvid & vos vultis diſcipuli ejus fieri: DEUM bonum, quos non motus animorum, quas turbas non excitat. Quid enim ad iſta Judæi? Tu inquiunt, diſcipulus illius ſis; nos autem Moyſis diſcipuli ſumus. Nos ſcimus, qvia Moyſi locutus eſt DEUS; hunc autem neſcimus unde ſit. Deniqve multis conviciis oneratum è templo ejecerunt. Adeò graue accidit Phariſæis, quòd vel dubitatum fuiſſet, an non vellent diſcipuli Chriſti fieri.

Qvoniam hodie totus in ſcripturis divinis ſum, adhuc alio indè ſumpto exemplo rem ſtabiliamus. Matthæi 21. Legimus, qvomodo mundi ſalvator, ſedens ſuper aſinam ſubierit Civitatem Jeruſalem inter ingentes turbarum plauſus, acclamantium, atqve dicentium: Oſanna Filio David: Benedictus, qvi venit in Nomine Domini. Cùm ergo Jeſus intràſſet in templum, videntes Principes ſacerdotum & ſcribæ mirabilia, quæ Dominus patrârat: & qvod pueri in templo qvoque acclamarent dicentes: Oſanna Filio David: indignati ſunt, & dixerunt: audis, qvid iſti dicant! unicè volentes, ac urgentes, ut illis Chriſtus ſilentium indiceret.

DD. Academici! qvis mihi perſvaſerit, in tota Civitate Jeruſalem, in tanta urbe, in tam copioſo populo, in tam procace, & petulante gente, omnes pueros fuiſſe, puerasq; fuiſſe tam modeſtos, ſilentioſosq;, ut nunqvam per plateas, & compita diſcurſarint, nunquam vocem altius extulerint, & petulantiam oſtiatim circumportârint! Quid hoc Mercurio inquietius? quid inter picas garrulum, aut inter ranas ſonans magis. Aut quisqvamne mihi perſvaſerit eam templo Salomonico fuiſſe reverentiam, ut non paſſim in omnibus angulis conclamatum fuerit? quando nec in Chriſtianorum Eccleſiis, etiam ubi ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio aſſiſtitur, etiam, ubi illud omnibus Cherubinis, atq; ſeraphinis tremendum Auguſtiſſimum Altaris Sacramentum in oculis eſt, etiam, ubi divinis-

Digitized by Google

ſima Hoſtia illa incruenta in totius mundi reconciliationem in ſublimè effertur, tanto Myſterio debitum ſilentium impetrare poſſumus Et tamen ejusmodi vitia, nunqvam à Phariſæis reprehenſa legimus: quin paſſim & oves, & boves intra atria templi boantes, balantesq; audiſſes, & columbas gementes, ut jam templum illud non tam domus orationis, qvàm ſpelunca latronum eſſe videretur. Sed ut primùm intra illud templum pueri DEO laudem dicunt, & novo Meſſiæ novum Canticum depromunt; ecce jam ex Phariſæo Cenſor; ferulam intentans, niſi pueri illico conticeſcant. Videntes ergo, inquit Sacer textus, Principes ſacerdotum pueros clamantes in templo; Oſanna Filio David; indignati ſunt. Cum greges boum mugiunt, oviumq; greges balant, & numulariorum Menſæ undiq; & undique ære proſtrepunt; cùm de porta ad portam curſitatur, & inter emendum, vendendumqve non una lis, & clamoſa oritur contentio; quàm patientiæ memores, quàm ſinè bile, ſinè impetu ſunt Principes; ſed muſſitet tantum qvis nomen Chriſti: jam montes brevi fumigaturos tetigiſti; adeò illis Chriſtus odibilis eſt.

Quin ut qvis hominum perſecutionibus pateat, non eſt neceſſe Chriſtum cum illis parvulis aut per urbis compita circumtuliſſe, aut ramos olivarum in ſublimè egiſſe, aut in templis prædicâſſe: ſatis fuerit, vel aliqvando cum Chriſto eodem locô viſum fuiſſe, aut eadem prodiiſſe patria, aut eadem uſum eſſe linguâ. Certè Matt. 26. Ancilla ad Petrum dicebat: & tu cum JESU Nazareno eras: Maximum crimen Petro objiciens, qvòd cum Chriſto aliqvando fuiſſet. Non dicit: Tu ſeductor populi, tu perturbator pacis; tu impoſtor, tu latro, tu homicida es: ſed omnium locô velut criminum ſummam intulit: & tu cum JESU Nazareno eras. Nimirum nihil huic homunculæ ægre grave, & Petro nihil æqvè periculoſum viſum, quàm cum Chriſto fuiſſe. Tantumque hanc mulierculæ vocem pertimuit Petrus, ut etiam cum perjurio negaret ſe noſſe hominem. Qvidquamnè Academici dici poteſt, aut cogitari Deo noſtro indignum magis, ſive improperantem Ancillam, ſive negantem Petrum ſpectandum ſumimus. Verbo, qvod merito obſtupeſcant omnes Cœlites, Chriſtus mortalibus nimium quàm vilis eſt. Pudet nos eſſe Chriſtianos, & inter crimina aut ſaltem inter vitæ diſcrimina habetur, Chriſti vitam moresqve ſectari. Sæpe unius ancillæ voculâ, perterritæ graves ſternuntur columnæ, & qui adoleſcens cum Chriſto iturus erat in catenas & vincula, ubi ſe pro Chriſtiano haberi intellexerit, pedem retraxit, nè apud ſuos minor habeatur.

Et qvæ cauſa, quòd hodiedum Religioſorum ordinum pleriqve etiam Chriſtianis inviſi ſunt? niſi qvòd, qvemadmodum in Esdram commentatur Socie-
tatis

Digitized by Google

tatis JESU Generalis Joannes Paulus Oliva, una ignobilitas eſt, authorari Chriſto. Si Religioſus paſtillos oleret, & maſſica, ſi paraſitos loqveretur, & veneres, ſi criſpatulus Pſaltrias adiret, & convivia, & in amoribus, & honoribus haberetur; nunc autem cùm Chriſtum refert, cùm Chriſtum loqvitur, cùm Chriſti cauſam tuetur, ut parum dicam, homo ſylveſtris eſt, & ſuo ſpelæo dignus.

Quod ſi etiam quis Adoleſcentum vitam ſuam cuipiam Religioſorum ordinum addicere voluerit, qvæ non adhibentur machinæ, qui non vectes, qvibus propoſito excutiatur ſuo. Si uxorem ducturus erat, etſi edentulam illam, etſi Xantippem, aut furiarum, aut Mænadum aliqvam: ſi militiam ſecuturus, ſeu oneratus ſclopo, ſeu onuſtus tympano; ſi opificem acturus, qvantumvis inter cerdones, aut ſcandularum fabros; adhuc parentibus ſolatium eſt, in ſtipite novos truncos parituro. at ubi ſub glorioſi Patriarchæ vel Benedicti, vel Dominici, vel Franciſci vexillo Chriſto eſt militaturus, tum velut de funere jam compoſito, omnis angulus lacrymâ plenus eſt. Tum ubera jactare Mater, quæ ſuximus, tum in limine jacere Pater; quem revereri jubemur; & ubi nihil hiſce proficitur, prima incuſantur balnea, in qvibus merſi non ſumus.

Ergo, dicet qvispiam, ſi ità eſt, & ſi Chriſtum ſeqvi, tanti eſt periculi, ſi qui pientior, qvi modeſtior, qui virtutibus deditus magis, magis etiam, & majoribus malis obnoxius eſt, ergo præſtat ſe tempori accommodare; & mundi legibus vivere! Reſpondeo, negando hanc conſeqventiam. Quare id faciam, de hoc aliâ vice. Interim ità diſcurro. Qvantumvis Mundi genius ſit, Bonos perſeqvi; tamen altera ex parte qvoqve certum eſt, Cœli genium eſſe Bonos proſeqvi. Elige, Cœlum, an terram pro te ſtare velis. Credo qvod cœlum. Tegit omnia cœlum; & te, ſi cœlo digna geſſeris. Deinde Chriſtinè, an Mundi eſſe voles? Si pateris, & hoc propter Chriſtum, Chriſti; ſi nihil pateris, etſi nondum Mundi, tamen nondum videris eſſe Chriſti. Voles eſſe Chriſti, credo voles & pati. Deniq; ſi non vis eſſe Chriſti, non ſis ſaltem Mundi, cujus genius eſt perſeqvi, qvotqvot non ſunt iſtius mundi. Nondum es Bonus, noli perſeqvi Bonos, nè aliqvando fias extra Bonos. Cæterùm qvod me attinet: dudum elegi eſſe cum Chriſto, ſtare pro Chriſto, loqvi de Chriſto, ſimilis aliqvaliter eſſe Chriſto, ut merear ibi eſſe cum Chriſto. Eligat alius hic gaudere, & ibi flere; ego eligo hic flere, & ibi gaudere.

Amen.

(* * *)

Domi-

Dominica Pentecoſtes.

Factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritûs vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes.

Actor. 2.

Ponuntur proprietates ſpirituum; ſpiritus mundi ſcilicet, & ſpiritus DEI: ex qvibus qvisque intelligere poſſit, cujus ſit ſpiritus.

QUantum mihi, Domini Academici de intimis cordis veſtri penetralibus conjicere licet, vix qvisqvam præſentium eſt, qui factâ ad hodiernæ diei ſolennitatem animadverſione, non cupiat noſſe, num & ipſe diviniſſimi illius ſpiritus, quem his feſtis ſuper Chriſti fideles, jam olim deſcendiſſe, fide diſcimus, habitaculum, ſacrariumq; factus ſit. Eſt præſens dies anniverſaria; de qua divinæ ſcripturæ Actorum ſecundò ità loqvuntur: cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco; & factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritûs vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes. Neque dubitandum, eadem, qvæ tunc miſeratione divinâ geſta ſunt, hodie in dilecta Deo Chriſtianitate, feliciter patrata eſſe; nam cùm venerabilis illa, & ab illuſtrationibus cœleſtibus celeberrima Virgo Marina de Eſcobar, ſubinde Divinam Majeſtatem his feſtis orare cœpiſſet in multos mitti ſpiritum ſanctum; optaretq; ſæpius redire Pentecoſtalia: reſponſum accepit, multa utiq; eſſe ejusmodi feſta; eò quòd ſemper deſcendat, exiſtatq; ſpiritus ſanctus in animabus, in quibus per ſuam Ille gratiam habitet. Et mihi qvidem perſvaſiſſimum habeo, Academicos noſtros univerſos, qui ſe tantæ felicitatis capaces idoneosq; reddiderunt, hujus tanti Hoſpitis præſentiam, gratiasque hodiernâ luce nactos; ejusqve impoſterum ductu regendos, gubernandosqve. At ſimul ſolicitos curioſos pleroſq; video reſciſcendi, quibus argumentis id ſibi ut certum habere poſſint. Placetne, rem indagemus? Ego opellam meam defero; veſtræ ſapientiæ erit Academici inter purpuram, & purpuram inter ſpiritum, atq; ſpiritum hodie diſcernere, videreqve qvem domi Hoſpitem, quem doctorem, agendorumque ducem, habeamus. Pro tractandorum fundamento ſit ſeqvens de ſpirituum diſcrimine diſcurſus.

Duplici ſpiritu, veluti animâ, etſi planè diſparibus modis, diſparibusq; cauſis, atqve finibus regitur hoc univerſum. Alterum ſpiritum mundi, alterum ſpiritum Dei dicimus. Illo, qvidqvid volunt, aguntqve, feruntur filii hujus ſæculi, iſto filii Dei. Ille de mundi ſpelæis, antrisqve, tenebris, atque horrore fæcundis, iſte de cœlo eſt, lucis atq; omnis amœnitatis patria. Ille in roſeta

primum,

Digitized by Google

primùm, paradiſosque impellit clientes; ac mox in prærupta, & nunquam ſatis vitata præcipitia; iſte callem primùm oſtendit aſperum illum qvidem, & ſcrupis horrentem, ſed qvi demum ad æternùm vernatura ducat topiaria. Ille ſenſui blandus, iſte rationi congruus, Ille per obliqua, iſte in rectum viæ tenax; ille fuco blandiri ſolitus, iſte uni veritati inſiſtens, nec dura emollire, nec mollia indurare ad hominum placita, gnarus. Hactenus velut primam rei digerendæ maſſam collegimus AA. Dicamus rem clarius.

Spiritus mundi, & ſpiritus Dei, duplex eſt illa anima, qvâ, etſi, ùt dictum diſparibus modis, cauſisque regitur hoc univerſum. Quid ſpiritus Mundi? Reſpondent ex vetuſtis Phyſici: eſt illa univerſi forma, quâ qvidqvid vel oculis patet, vel ſenſus noſtros latet, aliâ parte in purum ſurgit elementum; aliâ in permiſtam primis qvalitatibus emergit ſubſtantiam; ibi vitâ, ibi vitâ & ſenſu, ibi vita, ſenſu, & intelligendi vi præditam: quæ una eademque forma tota ſit in toto, & tota in qvalibet univerſi parte; quæque una & ipſa, & ardeat in ſole, & refulgeat in Luna, & luceat in ſtellis, & ratiocinetur in homine, & imaginetur in bruto, & vegetet in arbuſtis; & rugiat in leone; & ganniat in vulpe, & floreat in hortis, & fructificet in pomariis, & ſubſiſtat in elementis Et cùm una, eademque ſit, ſui unius juris dicit eſſe omnia illa, qvæ Philoſophis dicuntur accidentia; quæ & tantæ poteſtatis ſint, ut Herum ſuum, volentem, nolentem. Jam faciant algentem ad Arctum, jam calentem ſub Sirio; jam ſub plejadibus madentem pluviâ, jam arentem ſub Caniculæ ardoribus. Hæc & plura de ſpiritu Mundi, antiqvi Phyſici. Quid Politici? omnia eadem, niſi quod dicta, ut paulò poſt viſuri ſumus, in ſenſu ad mores adoptato, accipiunt.

Qvid Spiritus Dei? Reſpondent ſacrarum ſcriptuarum libri: Spiritus bonus. Pſ. 142. Spiritus benignus. Sap. 1. v. 6. Spiritus replens orbem terrarum Sapient. 1. v. 7. Spiritus ſvavis Sap. 12. v. 1. Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis Iſ. 11. Spiritus veritatis, Joann. 14. & de quo Actor. 2. factus eſt repente de cœlo ſonus tanqvam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes; & repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto. Hæc ſacrarum ſcriptuarum paginæ, quid autem de hoc Theologi? omnia eadem, niſi qvod dicta, ut mox videbimus pariter in ſenſu ad mores traducto accipiunt.

Verùm, ut rem univerſim penitius percipiamus, totum in ſuas partes evolvere, & de ſingulis ſeorſim aliqvid dicere oportet Academici. Igitur primum Spiritûs mundi prædicatum eſt (in re philoſophica, magis philoſophicè, quàm Ciceronianè loqui liceat) primum inquam, ejus prædicatum eſt, ſic eſſe in toto totum, ut ſimul totus ſit in qualibet Univerſi parte; punctum ſcilicet, ſed in fla-

rum; cui non ſatis ſit, aut totam occupaſſe terram, aut diffuſam invaſiſſe aqvarum congeriem, aut latiſſimas inhabitare aëris regiones, niſi ſimul idem unusq; per vaſtiſſima tendatur ſiderum, cœlorumq; ſpatia. Atque hæc quidem de ſpiritu mundi, inſaniæ ſimillima veterum qvorumdam Phyſicorum opinio fuit; meritô ſuo, ex lycæis Chriſtianorum relegata: quando fide divinâ docemur, alium qvendam fuiſſe, quem Protoparentem noſtrum, alium quem Cainum, alium quem Moyſem, alium denique, qvem Principem Apoſtolorum, quemque Doctorem gentium dicimus. Aliud item fuiſſe, qvod ad ſacra mundi Salvatoris verba, olim abiit in ejus corpus, atqve ſanguinem: & aliud illud, qvod tunc in ſole, atque luna, qvodq; univerſim in elementis incorruptum perſiſtebat. Et qvis credat, toties hanc viſibilem rerum machinam transſubſtantiari in dominicum corpus & ſanguinem, quoties ſacer Myſtes, divina Conſecrationis verba ſuper bolo panis, modicoq; vino ritè protulerit: in qvod tamen fieri foret neceſſum, ſi totum univerſum unicâ numericâ ſubſtantiæ, & ſpiritus mundi unitate clauderetur, abſolveretur qve. Somnium ergo, hic ſpiritus mundi eſt, ſed non ſomnium ille, de quo Politici. Eo, qvisqvis agitur, animo, atq; voluntate totus eſt in toto, & totus in qvalibet univerſi parte. Quàm parvum, tam punctum inflatum; cui non ſatis ſit habitare domum, qvam nactus eſt luteam, ſed quò dominari poſſet pluribus, vellet eſſe in pluribus; imò, ſi fieri poſſit, in omnibus, ut præcipere poſſet omnibus. Vilia illi hæc inferiora: ſidera ferit vertice; & vices obire ardet illarum Intelligentiarum, quæ ex Philoſophorum ſententia præſunt orbibus, à quibus hic terrarum orbis regitur. Hic ſpiritus dici poteſt, ſpiritus ſuperbiæ.

Prorſus alia Spiritus DEI. Hic de cœlo venit in Apoſtolos: Factus eſt de cœlo ſonus tanqvam advenientis Spiritus vehementis. Act. 2. Inde humilem ſubit domum. Replevit totam domum, ubi erant ſedentes. Ibidem c. 2. Hic ſublimiſſimum qvodque ſolium ſuum deſerit, ut cum humilibus eſſe poſſit. Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, ibid. Ipſius effatum eſt: qvis eſt locus qvietis meæ? ad qvem autem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Iſ. 66. Ipſius ſapientia eſt; Eccleſiaſtici 3. v. 20. Qvantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Illius ductu Apoſtolus ad Philippenſes. c. 1. ſcripſit: nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes. Verbô: Spiritus mundi, Spiritus eſt ſuperbiæ: Spiritus DEI, Spiritus humilitatis, & modeſtiæ. Ille de mundo aſcendit usq; in cœlum: Iſte de cœlo ſe demittit usq; in mundum, ille usqve ad ſolium cœleſte; Iſte usque ad Mapale terreſtre.

Jam

Digitized by Google

Jam credo, aliqvâ ratione cernere licet, cujus qvisqve ſpiritus ſit. Sed propoſitum proſequamur. Mundi ſpiritum veteres Phyſici dicebant adeò univerſo huic inhærentem, ut quidquid in eo reperibile eſt, id ſuum eſſe diceret; ſeu illud foret lux, colorumve varietas, ſeu ſonus, aut melodicum qvid; ſeu odor, ſeu ſapor; aut aliud quodpiam, qvod in ſenſum noſtrum cadere poteſt: Id totum, inqvam, ità ſibi vendicabat uni, ex dictorum Philoſophorum ſententia, ut nullum ſecundum, in ullius poſſeſſionem admitteret. Unus ipſe, atqve unicus capax illud dicebatur receptaculum, qvod omnem qvantitatem, omnem qvalitatem, omnes relationes, paſſiones, ſitus, temporaqve, ùt ſubjectum omnium reciperet, non modò eorum, quæ hodie ſunt, ſed qvæ & fuerant, & quæ ullo unqvam tempore futura ſunt. Nempe, qvod de Phaone Poetæ, hoc de ſpiritu mundi jactabant Phyſici. Omnes ſcilicet Deos, deasq; in illo uno ditando laboràſſe. Sed qvemadmodum illud Poetarum commentum, ità iſtud Phyſicorum de Spiritu Mundi, ſomnium fuit; dicente Apoſtolo, 1. Cor. 15. 41. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum. Aliud tamen omnino ſtatuendum eſt de ſpiritu Mundi, de quo Politici. Hunc dari, magnumque orbis partem agere, & teſtes tradunt omni exceptione majores, & horaria docet experientia. Qua verò naturâ is præditus ſit, præter ea, quæ diximus, unus nos certos faciet Macedo; de quo Poeta: Unus Pelleo Juveni non ſufficit orbis. Subjecta erat Alexandro Macedonia; & Græciam quærebat; Græciam armis ſubegerat; & Ægyptum meditabatur. Ægyptũ ſuam fecerat, & Palæſtinæ inhiabat. Palæſtinam occupaverat, & Perſis jugum parabat. Tandem & Indos, & ignotæ regione nomenclaturæ cùm ſceptro ſuo adjeciſſet, & Nili, & Euphratis, & Gangis aqvis ebrius efficere non potuit, ut cupiditatis ſemper ad ulteriora aridæ ſitim extingueret: ſpiritu illo mundi tam turgidus, ut ipſi, quà latè patet orbis terrarum univerſus anguſtus haberetur: Qva de cauſa, à ſapientiſſimo qvoque, Alexander magnum avaritiæ mancipium, magnusqve latrociniorum ſectator dictus eſt.

Omnia alia diviniſſimus noſter Spiritus, cui utique beatius dare, quàm accipere. Pleniſſimum illi Cornucopiæ, quod ſemper diffundat in alios; neque in unum ſolum aliqvem, ſed in quamplurimos, ſed in omnes, quos ſuarum gratiarum repererit, aut fecerit capaces: ſemper prodigus dator Munerum; & profuſiſſimus diſpenſator. Hinc illud: replevit totam domum; non aliqvem angulum, non aliqvod adytum; ſed domum totam: hinc illud: ſeditq; ſupra ſingulos eorum: non unum tantùm, aut alterum aliqvem. Hinc illud: repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Et repleti: tam profuſus; & omnes: tam diffuſus eſt Dei ſpiritus. Hinc illud 1. Cor. 12. Et qvosdam qvidem poſuit DEUS

 in

Digitized by Google

in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum; interpretationes ſermonum. Et illud ibidem à v. 8. Alii per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu, alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus idemqve ſpiritus, dividens ſingulis prout vult. Ecce ſpiritus mundi, ſpiritus avaritiæ; Spiritus DEI, Spiritus liberalitatis, & largiſſimæ munificentiæ: Ille Spiritus concupiſcentiæ; iſte Spiritus benevolentiæ; ille fertur in aliena, iſte diſpergit ſua; Ille ſibi uni, iſte prodeſſe ſtudet omnibus.

Sed progrediamur. Qui ſpiritum mundi, Animam univerſi dixere; iidem aſſerunt eum eſſe & ignem & aqvam, & terram, & aerem, & Solem & Lunam; & cœlum, & ſtellas: eundem ſimul calere, & frigere; humidum, atq; ſiccum; difficilem, & facilem, jucundum & acerbum; eundemqve mundi ſtultitiam viſiſſe in Democrito, & deflevi ſſe in Heraclito; eundem in Parmenide aſſeruiſſe omnia eſſe unum: in Ariſtotele omnia eſſe multa: cum Xenocrate negaſſe Deos; aſſeruiſſe cum Socrate; deniqve eundem ſtare pro ſe, ac mox pugnare in ſe; qvalitatibus, ſententiis, affectibus. Hæc veterum Phyſicorum fabula; veritatem habet in ſpiritu mundi Politico. Hujus mundi ſapientia eſt, inqvit D. Gregorius Papa lib. 10. Morat. c. 16. cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare: quæ falſa ſunt, vera oſtendere: quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. Hæc prudentia à juvenibus ſcitur; hæc à pueris pretio diſcitur: hanc qui ſciunt, cæteros deſpiciendo ſuperbiunt; hanc qui neſciunt, ſubjecti, & timidi in aliis mirantur. Quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomen epalliata diligitur; dum mentis perverſitas, urbanitas vocatur. Spiritum mundi crediderim, cantavit Naſo; cùm l. 8. Metam. Proteum in hunc modum allocutus eſt.

Sunt, quibus in plures jus eſt tranſire figuras;
Ut tibi, complexi terram maris incola Proteu?
Nam modo te juvenem, modò te vidère leonem,
Nunc violentus aper; nunc qvem tetigiſſe timerent
Angvis eras; modò te faciebant cornua taurum;
Sæpe lapis poteras arbor quoq; ſæpe videri
Interdum faciem liqvidarum imitatus aquarum
Flumen eras; interdum undis contrarius Ignis.

Verbo ſpiritus mundi ſemper varius, ſemperq; alius, & alius. Natus formam induc-

duere, variare, novare, mutare, exuere, perdere, non qvemadmodum recti, honeſtiq; ratio poſtulet, ſed prout proprium Intereſſe tulerit.

Omnia alia ſpiritus DEI. Nunquam ille ſibi adverſarius, nunqvam contrarius, non modò in ſentiendo, ſed neqve in dicendo. Qvod locutus olim Patribus, hoc loqvitur & hodie Eccleſiæ Filiis: quod nunciavit in Prophetis, hoc implevit in DEI Filio: Qvod ſignificavit per Moyſem, Iſaiam, Jeremiam, Ezechielem, aliosq; Dei nuncios, hoc ſtabilivit, per Petrum, Paulum, aliosque CHRISTI Apoſtolos. Cum in ſpecie linguarum in Pentecoſtalibus viſus eſt Chriſti Diſcipulis: ſedit ſupra ſingulos eorum, ut eſt Act. 2. Non fruſtra ſedit, qui ſuam in dicendo firmitatem, ſtabilitatemque nobis innoteſcere voluit. Cùm fideles repleti ſunt Spiritu Sancto, ut ibidem textus loqvitur: cœperunt loqvi magnalia. Qvod deinde egerunt, hoc tunc cœperunt; quod tunc cœperunt, deinde egerunt; ejusdem enim eſt initium, & curſus! Ut intelligamus, eos, qui Spiritu Sancto aguntur non aliud principio, aliud decurſu rerum afferre. Scriptum præterea eſt: replevit totam domum. Nè ſcilicet aliqvis angulus eſſet ubi aliud diceretur, quàm qvod in medio domus perſonabat; Deniqve Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum; ut eſt Sapientiæ 1. ſeptuaginta legunt: Spiritus Sanctus fugit à fraude; Arabicus habet: Spiritus Sanctus fugit à dolo: Græca vertunt: Spiritus Sanctus fugiet fictionem: in quem locum Cornelius à lapide: Spiritus Sanctus fugit fictos, qvi virtutes nomine vitiorum, & vitia nomine virtutum palliant. Ut proinde nemo mihi perſvaſurus ſit Politicellos qvosdam noſtri temporis, qvorum ſumma ſapientia eſt Proteos eſſe, divino agi ſpiritu; qvando nihil tam contrarium illi, quàm fraus, dolus, atq; fictio; & ſuperis ſemper inviſa, mentis, atq; oris diſcordia.

Decurramus materiam. Qui ſpiritum mundi ex Phyſicis aſſerunt, dubitationem ſanè per difficilem tollere habent neceſſe. Quæritur enim ab iisdem: ſi unus, idemqve atq; unicus tantum eſt in toto univerſo ſpiritus; cur igitur adeò alius & alius eſt à ſe? Cur ardet in igne, alget in aqva? cur fluctuat perpetuo in aere, & cur tam firmus eſt in elemento terræ. Si idem unusqve eſt, frigere ne ſimul ac calere exigat? & quæ cauſa, qvod lentus eſt in vimine, & inflexus in chalybe. An idem ſibi contrariari, ſeqve ipſum expugnare poſſit. Ad hanc dubitationem reſpondent illi: Spiritum mundi naturâ ſuâ omnia ea, qvæ qvidem allata ſunt, poſſe; id autem ità hic & nunc fieri; qvod convenientia accidentium, diſpoſitionumqve exigat, ut unum, idemque ens per varia ſpatia diffuſum, iſthic rugiat, illic ganniat, illic boet, illic balet; hic algeat, ibi ardeat atq; ità diverſis agatur motibus, quia & locus, & ſitus, & partium ordo, & diſpoſitio-

Digitized by Google

num accidentiumqve ſeries diverſa ſit. Ex qvibus patet, qvantum accidentibus tribuant illi Phyſici. Non eſt mihi pugna adverſus hunc loquendi modum. Imò cum, ſi de ſpiritu hujus mundi, & Politicorum, agendum eſt, lubens volensqve admitto. Hic enim ſpiritus, qvantumvis mirorum effector, tamen totus videtur pendere ab accidentibus; neque naturâ ſuâ qvodqvam agere, niſi ad qvod adjunctorum diſpoſitio pertraxerit, videamus.

Septem ſunt ſecundùm Phyſicos, qvæ, ſi ſpiritus mundi datur, ejus maximè determinativa ſunt. De qvibus non peſſimus Poeta:

Forma, figura, locus, tempus, cum Nomine, ſanguis,
Patria; ſunt ſeptem, quæ non habet unus, & alter.

Sic & ſeptem pariter ſunt, quæ ſpiritum mundi Politicorum in poteſtate ſua habent; efficereqve poſſunt, ut jam hic, jam ibi carbaſa impleat, & in qvas fortè minimè vellent charybdes, agat navigia. Et primò qvidem ſpiritus mundi agit propter formam, rerumque decorum ſpeciem. Sic Paris ferebatur in Helenam, ſic Rivales Ulyſſis in Penelopen, ſic Samſon in Dalilam, ſic David in Berſabeam. Sic Poeta Eclogâ 2, cecinit: Formoſum Paſtor Corydon ardebat Alexin. Adverſum hoc hortatur Spiritus Dei Eccl. 9. Averte faciem tuâ à muliere compta, & nè circumſpicias ſpeciem alienam: propter ſpeciem mulieris multi perierunt.

Quandoqve ſpiritus mundi agit propter figuram: illam plerumque, qvæ rotunda eſt, & in numis, atqve pecuniis reperitur. Hâc aliqvando captus ſpiritus Achan, hâc ſpiritus Judæ Iſcariotes; Ille ut de anathemate ducentos ſiclos tolleret; iſte ut mundi Dominum triginta argenteis venderet. Hoc accidens valde determinativum eſt, præſertim eorum, qui in ſuis officiis ac obeundis muneribus vivunt ex accidentibus; fitq; ſæpe admodum, ut ejusmodi accidentia totam cauſarum, litium, Actionum, aut immutent, aut perdant ſubſtantiam. Adverſus hanc ſpiritus mundi agendi rationem legem poſuit divinus ſpiritus Exod. 23. nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum.

Qvandoq; ſpiritus mundi agit propter locum. Sic ille, qui dixit, aſcendam, & ſimilis ero Altiſſimo. Sic illi, de quibus ſcriptum eſt: ſuperbia eorum aſcendit ſemper. Sic ille, de quo Poeta: altâ petis Phaeton. Rarus ſæculi filius, cui domus ſua, & ſtatio diu placuit. Adverſum hos monet Divinus Spiritus Eccl. 11. Confide in Deo, & mane in loco tuo. Facile eſt enim in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem. Qvid eſt? mane in loco tuo, niſi eſto contentus eo, in qvo te Numen locavit. Apud. Corn. hic in v. 21. Os qvod in tua ſorte cecidit, dixit Ben Sira, illud rode. Plato dixiſſet: nulli hominum fas eſt diſcedere ab eo, qvod Deus ei imperavit. Sub-

Subinde ſpiritus mundi agit propter tempus. Hinc illud Politicis frequens: non eſt de tempore; non eſt de tempore; præſertim cùm res Dei agenda eſt. Tempus ſpiritus mundi potiſſimum eſt tempus, cùm hyems tranſiit, & imber malorum receſſit; cum flores, & ſpes apparuerint in terra; cùm tempus putationis,& emolumentorum,advenerit; cùm ficus protulerint groſſos ſuos; & vineæ florentes Mæcenatibus, & Patronis dederint odorem ſuum. Verbo, tempus dandi, & accipiendi tempus Spiritus Mundi eſt. Sed adverſum hos divinus ille Spiritus Prov. 18, omni tempore diligit, qvi amicus eſt, & frater in anguſtiis comprobatur, & Prov. 3. Nè dicas amico tuo; vade & revertere; cras dabo tibi, cùm ſtatim poſſis daro.

Sæpe etiam ſpiritus mundi agit propter Nomen, & famam ejus, qvem ſuſpicit. Multa egère Athenienſes, non qvòd ità ratio exigeret, ſed quia ità Themiſtocles volebat. Tradidit in mortem Pilatus Chriſtum, non qvòd cauſæ pondus impelleret, ſed qvia Nomen Cæſaris adverſum ſe offerri audierat. O qvam terribilis vox Politicis: ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. O qvâm ſæpe multa nomina contrahunt, qvos Magna Nomina obnoxios ſibi habent. Adverſum hos invehitur Jacob. 2. Divinus Spiritus: Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini Noſtri JESU Chriſti gloriæ. Etenim ſi introierit in conventum veſtrum vir aureum annulum habens, in veſte candida; introierit autem & pauper in ſordido habitu; & intendatis in eum, qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei; tu ſede hic bene: pauperi autem dicatis: tu ſta illic; aut ſede ſub ſcabello pedum meorum; nonne judicatis apud vosmetipſos, & facti eſtis judices cogitationum iniqvarum?

Nonnunqvam Spiritus Mundi agit propter carnem, & ſangvinem. Multi ſunt Parentes, qui ut Prolibus pingvem procurent hæreditatem omnia per fas & nefas, ſusq; deq; agunt. Multæ ſunt proles, quæ quia ità Pater, Materq; voluit, in ſcelera qvæq; feruntur. Multi ſunt de nobilitate, qui ut ſtemmata in ſeram propagent poſteritatem, nihil non agunt, nulli parcunt ſumptui, nullis curis, nullis laboribus, & multi ſunt de eadem Nobilitate, qui totam gloriā ſuam in ceris, atq; Imaginibus ſuorum reponunt. Omnia hæc ſpiritus mundi carni, & ſangvini immerſi opera. Adverſum hos divinus aut ſpiritus Eccleſiaſt. c. 5. Infirmitas peſſima; Divitiæ conſervatæ in malum Domini ſui. Et iterum Jeremiæ 9. Unusquisq; ſe à Proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciā: qvia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedit.

Deinde ſubinde ſpiritus mundi agit propter patriam & nativi loci conditionem: ſic Ulyſſem illacrimâſſe memorant, cum poſt longos errores reduci ſeſe

patria

Digitized by Google

patria videndum obtulit; ſic Exul Tomitanus Dædali pennas optabat, qvibus in patriam referretur. Idemqve ſcripſit: Neſcio, quâ natale ſolum dulcedine cunctos ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui. Multi etiam qvibusdam vitiis addicti ſunt, quod patria ſint, & cùm naſcentibns adoleverint. Multi, qvia patrium hominem amavère, peccantem ſuſtinuerunt, aut etiam tuiti ſunt; non alio certè quàm Mundi ſpiritu. Ad hoc ſpectare videntur verba Divini illius ſpiritus: Gen. 12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; & veni in terram, quam monſtrabo tibi.

Ecce domini Academici, quàm ſpiritus mundi in agendo totus pendeat ab accidentibus, ordine ſanè præpoſtero, cùm, ſi ſapere velimus, neceſſum eſſet oppoſitum tueri. Omnia alia ſpiritus ille divinus. Spiritus vehemens eſt naturâ ſuâ: non diſpoſitionum conditione: nec ille agendi vim accipit ab extraneo, ſed tribuit: nec repletus eſt, ſed totam domum ipſe replevit: neque mutatus eſt ab accipientibus, ſed accipientes mutavit: neqve ideo venit, quia magnalia Dei, Apoſtoli loqvebantur, ſed ut loqvi poſſent, utq; loquentur ipſe dedit. De hoc ſpiritu, ſub ſapientiæ Nomine. Sapientiæ 7. v. 27. legimus: Cum ſit una, omnia poteſt; & in ſe permanens, omnia innovat, & per nationes, in animas ſanctus ſe transfert. Prudens, inquit Seneca, In Reg. prud. dignitatem rebus, non ex opinione multorum, ſed ex eorum natura conſtituit. Hoc utique pariter agit omnis Sapientiæ fons, ille ſpiritus: non trahitur formâ non circumſcribitur aut loco, aut figurâ; nihil in illum poſſunt, aut tempus, aut magna Nomina, aut ſanguis, & patria. Ipſius effatum eſt Joh. 7. Nolite judicare ſecundum faciem: ſed juſtum judicium judicate. Juſtum, id eſt, non quod ſecundum apparentiam, ſed quod ſecundùm veritatem eſt.

Habemus jam Academici diſcrimen Spiritum inter ac Spiritum. Veſtræ, ut dixi ſapientiæ erit inter purpuram ac purpuram diſcernere & videre, cujus quisq; ſit ſpiritûs. Chariſſimi, monet D. Joannes Apoſtolus Ep. 1. c. 4. nolite omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. Neq; hoc ſatis: omnia probate, inqvit 2. ad Theſſ. 5. Apoſtolus; qvod bonum eſt tenete. Si quis ſpiritum mundi habet; probet; & ſi latentem poſt correcta deprehenderit; a modo dicat: Nunc Princeps mundi ejicietur foras. Si qvis ſpiritum Dei nactus eſt, quoniam Bonum eſt; tenete, identidem ad Deum dicentes; Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me. Si qvis ſpiritum Dei nondum habet; qvoniam id ſinè dubio ejus culpà factum eſt, pro ſua pœnitentia dicat:

Veni Sancte Spiritus.

Feria

Digitized by Google

Feriâ Tertia Pentecoſtes.

Oves vocem ejus audiunt, Joh. 10.

Candidati, in vocatione ad religionem Dormitantii excitantur, & ad vocem Dei audiendam invitantur.

DEnſantur nubila, atratur cœlum, ſua Phœbo eripitur lux, turbatur æther, immugiunt auræ, colliduntur fulgetra, roboant tonitrua & grave mundo portat bellum, irata divina Nemeſis: & Jonas dormit. Jonas autem deſcendit ad interiora navis,& dormiebat. Jonæ c. 1.

Furunt venti, & qua datâ porta, fractis carcerem repagulis elapſi, in vaſtum decurrunt pelagus; omnia ſurſum, deorſum nimboſus miſcet Auſter, fugientes auras iratior perſeqvitur Eurus; ad bella, ad bella, conclamat ventorum Æolus, & conceptas dudum furias in unam fertur evomere Prætorianam Jonæ Prophetæ bajulam. Et Jonas dormit.

Diripitur pontus, euntibus, redeuntibusq; huc illuc fluctibus; truditur & retruditur undarum congeries, & modò navem impetunt à dextris, modò quaſſant à ſiniſtris; jam proræ, jam puppi imminent, jam ſublimè univerſam tollunt machinam, lapſu graviore ruituram; jam velut inexhauſtâ quadam voragine abſorbent; brevi ad auras redituram, & jam jam triumphaturam intentant mortem, Ventorum furiæ; & Jonas dormit.

Pallet Navarchus, hæret Nauclerus, mæſtum vociferatur Celeuſtes, fruſtrà deſudant Remiges, fruſtra anchorum mittit nauta: fruſtra remulco navim rapit helciarius, deſperant Epibatæ, horripilat Claſſiarius, in ſaxum abit Inſtitor; timoribus, atqve terroribus cum ſervo perit Dominus. Et Jonas dormit.

Diripiuntur apluſtria, rumpuntur antennæ, diffringuntur remi; natat malus, & jam ſua vulnera ſentit navigium; invadunt, & invaduntur fluctus; inſiliunt,& rejiciuntur aquæ; pugnatur à ventis in mortales,à mortalibus in ventos; ab hominibus in pontum, à ponto in homines; imò ipſi homines furunt in homines; & Jonas dormit.

Quæſo Domini Academici; deſcendamus hodie tantiſper ad interiora navis, & Jonæ, tam periculoſo ſomno, abrepto vellicemus auriculum, ſi fortè evigilet, & ſeſe tam gravibus imminentibus malis eripiat. Jonas, de quo mihi inpræſentiarum ſermo, eorum Academicorum eſt ſymbolum, qui cùm à DEI miſerentis Benignitate ad qvempiam ſtatum Religioſum vocantur, fugam arripiunt; & cùm deberent iter habere in Ninive ad agendum, & prædicandum pœnitentiam; hujus mundi infeſto mari committunt ſeſe, & qvamvis inter millie, atqve mille animæ, & corporis conſtituti pericula, nihilominus velut o-

mnium ſecuri, altum dormiunt. Non ſunt hæ oviculæ de illis, de qvibus Chriſtus Jo. 10. oves vocem ejus audiunt; ſed quæ apud Prophetam dixerunt: omnes nos quaſi oves erravimus.

Academici, Academici, qvotqvot ad ſacrarum Religionum aliquam DEO vocante, invitamini, & nihilominus, qvidqvid minetur cœlum, qvidqvid malorum præſagiat terra, qvidqvid furat mare; pluat, ningat, grandinet, fulguret, tonet, fulminet; crepent omnia, pereant omnia, nihilominus inquam altùm pertitis; vos mihi ille Jonas eſtis, qvi in aliqva Navigii ſentina, in ſentina veſtrorum vitiorum debebam dicere, dormitis; & inter pericula pœne periiſtis.

Invitat Numen, ad relinqvenda retia, res & ſpes hujus mundi: & vos ad divitias, ad miſerabile hujus mortalitatis peculium aſpiratis. Invitat ad continentiam, & puritatem Angelicam: & vos matrimonia, & poſteritates diſponitis. Invitat ad humilem, ſed cœlis honorabilem obedientiam, & vos neſcio quos thronos quæ ſedilia, prælaturos, & honores in aere vobis fabricatis. O he! quantum jam credo: multi vocati, pauci electi.

Ecce factus eſt, labente de cœlis diviniſſimo ſpiritu, repente de cœlo ſonus: vade in Niniven. Sed Dominus Candidatus dormit. Illuxerunt fulgura orbi terræ: quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur! O quale iſtud fulgur! ſed Candidatus dormit. Immugit triſte cœlum, longusqve boatus, in feralia erumpit hæc atq; his ſimilia fulmina: vocavi, & renunciiſtis; ego qvoqve in interitu veſtro ridebo. Prov. 1. & Candidatus nihilominus dormit.

Diffringuntur remi, ſcinduntur vela, diripiuntur, atqve in altum jactantur, qvàm chara, tam periculoſa onera: ſtulte, hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ paràſti, cujus erunt. Sed Candidatus dormit. Et præparavit Dominus piſcem grandem (Infernalem Leviatham intelligite) qui devoraret Jonam. Et Candidatus tamen dormit. Ergo dormiat ſed poſtea. Jam illum excitemus, ex eo audituri, qvidnam illud ſit, qvod eum à perſeqvenda divina Voluntate retrahat. Evigilat. Bene eſt. Loquitur. Auſcultemus.

Totum diſcurſum, atqve lamentationes tuas, inqvit D. Candidatus, percepi Pater optime. Neqve ita ſurdus ſum, ut quæ in me declamaſti, non intelligam, neque ità cæcus, ut etiam de periculis plura, quàm enumeraris, non videam. Fateor, mè à Deo ad Religiònem duci: & hoc eſt, qvod mihi dies, noctesque cor laucinat; quod ſæpius, ac vellem, ſomnum eripit. Neque intelligere non poſſum, in hoc meæ ſalutis cardinem verti. Hæc prima evigilantis, hæc poſtrema indormientis cogitatio eſt. Sentio flammas, etſi earum exitum non video. Si hodie liceat, hodie religioſum induo. Sed obſtant quàm plurima, & quam maximè

gran-

grandia. Atqve inter prima ille Amor, quem omnibus mortalibus communem natura fecit, & cui refragari ſinè temeritate non liceat, Amor inqvam in Majores, qvorum unum votum, unus in educandis liberis labor, ſpes poſteritatis eſſe conſvevit. Malum, qvo majus nullum, tot Stemmata mortis imperio ſubjacere; Sed qvod ſpe ſucceſſionis temperari ſolet. Sentiat factum ſuum ſtipes, modò in ſurculo adhuc detur vivere. Qvod ſi religioſum induo; cum radice, univerſaqve ſurculorum progenie, ſtipitem ſuſtuliſti.

AA. Hic Candidatus, qvantum intelligo, venit de Schola illius Hiſpani, opificio Sutoris; qvi in fatalem lectum delatus, filio ad ſe accito, ultima verba in hunc fertur feciſſe modum. Dulcis proles, & unicus noſtri generoſi ſanguinis ſurculus, videri quo noſtri generis res devenerint, dum ego ad æternitatem propero, te unicum meum delicium, & unicum futura poſteritatis fulcrum relinqvens. In te uno ſpes omnis mihi relicta; in te domus noſtra, nunc ultimùm inclinata reſurget. Quare te per labores, ſudoresqve meos, qui qvales, qvantiqve fuerint, noſti, obteſtor, atqve obſecro, aliam diſciplinam, quàm ſutoriam poſt mea fata ne exercere, nè agnoſcere velis, cavens, nè unqvam à præcelſis Majorum tuorum, qui hac arte cæteris eminuêre, cogitationibus deflectas; qvin potius filios, & nepotes, nepotumqve nepotes hoc in Magiſterio verſutos lætus videas, amesqve. Vale.

Miſerandi mortales, ut vel continuent, vel adaugeant cœptum genus, in qvo plures maculæ, quam radii, & plures ſpinæ, quàm Roſaria; cujus primus ſtipes ejectus de paradiſo fuit agricola; cujus rami nihil admodum habent, præter arida folia; negligunt vocem illius vocantis, cui ſervire, regnare eſt, cui ſtare ab obſeqviis una, & veriſſima nobilitas; cui placuiſſe, ſumma, eaqve æterna eſt felicitas; Diſplicuiſſe ſumma, eaqve infinita Miſeria. Et quid proderit Domine Candidate, multos numeraſſe amicos, longam conſanguinitatis ſeriem, multam parentelam, ſi fortè & de te dicetur: laudantur ubi non ſunt; cruciantur ubi ſunt. Et num tibi fortè temerarius fuerit Patriarcha Abraham, qui neglectâ poſteritatis ſpe, unicũ filium ſuũ Iſaac, ad vocem Dei, in holocauſtum ſacrare voluit: aut tu forte ſapientior ſis illis Principibus, atq; Regibus, qvi poſitis coronis, & ſceptris, neglecto ſanguine, & Stemmatũ prærogativis, ad Religiones, velut aſyla confugêre! Illos loqvor Imperatores, qvorum viginti & unus, Reges, qvorum qvadraginta ſex, reginas, è qvibus qvinqvaginta & una, Principes viros, qvorum ducenti qvadraginta tres ſolùm Divi Benedicti Religioſa familia numerat. Aut fortè tu ille es vir, qvi niſi uxorem duxeris, mundus grande detrimentum laturus eſt, vel, ſi ſuperi volent, fortè prorſus finem ſuum habiturus!

Digitized by Google

At enim dicet noſter dormitantius Jonas; non hæc unica noſtræ lentitudinis cauſa eſt. Eſt Domus Paterna, eſt ſenio gravis Pater, eſt melle dulcior Mater, eſt magna charorum multitudo, qvæ properanti compedes injicit. Qvoties limen adit Religioſorum quispiam, quoties clauſtrum adiaviſere lubet; quoties vel Eccleſiam accedo, vel inde redeo; toties de hæreditate periculum ſubeo. Qvin collum intorquere minantur ſi qvidpiam in laudem Religioſi ſtatus muſſito. Jam tertium communi menſà excluſus ſum, qvòd vicina habitationi noſtræ Religio, mores meos genitoribus commendaverit. Inſuper negatus veſtitus, qvi novus parabatur, ad Pentecoſtalia; ſubtracta arma, & omnis futuræ beneficentiæ ſpes; quin, & ſæpius Matrem audivi dicentem, dolere ſibi, quòd in primo balneo hærentem è vivis non ſuſtuliſſet. His ſi non obedio, ſi non velificor; qvorſum tunc?

Bono animo, meum Corculum; macte animo. Nunqvamnè Veſtra Generoſa dominatio legit, qvod ſcriptum eſt: qui reliqverit, Patrem, vel Matrem, & reliqva; centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit? Placetne audire, quid mihi in ſimili feliciter evenerit? Ego Religionem ingrediens reliqui mundo vitricum, meis intentis non multum addictum; novercam, nihil minus, quam meis rebus ſtudentem; Sororem unam, fratremqve qui ſua nihil intereſſe rebantur, huminè an ſublime putreſcerem. Hæreditatulam talem qvalem; domum civilem, aliqvot jugera campi, & numos facile numerabiles. Vultne videre Dominatio veſtra meum Centuplum? ſunt in Societate JESU ſacerdotum facilè novem millia, ecce tot mihi non Vitricos, ſed mei amantiſſimos Patres. Magiſtrorum facilè quinq; millia; ecce tot mihi dulciſſimos, & verè cordiales fratres; Coadjutorum facilè numerantur tria millia, ecce tot mihi in Chriſto ſinceriſſimos amicos, & laborum Sodales. Collegia cenſentur ultra nongenta; ecce tot domos, & habitacula; reſidentiæ, aut miſſiones circiter trecentæ, ecce velut totidem Arces, & liberioris auræ receptacula. Quid bibam, quid comedam, mihi lemma: Dominus providebit. Hæret longè plura habet ille, qui relinquit propter Chriſtum hæc modica! ſuper omnia autem eſt, qvod promiſſum eſt; centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Ultrane quid volumus? Hoc ſufficere viſum eſt, inquit Auguſtinus, ut diceretur; poſſidebit vitam, eamque æternam.

Sed mittamus iſta! parvumnè malum eſt: qvi plus amat Patrem vel Matrem, non eſt me dignus? Chriſtus dicit: ſcribit Bernardus Ep. 2. ſinite parvulos venire ad me; talium enim eſt regnum cœlorum: Avunculus ait: ſinite Nepotes meos, ut ardeant mecum. Chriſtus dicit: mei ſunt, mihi debent ſervire; Sed oportet, inqvit Avunculus, eos mecum perire. Chriſtus dicit: mei ſunt, ego

ego illos redemi. Sed ego, inquit Avunculus, enutrivi. Tu qvidem ait, Chriſtus illos nutriſti; ſed pane meo, non tuo: ego verò redemi ſangvine non tuo, ſed meo.

Quò vertimur? qvem ſeqvemur Domine Candidate? Avunculus, an Chriſtus de nobis victor eſt. Sed Parentes honorandi ſunt. Sunt; ſed magis ille, qvi & te, & Parentes ſuâ morte redemit. Auro, cedroque digna verba ſunt Heliæ, illius Magni Bernardi diſcipuli; Ep 2. S. Bern. qvi Parentibus vitam Religioſam diſſvadentibus in hunc modum reſcripſit: Sola cauſa, qua non liceat obedire parentibus, Deus eſt. Ipſe enim dicit: qui amat Patrem & Matrem plusqvam me, non eſt me dignus. Si me verè, ut boni, ut pii parentes diligitis, quid me Patri omnium DEO placere ſatagentem inquietatis, & ab ejus ſervitio, cui ſervire regnare eſt, retrahere attentatis? verè nunc cognoſco, quia inimici hominis domeſtici ejus. In hoc vobis obedire non debeo; in hoc vos non agnoſco parentes, ſed hoſtes. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad meum, atq; veſtrum, imo Patrem univerſorum.

Eqvidem intelligo, inquit D. Candidatus, magis obedire oportere DEO, quàm hominibus; & qvod Hieronymus ſcripſit ad Hiliodorum, per calcatum Patrem, per calcatam Matrem ad Chriſti vexillum evolandum eſſe, eò quòd ſolum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem. Sed reſtat adhuc, quod me vacillantem tenet; eſtqve illud unicum: Jam non. Jam non ludere, jam non jocari, jam non ſalutes mittere, jam non ſalutes bibere; jam non hac illa ſocietate frui licebit, dum Religioſum induo.

Nihil novi Chariſſime. Hoc & Auguſtinus olim ſtringebatur. Retinebant me nugæ nugarum, inquit Confeſſ. l. 8. c. 11, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant: dimittisne nos? & à momento iſto non erimus tecum ultra in æternum? & à momento iſto non tibi licebit hoc, & illud ultra in æternum?

Lepidiſſimum Caput. Si non erit hoc, erit aliud, & ſi non erit iſtud, erit quid melius. An tu putas in Religione nulla eſſe omnino ſolatia? Annon ſolatium ſupra omne ſolatium, me amicum habere Deum, cujus voci obedivi; in eoq; Patrem, qui mihi de neceſſariis provideat, Tutorem, qvi me in malis defendat; Auxiliatorem, qui in periculis accurrat. Annon ſolatium ſupra omni mundi ſolatium, mihi promiſſum eſſe cœlum, æternam illam patriam, ubi in omnia ſæcula cum Deo meo regnaturus ſim? Non habeo converſationem cum ſæculi hujus hominibus, ſed habeo cum Creatore meo, habeo cum Angelis, habeo cum omnibus ſanctis Cœlitibus. Qvanquam ubi caſtior, ubi ſincerior ubi jucundior

Digitized by Google

converſatio, quàm hominibus religioſis, in id unum intentis, ut meis ſtudeant utilitatibus? Non vivo inter convivia: ſed habeo per Dei gratiam, bonam conſcientiam. Secura mens, quaſi juge convivium Prov. 15. & quæſo, ubi jucundius editur, & bibitur, qvã ubi poſt manducatũ, nihil ſcribitur ad notatũ. Non habeo honores ſæculi, & obſeqvia: ſed ſpectaculum factus ſum Deo, & Angelis, imò & piiſſimis qvibusq; hominibus, mitto cætera. Guſta, & videbis, quàm ſvavis ſit Dominus.

Agnoſco, inquit noſter D. Candidatus, me nonnihil fuiſſe in errore; qvantum ad iſta. Sed: quid autem? ſed eſt: qvid enim vero? ſed aliqvid aliud eſt; qvem fruſtra ſuſpenſum tenes? eſt aliquid aliud, qvod mentem terret, & cruciat. Qvod autem illud? Dicam, ſed ſub roſa.

Contigit nuper, ut fortuitò in neſcio qvem libellum (Thomam Kempenſem vocari audio) inciderim. O qvæ ſeſe mihi tunc obtulerunt? qualem Cruciatam officinam, qvem carcerem mihi tunc Author ille exhibuit. Attende, inqvit, qvomodo faciunt tam multi Religioſi, qvi ſatis arctati ſunt ſub diſciplina clauſtrali. l. 1. c. 25. Raro exeunt, abſtractè vivunt, pauperrimè comedunt, groſsè veſtiuntur, multùm laborant, parum loqvuntur, diu vigilant, maturè ſurgunt, orationes prolongant, freqventer legunt, & ſe in omni diſciplina cuſtodiunt. Attende Carthuſienſes, Ciſtercienſes, & diverſæ Religionis Monachos, ac Moniales; qualiter omni nocte ad pſallendum Domino aſſurgunt. En qvæ portenta. Nihilnè amplius? ubi diſciplinæ, ubi echinata cilicia: adhuc aliqvid amplius. Ubi toties freqventatæ abſtinentiæ, & in longum protracta jejunia. Eſtnè quid amplius? ubi erratorum reprehenſiones, & pœnitentiæ? fortè eſt adhuc quid amplius? ubi contemptus, & ſæcularium adverſum religioſos ludibria. Et qvis ſingula enumeret? Omnino Chariſſime, quantum aſſeqvor, punctum primariæ difficultatis attigiſti. Sed qvæſo Auguſtinum audire velis. Potuerunt iſti, & iſtæ, & tu non poteris? Potuit Benedictus, potuit Dominus, potuit Franciſcus, potuere Aqvinates, & Bernardini, potuère Arſenii, & Doſithei, potuère Aloyſii, & Stanislai, & tu non poteris? qvod ſi hæc, quæ recenſueras, ſunt perpeſſione impoſſibilia, qvomodo aliqvãdo ſuſtinebis ignem purgatorii, aut, quod diviniſſima Bonitas avertat, qvomodo ſuſtinebis pœnas inferni? quis poterit habitare cum igne devorante? quærit Propheta Iſaias c. 33. & quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? qvæ tunc celebrabitis convivia? qvas tunc ducetis choreas; qvas ſocietates freqventabitis, quæ habebitis amicorum, & amicarum colloquia? quas tunc ſectabimini delicias, qvando nec mica panis eſurienti, nec ſtilla aquæ ſitienti dabitur? qvid vos tunc;

Veriſſima refers, Pater optime. Quid igitur faciendum? qvod optimum

factu

factu videbitur facies. Quod igitur, bonum felix fauſtumqve mihi eveniat, ſit ergo! ducentem Deum ſeqvor. Ut primùm ergo curſum Philoſophiæ abſolvero, vado ad Jura; & inde mox religioſum induo. Qvando? poſt auditam Philoſophiam, & Jurisprudentiam? ità eqvidem! diu enim conſiderandum, qvod ſtatuendum ſemel. Hæc non modo omnium familiarium meorum, ſed ſapientiſſimorum quorumqve ſententia eſt. Sic enim pariter intelligam, qvo fata trahant, retrahantve. Sic qvoqve periculum fecero, quâ parte mundus laboret. Sapientiſſimè. Quin & priùs uxorem ducere, & hac demortua, aliam; & hac defunctâ tertiam ducere ſvaſero. Nam ſic veſtra dominatio tempus nanciſcetur, diu conſiderandi, qvod ſtatuendum eſt ſemel; præterea, plurimùm intelliget, atque experientiâ propria capiet, quàm mundus fallax, inſtabilis, ac ſtultus ſit; intelliget etiam, quàm inſana fuerint amicorum conſilia, ſvadentium, ut flos ætatis, & annorum nugis, & vanitatibus, fæces verò ſenectutis Chriſto Redemptori obveniant. O Candidati! O Dormitantii; hodie hodie, ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Sapiens craſtinum non habet.

(o)

Digitized by Google

Dominica I. poſt Pentecoſten.

In feſto Sanctiſſimæ Trinitatis.

O Altitudo divitiarum, Sapientiæ, & Scientiæ DEI! quàm in comprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.
ad Rom. 11.

DEUS Trinus, & unus Euripus intellectuum.

DEUS meus, Euripus nobis factus es: quærimus Te, indagamus, ſcrutamur Te, & non capimus Te. Exeo à me, & perdor in Te, egreſſus à meo nihilo, ad tuum purũ eſſe, eò delabor, ut jam nec inveniam me, neq capiam Te. O Altitudo, Abyſſus! qvantò plus intro in Te, tantò plus, video reſtare de Te; & quantò mihi appropinquas magis, tantò me deprehendo elongatum magis. O Ignis! ô Incendium! qvantò me incendis magis, tantò me intelligo frigere magis: quantuscunqve enim fuerit ardor meus in Te, frigus eſſe ſentio ad tua incendia; & quantacunqve mihi detur intelligentia tui, adhuc mihi eſt magna ignorantia tui. Euripus nobis factus es, ſcrutamur Te, & non capimus Te.

DEUS meus, ſcimus Te eſſe; ſed quid eſt hoc? ſcimus Te unum, & unicum eſſe; & quantillum eſt hoc? ſcimus Te immobilem, immutabilem, immortalem, incorporeum, inlocatum eſſe! ſed qvam exiguum eſt hoc! Intelligimus Te verum, bonum, juſtum, miſericordem, formoſum, ſapientem, providum, felicem, glorioſum eſſe. Eſt aliqvid hoc! Dicimus Te primam vitam, primam lucem, primam veritatem, primam bonitatem, primum amorem, & amabilitatem eſſe; & cùm hoc dicimus, non capimus Te.

Dico Te DEUS meus ſcintillam eſſe, & ignis es: dico Te ignem, & flamma es: dico Te ignem, & flammam; & incendium es: & adhuc, quod ignoramus nos, quidpiam ultra omnem ignem, flammam, & incendium.

Dico Te adeſſe puncto; & Tu ades Lineæ: dico Te adeſſe lineæ; & ades ſuperficiei: dico Te adeſſe ſuperficiei, & Tu ades toti qvanto, & quidquid ultra omne hujus univerſi quantum eſt.

Dico Te eſſe toto die, & toto anno es: dico Te eſſe toto anno, & totis luſtris es: dico Te eſſe totis luſtris, & Tu ultra omnes dies, & annos, & luſtra, & ſæcula. Euripus nobis factus es, non capimus Te.

Sapiens es, ſed plusqvam concipimus: Sanctus, ſed plusquam cogitare poſſumus. Juſtus es, ſed plusqvam perſpicimus. Miſericors, ſed plusquam intelligimus. Nimium exigua ſcrobs noſter mortalis intellectus eſt; ſi te immenſum Mare comprehendere voluerimus. Aliquid de Te noſſe poſſumus,

eâ

eâ capacitate, non quâ Tu, ſed quâ nos ſumus. Qvi caperet Te, non Tu jam Tu, nec ille, ille, ſed ipſe foret Tu. Eſſet enim idipſum, quod intelligeret; non modo ſcire infinitum, ſed pariter ipſa infinita ſcibilitas, quæ es Tu.

Radios dimitte, ſi à nobis cerni vis. Non fert immenſitatem ſplendioris tui humanus hic noſter oculus; non capimus abyſſum infinitudinis tuæ; finiti ipſi. Parvus veni, ſi nobis venire ſtatuiſti; & contrahe anguſtam latitudinem, apud creaturas tuas, in anguſto habitaturus. Euripus enim nobis factus es Deus Meus; non capimus Te.

Humilietur in conſpectu tuo Deus meus, humilietur omnis creata intelligentia, & adoret Te ſilendo, quæ non ſufficit laudare eloqvendo. Aut ſi quis putat ſe inveniſſe Te, dicat nobis aliquid de Te: dicat nobis, qvomodo es intra omnia, qui es extra omnia: & qvomodo infra omnia deſcendiſti, qui ſuper omnia aſcendiſti; aut qvomodo omnia ſuſtentes, qvi omnia ſupergrederis; aut qvomodo omnia concludis, qvi omnia totus, & ſemper penetras. Dicat nobis, quâ potentiâ Deus meus continet omnia, cùm omnia impleat; & qvomodo te omnia complectantur, qui omnia ſuper excedis. Et ibi excedis, ubi ſuſtines, & ibi imples, ubi circumplecteris, idem ſuperior, & inferior, ſinè locatione: amplus ſinè latitudine; ſubtilis ſine extenuatione. Dicat nobis, qvid eſt tuum fuiſſe, tuumq; futurum. Erudiat nos, quantum ſæculorum adhuc reſtet de tuo futuro: aut qvantum de tuo fuiſſe jam fluxerit. O Altitudo! Euripus nobis. Factus es DEUS Meus, non capimus Te.

Qvis jam nobis dicat, quid ſit illud: in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & DEUS erat Verbum. Et illud: Monas genuit Monadem, & in ſe reflexit Amorem. Et illud: Alia eſt Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; ſed Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, una eſt Divinitas, & æqualis gloria; coæterna Majeſtas. Et illud: æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus; & tamen non tres æterni, ſed unus æternus. Et illud: Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus; & tamen non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens. Et illud: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, & tamen non tres Dii, ſed unus eſt DEUS.

Natus Patri coæqualis,
Patri conſubſtantialis,
Splendor Patris, & figura
Factor factus Creatura.
Paracletus increatus,
Neq; factus, neq; natus,

Patri conſors, Genitoq;
Sic procedit ab utroque,
Nè ſit minor poteſtate,
Vel diſcretus qvalitate,
Qvanti illi, tantus iſte,
Quales illi, talis iſte
Ex quo illi, ex tunc iſte,
Qvantum illi, tantum iſte.
Pater alter, ſed gignendo,
Natus alter, ſed naſcendo,
Flamen ab his procedendo
Tres in unum ſubſiſtendo.

Circuivi vicos, & plateas hujus mundi, ſi fortè mihi quis referre poſſet, qvid nobis ſis ô Beata Trinitas. Interrogavi ſapientes hujus ſæculi, qui tenebras mentis meæ diſpellerent ſuis fulgoribus. Et dixerunt mihi: Magna petis Phaeton! Euripum eſſe ſcimus, ſed ejus quod, quid, & quale, neſcimus. DEUM eſſe & Deum trinum in perſonis eſſe; hoc eloqvi poſſumus: quid autem ſit & DEUM eſſe, & in perſonis trinum eſſe, explicare non poſſumus. Aliquid dicimus; ſubdebat Auguſtinus, non ut ipſa Trinitas dicatur, ſed ut non dici poſſe intelligatur.

Reſpice, inquiebat, gemmarum ſcrutator Lithologus, gemmam Oxalum aſpice. Una eſt, & in tres colores diſtinguitur. Ex hac parte viſa, purpuraſcit, ùt Rubinus, ex alia parte aſpecta, vireſcit, ut Smaragdus; ex illa parte, igneſcit ut Carbunculus. Ità una divinitas; ibi gignit in Patre, ibi gignitur in Filio; ibi ſpiratur in Spiritu Sancto. Deus meus, capio oxalum; non capio Te. Umbra Trinitatis gemma illa, non effigies. Gemma eſt Oxalus, ſed non ipſe color. Sed neqve color ipſa gemma eſt. Tu autem DEUS meus, Pater, Tu Filius, Tu Spiritus Sanctus. Et Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus SanctusDeus; hoc eſt, qvod nobis Euripus factus es, non capimus Te.

Ergo hunc florem, inquit Hortorum Cultor Anthologus, Roſam Hierichuntinam aſpice. Viden', ut una eademq; radix in tres aſſurgat caudices; quilibet caudex in tres diſtendatur ramuſculos, quilibet ramuſculus, in alias ttes derivetur propagines. Roſæ Hierichuntinæ radix, una divinitas: ternarius ille, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum exprimit. Et dicebam: ità quidem DEUS meus; umbra Trinitatis eſt hæc Roſa, non effigies. Hîc ternarius in alios creſcit ternarios, & iſte ternarius rurſum in alios ternarios, & hic iterum in alios ternariorum ternarios; non ſic Deus meus! in uno ternario abſolvuntur

omnia

omnia. Unus tantum Pater, unus tantùm Filius; unus tantùm Spiritus Sanctus. Tota fæcunditas Genitoris exhauritur in Filio: Tota fæcunditas Spiratoris exhauritur in Spiritu Sancto: hoc eſt, qvod non capio in Te.

Jam etiam, neſcio qvid, adfert Arithmeticus. Monas genuit Monadem, unitas genuit unitatem, & in ſe reflexit Amorem. Unitas gignens Pater, unitas genita Filius, Amor reflexus Spiritus Sanctus eſt. Aliqvid dixit Arithmeticus; ſed qvemadmodum cœlum & terra, ità cogitationes tuæ Deus meus, & cogitationes noſtræ. Apud nos unitas addita unitati; aliquid plus eſt, quam unitas; & tria plus eſſe, quàm duo, omnis creata clamat natura. Apud Te verò Deus meus, tantum unus, qvantum tres: tantum Pater, quantum Pater, & Filius, & Spiritus. Tantum Filius, quantum Pater, & Filius, & Spiritus. Tantum Spiritus, qvantum Spiritus, & Pater & Filius. Euripus nobis factus es DEUS meus, qvis capiat Te?

Ergo triangulum æquilaterum obtulit Geometra. Tantum inqvit, eſt Latus A. qvantum B. Tantum B. quantum Latus C. ergo A. qvantum & C. nihil hic majus nihil minus; ſuperexcedit nihil, minutum eſt nihil, unum triangulum, ſed in qvo tria omnino æqualia. Hoc ipſum eſt, qvod tu paulò antè dicebas: qvanti illi, tantus iſte, quales illi, talis iſte; ex quo illi, ex tunc iſte, qvantum illi, tantum iſte, potentiâ, ſapientia, bonitate, juſtitiâ, miſericordia, pulchritudine, majeſtate, æternitate. In natura Unitas, in perſonis Trinitas. Sed nimium video, qvantum hæc omnia Deus meus, diſtent à Te. Triangulum eſſe poteſt, infinitum eſſe non poteſt. Triangulum non eſſet, ſi infinitum eſſet. Tu verò Deus meus, & ibi, ubi velut lateri latus incumbis, infinitum: & ibi, ubi velut latus baſi inſiſtis infinitum: & ibi, ubi velut baſis latera ſuſtines, infinitum. Infinitum tanqvam cauſa fœcundiſſima, in qva tota entis amplitudo, quæ infinitas omnium generum ſpecies, & ſingularum ſpecierum individua complecti neceſſe habeat, eminenter exiſtit. Ibi infiniti mundi, infinitæ ſpecies Angelorum ſine fine ſurſum excurrentium; infinitæ nationes populorum; infinitæ ſpecies animantium, infinitæ ſpecies, ac varietates plantarum, metallorum, lapidum, gemmarum; ibi infinitum aurum, & argentum; infinitæ magnitudinis uniones, & omnis generis pretioſi lapides; infinitæ ſpecies colorum, picturarum ſymphoniarum, odorum, ſaporum, & delectabilium carnis, ſenſusq; tangendi. Ibi infinitæ regiones, ut urbes, infiniti agri, & horti, campi & ſylvæ, montes, & fontes, maria, & flumina; palatia & templa; deniq; quidquid pretioſum, pulchrum, ſplendidum, delectabile mente concipi poteſt, ibi continetur, & poſſidetur copia infinitâ. Infinitum, quia Tu ipſe ſolus per Te, omnibus infinitis, quæ in tua eſſentia, ſapien-

Digitized by Google

tia potentia eminenter ſunt, etſi actu foris exiſterent, excellentior ſublimior, major, pulchrior, amabilior. Tu infinitum ſecundum eſſentiam, nihil te ſuperius, aut inferius, majusve aliqvid habens: ſed per omnem modum ſine deformitate perfectus, ſinè quantitate magnus, ſinè qualitate bonus, ſinè tempore ſempiternus, ſinè morte vita, ſine infirmitate fortis, ſinè mendacio verus, ſinè ſitu ubique præſens, ſinè loco ubiqve totus; ſinè extenſione omnia implens; ſine contradictione ubique occurrens, ſinè motu omnia transcendens, ſinè ſtatu intra omnia manens, ſinè indigentia omnia creans; ſine labore omnia regens, ſinè tui initio, omnibus initia tribuens, ſinè tui mutatione omnia mutabilia faciens; in magnitudine infinitus, in virtute omnipotens; in bonitate ſummus; in ſapientia inæſtimabilis; in conſiliis terribilis, in judiciis juſtus, in cogitationibus ſecretiſſimus; ſemper idem æternus, ac ſempiternus; immortalis, atqve incommutabilis; quem nec ſpatia dilatant, nec brevitas locorum auguſtat, nec receptacula ulla coarctant, nec voluntas variat, nec neceſſitudo corrumpit; nec mæſta perturbant, nec læta demulcent: cui nec oblivio tollit qvidqvam, nec memoria reddit, nec præterita tranſeunt, nec futura ſuccedunt; cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec caſus finem dabit; ſed ante ſæcula, & in ſæculis, & per ſæcula in æternum vivis ſinè fine & principio omnium Principium, Deus meus; Euripus nobis factus es, non capimus Te.

Ergo, dicebat mihi, aquarum ſpeculatrix Hydroſtatica; vides illum fontem deſcendentem in rivum, & rivum creſcentem, in fluvium. Fons Pater, rivus, Filius: Flumen eſt Spiritus S. In fonte aqua, in rivo aqva, in flumine aqva; in tribus eadem. Ex fonte naſcitur in rivum, ex rivo procedit in fluvium. Et dicebam: meus Fons ſic deſcendit in rivum, ut totus Pater gignendo, poſtquam exivit in Filium, totus reſtet in ſe: & totus Pater, & Filius ſpirando exeat in Spiritum Sanctum, & nihil perdant de ſe. At huic fonti tuo ô Hydroſtatica, tantum demitur de aqua, qvantum rivo contuleris, & tantum rivo deeſt, qvantum proceſſerit in fluvium. Vides credo, qvàm tibi nunc aqva hæreat. Deus meus non capio Te.

Jam etiam loqvebatur ſpeculorum artifex, Catoptrica. Objice, inqviebat, Soli ſpeculum, ut radios in ſubjectam aqvam reflectere poſſit. Videbis ſolem cœlo, Solem in ſpeculo, Solem in flumine. Pater Sol, deſcendit in Filium, & manet in cœlo; manet in ſe. Sol, Filius, deſcendit cum Patre in Spiritum S. & manet in ſpeculo, manet in ſe, Sol in aqva, Spiritus Sanctus, in tribꝰ unus Sol, una divinitas. Et videbam Deus meus, multum deeſſe de Te. Omnipotens namq; es Pater, omnipotens Filius, omnipotens eſt Spiritus Sanctus. Cùm interim ille

Sol

Sol jam alius, & alius; in cœlo poſſit aliqvid, ſed illo jam minus aliqvid Sol in ſpeculo, & utroqve minus aliquid ſol in flumine.

Tunc aurem meam revelavit Ars Muſica. Et, audin, inquit, illam ſvavem harmoniam Citharæ? Unica eſt, & tamen ut ſit, tria. Eſſe, eſt neceeſſe. Artem, Manum, & chordam deniqve. In hunc modum iſte mundi ſvaviſſimus concentus à tribus proceſſit: à Patrè, ùt Arte, & ſapientia; à Filio, ut manu & brachio, per qvod facta ſunt omnia; & Spiritu Sancto, ut Chorda, in qua eſt Spiritus. Hæc mihi Trinitatem oſtendebant, Trinitatis unitatem in natura, non exprimebant.

Vides illam Iridem, illum per vaſtum cœli ſpatium. Renidentem Arcum cœleſtem? dicebat Meteorologus: triplex ibi color; una lux. Et volebat mihi oſtendere, qvod nè qvidem color erat.

Conſideràſtine, inqviebat Phyſicus, qvia in tribus omnia; & tria in omnibus; in omni ente, eſſentia, virtus, & operatio.

Solemne accuratius inſpexiſti, addebat Aſtrologus: alia lux illi in ſe; alia, qvam diffundit à ſe, alia, qvam aer recipit in ſe.

Tempusne contemplatus es, ſubjungebat Chronologus. Unum eſt, & tamen aliud præſens, aliud præteritum, aliud futurum dicitur.

Et nunquamnè legiſti, concluſit ſacer Hiſtoricus, quia Arca Fœderis una erat, & tria in Arca: Virga Aaron, Manna cœli, & tabulæ Moyſis Prophetæ Domini.

Hæc omnia mihi dicebantur Deus meus, ut caperem Te: ſed poſt ſingula mihi imminebat Auguſtinus, inclamans: multa ſunt, quæ de Trinitatis ineffabilitate dicuntur; non ut ipſa dicatur, alioqvin ineffabilis non eſſet; ſed ut illis dictis, dici non poſſe intelligatur. Aliqvid omnes dicunt: nemo totum. Alii unitatem naturæ divinæ oſtendunt, Trinitatem perſonarum abſtulerunt. Alii Trinitatem perſonarum docent, unitatem naturæ non attulerunt. Alii Trinitatem in unitate qværunt; æqualitatem non invenerunt. Nemo deniqve ſatis dicit, qvid ſit Sancta Trinitas unus Deus. Optimè dixit, qvi dixit: Benedicta ſit Sancta, & individua Trinitas Unus Deus.

O cœlum! obteſtor Te ô cœlum. Magni Dei ſapiens opus! obteſtor Te vocem Patris, qvam locutus eſt primam! obteſtor Te per unigenitum Verbum, & Patrem omnia continentem. O Altitudo! ô Abyſſus! ecce omnis noſtra intelligentia, omnis ars, & ſcientia noſtra, non capimus te. Euripus factus es nobis.

Projicimus nos in Te, miſerere. Ens Entium miſerere! non capio Te, cape Tu me,

Dominica 4. poſt Pentecoſten.

Annuerunt ſociis, qvi erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eòs. Luca 5.

Sæculares debere cooperari Eccleſiaſticis, & Religioſis ad ſalutem Animarum.

QVidqvid demum furant hæretici, qvidqvid frendeant nonnulli rerum quæ aguntur, ignari homines, Catholici, JESUitæ profectò ſunt viri egregii; & qvemadmodum Cæſar Baronius ait (in ep. ad Stanislaum Arch. Poſnaniens.) ſunt viri Apoſtolici, Reverendi Patres, & Chariſſimi in Chriſto Fratres, amo vos. Lacrymas teſtor, qvæ, ut in veſtro numero aliqvando cenſerer, non ſemel fudi. Vota teſtor, qvæ, ut in veſtro numero perſiſterem, non ſemel ſuperis feci. Septuaginta, & ultra emenſa milliaria, milliaria teſtor, ut veſtras fores pulſare liceret; Indias petiturus, ſi in Europa porta non patuiſſet. Jam vobiſcum ità unum ſum, ut ſoli mori non poſſitis. Deum juravi, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; inſtantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei, qvæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Et qvis, modò in alienam virtutem cæcus non ſit, Societatem JESU non diligat? qvænam ætas, loqvitur Purpuratus Ludovicus Ludoviſius in panegyrico S. Ignatii, qvi ſexus, quæ hominum conditio, quæ gens vel barbara, longeq; disjuncta inficiabitur, infinita propemodũ eſſe, qvæ debeat Ignotio, & fundatæ ab eo ſocietati? puerilis ætas Chriſtianæ doctrinæ inſtitutionibus informata; qvarum uſum cum immenſo Chriſtianorum hominum emolumento, ipſe primus invexit. Juventus in apertis gymnaſiis erudita; efficaciſſimo invento, ad inſerendam in animis, cum integritate bonarum artium, pietatẽ, ac morum probitatem Maturi ætate viri tot in oratoriis, & Congregationibus veris pœnitentiæ, ac vitæ ſanctioris Academiis, inſtituti. Tot pro Virginibus, pro converſis ad caſtiorem vitam fæminis, pro orphanis, pro catechumenis, erectæ piæ domus: ille templorum cultus, ſacramentorum, Concionum, ſacrarum lectionum, piarum exercitationum freqventia, ac veneratio, virtutis exemplum, ac ſanctitatis æmulatio, annon hæc omnia Ignatiani Zeli beneficia ſunt?

Sed qvorſum hæc domeſticæ rei non petita encomia? ut prudentiam eorum commendem Academici, qvi veſtros ſummorum operum capaciſſimos animos, non aliis, qvàm hiſce Magiſtris, virtutibus, ac ſcientiis imbuendos tradiderunt, neq; enim parùm refert, ſub qvo Imperatore qvis militaverit. Tum etiam, ut vobis veſtram gratuler felicitatem, qvandoqvidem gloria diſcipulorum, præſtantia Magiſtrorum eſt; ſed id inprimis, ut veſtram benevolentiam hodie Jeſuitis conciliem, opem, auxilium, & ſuppetias veſtras implorantibus.

Ecce

Digitized by Google

Ecce enim duas naviculas ſecus ſtagnum Geneſareth, & aſcendit Jeſus in unam navim quæ erat Simonis,& ſedens docebat turbas: & qvæ ibi Luc.5.ſeqvuntur. Qvid ſtagnum Geneſareth? hodiè ità Pragam noſtram compellare liceat. Qvid navium altera, quæ Simonis eſt? ſic Collegium Clementinum vocemus. Quis Doctor turbarum in hac navicula? peregrini in Hieruſalem hæc qvæſtio eſt. Qvi piſcatores? qui & in cathedris, & exedris, & in marianis conventibus, & in privatis allocutionibus, & in catecheſibus, rete divini verbi domi foriſq; laxare in commiſſis habent. Sunt, qvi id in dominicis atq; feſtis diebus in Eccleſia Sanctiſſimi Salvatoris, in Eccleſia S. Martyris Clementis, in Eccleſia Beatiſſimæ Virginis Teynenſi; ſunt,qvi id ad Academicos,ad Scholas humaniores,ad Italos; ad Boemos,adGermanos;ſunt,qvi id ad SS.Simonem & Judam,ſunt,qvi id in Bethlehem præſtent, ut unius anni ſpatio à ſolis Collegii Clementini inqvilinis, ut minimum ſexcentæ & ſeptuaginta dictiones ad diverſam concionem habeantur. Sunt, qui rete verbi divini laxent in marianisConventibus, DD. Theologorum, Juriſtarum, Convictorum Philoſophorum, Humaniſtarũ, ac Minorum in Sodalitatibus Germanorum, Bohemorum, Italorum, Iſſidioranorum, ut unius anni ſpatio in novẽ hiſce diverſis Cœtibus facile 340. ſacri ſermones celebrentur. Ad hæc Chriſtiana doctrina explicatur qvot hebdomodis ſaltem ſemel ad Academicos & Scholas Humaniores easqve ferè ſingulas; ad S. Salvatorem, ad S. Clementem, ad omnes Sanctos, ad S. Henricum, ad Sacras Virgines Divæ Urſulæ, & univerſim in locis ferè triginta; ſparſit non modo per hanc urbem, ſed in circumjacentes quoque agros, & vineas ſociis, ut unius anni ſpatio facile 1360. catheſes unius Collegii Clementini cenſeantur. Ut nihil dicam de multitudine ſacrificiorum, qvæ annis ſingulis plerumq; numerum viginti millium conficiunt;nihil de laboribus novendecim Profeſſorum per Academiã deſudantium: nihil de ſudoribus,Xenodochia, carceres, & pauperũ ergaſtula percurſantium,nihil de pœnitentium, communicantiumq; numero, qui plerumq: in anno ad ſeptuageſies milleſimum aſcendit. Annon hi omnes verè Apoſtolici animarũ piſcatores? quis neget? ſed quæ jã erit illa altera ſociorũ navicula? Annuerunt ſociis,qui erant in alia navi,ut venirent,& adjuvarent eos Luc.5. Injuri9 ſim meisDn. Acad ſi,quiColleg. Clementinum navim Apoſtolicã dixi, aliud hanc celeberrimã Carolo.Ferd.eam Univerſi. compellavero.Tam enim ſibi iſta cõveniunt,ut Clementini cũ Acad propè in eadem navi navigemus; ideoq; ſolùm in alia,atq; alia,quòd accidentiũ, ùt vocant,ſit qvædam diverſitas. Qvi verò erant illi, quibus priores annuunt Socii? Certè non alii, qvàm Domini Academici. Annuunt Clementini Piſcatores Sociis, vobis inqvam utpote in altera nave conſtitutis veſtram opem, auxiliumqve in animarum captura implorantes orantesqve; eos in tam cœlitibus accepto, mortalibus tam proficuo, vobis tam honorifico opere, deſtituere ut nè velitis.

Erit

Digitized by Google

Erit id qvidem fortè alicui ſaltâſſe extra oleam! qvid enim Philoſopho, qvid Medicinæ Studioſo, qvid Jurisperito cum Evangelio? ajo: perqvam multùm! Gloriæ divinæ currus, ùt habetur Ezechielis c. 1. non modò ab Aquila, ſed & ab homine, ſed & à leone, ſed & à bove trahi viſus eſt. Eccleſiæ ovile non modò ſervat, qui claves geſtat Petrus; ſed etiam, qui gladium portat Paulus. De Pomario Chriſti ſcripſit Doctor Gentium 1. Cor. 3. ego plantavi, Apollo rigavit, DEUS autem incrementum dedit. Ad Jeremiam, ad Paulum, ad Eccleſiaſticos, & Religioſos dictum eſt: conſtitui te, ut ædifices, & plantes: ad Dominos Academicos, in quos totus Apollo cum ſuis ſcientiis migravit; pertinet: Apollo rigavit: Plantent Religioſi, rigent Studioſi, & incrementum dabit DEUS.

Mundi machinam, vectis & operarum adminiculo, loco ſuo ſe moturum promittebat Archimedes, ſi ſibi, ſuisq; locus concederetur, in quo extra mundi molem conſiſterent. Videntur mihi viri Eccleſiaſtici, Religioſique jam velut extra mundum conſtituti Archimedes; his enim dudum mundus crucifixus; & ad quos illud Joh. 17. pertinet: qvia non ſunt de mundo. Et quia totus mundus juxta effatum Apoſtoli, in maligno poſitus eſt, ſtant illi accincti hunc de ſuo loco tam periculoſo, tam iniqvo, movere, ſed id ſinè vectis, & operarum adminiculo, ſinè Dominorum Academicorum ope, & auxilio non facilè confecerint.

Verbô Hodiernum Evangelium duarum Navicularum in ſtagno Geneſareth occupatum meminit: in altera piſcatores viros Religioſos, in altera Dominos Academicos, figuratos video: iſti lavant, illi laxant retia: iſti litora legunt, illi in altum ducunt navigium. Primi piſces prehendunt, ſecundi ſagenam trahunt, ità mutuo conatu, mutuisq; laboribus, & hi & illi implent naviculas, & inaudita faciunt animarum lucra.

Et verò divinæ Providentiæ opus ſingulare, omnibus temporibus viſum fuit, ut qvantumvis viri Eccleſiaſtici, Religioſiqve, ingentes populorum fecerint converſiones, id tamen ſine brachio, ut loqvimur, ſæculari, & ſine ſæcularium hominum adjutorio non præſtiterint. Reducta eſt ad Chriſti fidem Bohemia, & Moravia, per SS. Cyrillum, & Methudium, alterum Epiſcopum, alterum Religioſum Monachum; ſed non ſinè Principiis ſæcularium, Wenceslai, Ludmillæ, & Spithinæi auxilio. Fidei Lumen aſpexit tum Sileſia, tum vaſtiſſimum Poloniæ Regnum per S. Adalbertum Epiſcopum, ac poſtea Chriſti Martyrem: ſed non ſinè Mieslao, & Hedwige ſæcularibus Principibus. Chriſti Religionem per ſubmiſſos à ſede Apoſtolica Viros Eccleſiaſticos amplexa eſt Hungaria, ſed non ſine Rege Geyſa, & D. Stephano. Per S. Martialem, Maternum, & Valerium,

lerium, atque Remigium Epiſcopos Romanæ Eccleſiæ acceſſit Gallia, ſed non ſine Clodovæo, & Clothilde. Ad veram fidem, per viros Eccleſiaſticos fugatium, & Damianum converſa Anglia, ſed non ſine Rege Lucio, qui & ipſe abdicato à ſe regno, regnum Chriſti prædicavit. Catholicæ Religioni ſubſcripſit Hiſpania; laborante primum S. Jacobo Apoſtolo, tum Cteſiphonte, & Torquato divi Petri diſcipulis: ſed quod hodiedum tam illimis perſtet ab omni hæreſi, ſæcularium Principum debetur fervori, qui jam ab A.C. 638. ſeſe ſinguli juramento obſtringunt, nullos in fide errores, aut hæreſes in regnis ſuis toleraturos. Denique quòd Bohemia, Moravia, Auſtria, Styria, Carinthia, & reliquæ hæreditariæ provinciæ Auſtriacorum ab hæreſi repurgatæ, & emaculatæ ſunt, etſi non mediocrem operam contulerit, Jeſu Societas, potiſſima tamen debetur gloria ſanctiſſimæ memoriæ Imperatori Ferdinando II. cujus unius zelo ad ovile Chriſti reducta ſcribuntur animarum ultra decies centena millia.

Nemo itaqve mihi dixerit: quid Philoſopho, quid Medico, quid Juriſperito, quid ſæculari homini cum Evangelio? viderint Eccleſiaſtici, & ſi ita placet, viderint Jeſuitæ, quomodo mortalibus fidem veram annuncient, virtutes perſuadeant, & vitia extirpent: Si ſoles ſunt, ut quidam eorum panegyrici dicunt, illuminent: ſi Evangelii tubæ ſunt, prædicent: ſi oculi ſunt, dirigant: ſi manus ſunt, ducant: ſi magnetes ſunt, trahant; ſi fabri ſunt, figurent; ſi Atlantes ſunt, ſuſtineant: ſi deniqve in navicula Chriſti ſunt, piſcentur: neqve nobis noſtram qvietem invideant.

Sed his ego ita reſponderim, ad primum: Si Religioſi ſoles ſunt, Domini Academici ſidera ſunt, qvas ſtellas dicimus, quibus ſol ſuam lucem communicare conſvevit, quo & ipſa pra ſint noctibus, & circumſperſas errorum, atqve vitiorum tenebras ex ſua vicinia diſpellant. Ad ſecundum: Si Religioſi ſonoræ tubæ ſunt, DD. Academici vocalis echo ſunt: quæ per propinquos agros circumfert, quidquid à vocali tuba hauſerit. Ad tertium reſpondeo: ſi religioſi oculi ſunt; DD. Academici tubi optici ſunt, quorum adminiculo diſſita quæque de longè, & certius ſpeculari poſſumus. Ad quartum: Si Religioſi manus ſunt, quæ ducant; DD. Academici vinculum ſunt, quo & qui ducitur, & qui ducit, invicem ad firmitatem colligantur. Ad quintum: Si Religioſi magnetes ſunt, qui ferrum trahant: DD. Academici illa miraculoſa occulta qualitas ſunt, quâ mediante ferrum magneti obſequitur. Ad ſextum: Si Religioſi fabri ſunt, DD. Academici illud inſtrumentum ſunt, quo non unus feliciter formatus fuit Mercurius. Ad ſeptimum: Si Religioſi Atlantes ſunt, qui pie-

Digitized by Google

pietatem Chriſtianam in populis ſuſtineant; DD. Academici Hercules ſunt, qui ſubinde fatiſcente atlante, humeros ſuos ſuccollant. Ad octavum deniq; reſpondeo, ſi Religioſi in una navicularum Chriſti piſcatores ſunt, DD. Academicis debetur altera; in utraq; autem idem opus, idem finis.

Quin imò, nullum mihi dubium, ſæpe ſæpius accidere, ut DD. Academici Religioſis, ac præſertim Jeſuitis paria tentent, præſtentque, & in procurando animarum negotio, ſi nunquam majora, certè non abſimilia conficiant. Neq; id mihi rubori duco: quando & Chriſtus Dominus de ſuis Diſcipulis dixit: Joannis 14. Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet; & majora horum faciet. Et hujus aſſertionis cauſæ aliquot mihi in promptu ſunt.

Primo enim, Jeſuitæ, de his enim hic loqui conſtitui, quantumcunq; ſeſe bono publico, & promovendæ animarum ſaluti conſecraverint, potiſſimam tamen vitam agunt à conſpectu ſæcularium perſonarum remotam, audiuntur, ſed in cathedra: videntur, ſed in altaria; ſi quis in tribunali, ſi quis ad domûs fores, ſi quis inter domeſticos convenitur parietes, ad modum iridis, ubi comparuerit, diſparet, & plerumq; iis belli ducibus ſumus ſimiles, qui cum occaſionem præliandi habent, confligendi poteſtate deſtituti ſunt. At verò Domini Academici, per urbem ſic diſperguntur, ut omni ferè loco, omniq; tempore retia laxare in capturam poſſint: ad modum cœleſtium influentiarum, quæ quod in perpetuo motu, ac circumvolutione ſunt, tam mira in his inferioribus operantur.

Deinde Jeſuitæ cum pleriſq; ſæcularibus, vitâ, moribus, opinionibus, victu, veſtitu plusquam ferè ſpecie differunt. Unde proniſſimum, ut minus æſtimes, amesve, quod tanto intervallo abeſt. At verò DD. Academici eandem, quam eorum domeſtici ſectantur vitam, iisdem vivunt moribus, & conſvetudinibus, iisdem imbuuntur opinionibus, eosdem ſartores, & coquos, & quadras habent. Unde fit, ut, cùm omnis ſimilitudo morum, ſit mater amorum, & amentur teneriùs, & audiantur libentiùs; & iisdem, ſi quid Chriſtianum, ſi quid pium, ſi quid probum ſuaſerint, obtemperetur promptiùs. Ita videmus cothurnices in retia cogi, ubi auceps vocis ſimilitudine eas volucres provocaverit: ita videmus cervos non leonem, ſed cervum ducem ſequi. Contingitq; ut ſubinde unus aliquis probior adoleſcens, ubi, quæ vel è ſacris dictionibus hauſit, vel ex piorum librorum lectione condidicit, domeſticis refert, toti domui ſaluti ſit. Ita Jo. 4. audit Regulus Chriſtum loquentem, & credidit ipſe, & domus ejus tota. Atqve in hunc modum unius Academici Angelica modeſtia,

ſtia, & morum inſignis compoſitio, unius ſobrietas, & caſtimonia; unius aut ſancta taciturnitas, aut ſacra colloquia univerſam domum, modeſtam, probam, ſanctam, ſobriam atque caſtam efficere poſſunt: juxta id, quod apud Sinos in proverbio eſt: quatuor boni præfecti, mille ſtadia illuminant.

Accedit, quòd Jeſuitæ, neſcio quò divinæ providentiæ permiſſu, non omnibus ſæcularibus ſimus in amoribus. Aliis noſtra modeſtia, aliis noſtra charitas ſuſpecta eſt; aliis Philoſophi, ſed Ariſtarchi, aliis Pauli ſed enſiferi, aliis prodigi, aliis avari nimiùm ſumus. Plerorumqve autem oculos, neſcio quis noſtra circumplectens ſplendor perſtringit. Oderunt zelum hæretici, virtutis amorem tepidi Catholici, diſciplinæ obſervantiam, ſegniores diſcipuli, opes, etſi rariores; qui pauperiores: honores, qui viliores: magnatum favores, qui deſpectiores: deniqve plerisqve noſtra bonarum artium ſtudia non eo, quo fortè merentur, aſpiciuntur oculo; ut rerum noſtrarum ignaris, non ſimus aliud, quàm quod quædam abjecta ponti conchylia iis, qui latentium margaritarum pretia ignorant; vel certe ſolaribus radiis ſimiles, qui utut præſtantiſſimam rerum, lucem inquam in orbem portant, debilioribus tamen oculis, non modò oneri, ſed & vitio ſunt. Quibusdam inſuper, ut Scytharum captivi, depingimur cornuti, aduncis manibus, ad modum harpyjarum; aduncis pedibus, ad modum Aquilarum; homines tigride ferociores, leænâ crudeliores, gryphibus rapaciores: quò fieri neceſſum eſt, ut omnis cibus, quem hisce laudibus mactati, eſurientibus porrigimus; omnis medicina, quam infirmis utilem judicamus, non cibus, aut medicina, ſed cerbero ſopienda oſſa dari videatur.

At enim DD. Academici, domeſticis ſuis, quibuscum agunt, gratioſuli ſunt, neque invideo. Placet oris compoſitio, mixtûsque nive genarum rubor; placet placidè à fronte defluens cincinnus, & in formoſum ductæ ſuperciliorum irides; placet linguæ affabilitas, & Periclis roſis è dulci ore nitidiores, & ſuaviores verborum flores; placet in omne obſequium flexa humanitas, genii affinitas, & magnus ille magnes cordium morum ſimilitudo; placet inprimis in juventute, quæ ſeſe rimis innumeris diffundit, neo-nata ſcholaſtica ſapientia: verbo, ut cum Poëta, abſolvam, quæ volo, omnia: Pulchrior eſt pulchro veniens è corpore virtus. Omnis actio Academici gemma eſt: omnis aſpectus, fulgetrum; omnis paſſus aut roſam fert, aut lilium. Omne verbum, margarita. Inde apud ſuos omnipotens omnis Academicus; & quemadmodum, ut tota domus ſit improba, unius nequitia, ita ut tota efficiatur ſancta, unius virtus ſatis eſt.

Quæ cum ita ſint, Academici; hodie omnium Clementinorum ad vos una eſt oratio, operam, auxiliumque veſtrum illis, in capiendis animabus commodare velitis. Scio, omnes eſſe capitis, ubi veſter Dominus eſt. Et ipſe in ſolatium veſtrum dixit Joan. 12. Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit. In quæ verba D. Auguſtinus: Cum auditis fratres Dominum dicentem: illic & miniſter meus erit, nolite tantummodo bonos Epiſcopos, & Clericos cogitare; etiam vos pro modulo miniſtrate Chriſto, bene vivendo, eleemoſynas faciendo, nomen, doctrinamque ejus prædicando. Unusquisque Paterfamilias, (addo: unusquisque Academicus,) pro Chriſto, & vita æterna, ſuos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat diſciplinam; ita in domo ſua Eccleſiaſticum, & quodammodo Epiſcopale implebit officium miniſtrans Chriſto, ut in æternum ſit cum ipſo.

(O)

Digitized by Google

Dominica 5. poſt Pentecoſten.

Tunc veniens, offeres munus tuum. Matth. 5.

Ingratum DEO munus, quod fratri iratus, obtuleris.

MEminit Cantipratanus in ſpeculo exemplorum diſtinctione nonâ, neſcio cujus Adoleſcentis; qui cùm eſſet morum non usqve caſtiſſimorum, nihilominus Matrem Virginem frequentibus colebat ſuſpiriis, ac precibus, Patronamque hanc ſuam è millibus unam venerabatur. Accidit fortè, ut in vaſtam per errorem delapſus ſolitudinem, ignarus omnino viarum, expersqve conſilii, quid ageret; progrederetur, an pedem referret, non ſatis diſpiceret. Terrebant juveniles animos & mœſta nemorum ſilentia, & umbratiles arborum pugnæ; & graviſſimo murmuri ſimillimus viciniam prætercurrentis aquæ ſtrepitus. Jamque ſicarius aliquis adeſſe, jam ferrum ſtringere, jam jugulo imminere videbatur: neque ulla adoleſcenti aut à fronte, aut à tergo ſecuritas; undiqve timebatur hoſtis, & omnis arborum nutatio ruinam; & omnis per apricum diſcurrens umbra, terrificarum manium ſpeciem referebat. Ad cæteros perturbati animi morbos accedebat & fames, & timoris plerumqve ſocia ſitis, quæ abſtinentiæ nondum aſſvetum Adoleſcentem non unâ plagâ mactabant. Cum ecce tibi, videt cœleſti in ornatu, fulgentibus circum paludamentum ſtellis Virginem (DEI ſanctiſſima Mater erat) adſtare ſibi, fructusque pomarios de paradiſi penu depromptos (tantam raritatem, tantamque pulchritudinem, amoresque referebant) præſentari; verùm in diſco adeò deformi, adeò immundo; ut pæne velut ad conſpectum Meduſæ in monſtrum abiret. Hærebat nempe non minùs, quàm marpeſia cautes; & quantum parte iſtâ, fructuum cupediis, deliciariisqve invitabatur, tantùm parte alterâ ſordidiſſimi diſci terrebatur immunditie. Sic à ſeipſo diviſus, ô quæcunque es, inquit Diva, (nam cælitem te & vultûs majeſtas, & oris benignitas, totusque corporis comitatus loquitur) ut quid hæc tua beneficia ſic dividis, ut oculos quidem rerum dulciſſimo aſpectu paſcas; ſtomachum autem inter deliquia pereuntem, non refocilles? O quantum mihi in hos cibos dentes mei! ſed & quantum hoc tam lutulentum ferculum mihi fert de nauſea. Integrum quæſo, beneficium integrum, ſi miſello ſubvenire ſtatuiſti. Ita fatus, & manum mittit in donaria, & ſimul ſuſpenſam tenet; usque dum Mater DEI in hunc modum locuta eſt: Vide ſis, quid agas ô Juvenis. Fructus iſti, tuæ quotidianæ preces, mihique fuſæ laudes, & tua non contemnenda, ſi ex toto velles, ſuſpiria ſunt: pia illa, & mihi placitura, niſi ea

Digitized by Google

in vaſe tam immundo, de corde tam impuro, tam fœdis amoribus referto proferrentur. Dixit, & videri deſiit.

Academici! cernitis quam puri ſint cœli, qvam nitoris amantes: cui neque ipſa munera, qvantumvis & pretio valeant, & ſpecioſitate ſua præſtent, ſint placitura, niſi & ipſa fercula, ipſa in quibus Divinæ Majeſtati, aut cœlitibus ſpiritibus, deferuntur, vaſa; ipſa mens, animusqve noſter, ac cor noſtrum reqviſitâ puritate niteat. Phariſaica, & Deo minimè grata ſunt ea dona, quæ cùm foris ſplendent, foris auri, gemmarumqve fulgur præferunt; intus ſordibus ſcatent, & ſuâ ſqvallent turpitudine. Phariſæe, inqvit Chriſtus Matthæi 23. munda prius, qvod intus eſt, calicis, & paropſidis, ut fiat id, quod deforis eſt, mundum. Inviſa ſunt cœlo illa ſepulchra, & conditoria, qvæ cum aforis ſpecioſa patent hominibus, intus plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitiâ.

AA. Placet, iterumque, atqve iterum placet, qvòd Eccleſias, ſacrasq; exhortationes, qvod conventus freqventatis Marianos: placet, qvod aſſidui peccata confitemini, ſacratiſſimæqve menſæ freqventes accumbitis; neqve ullus dubito, qvin pleriqve veſtrum qvotidie Corollam Beatiſſimæ Virginis, Marianumqve officium, aut his pares preces DEO, Cœlitibusqve funditis: ſed eſt, de qvo vos hodie admonitos vult Mundi Salvator: ſi offers munus tuum, inquit, ad altare, & ibi recordatus fueris, qvia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinqve ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens, offeres munus tuum.

Grata nimirum etiam Cœlitibus ſunt munera: Munera crede mihi placant hominesqve deosqve; ità ille: ſed quæ pura, & ſceleris ignara manus detulerit. Ingratum ſuperis munus, qvod qvis fratri ſuo iratus adfert; neque placere poteſt obſeqvium, ubi cor fuerit immundum.

Qvantum non munus Deo, laudis ſacrificium? certè nos mortales nihil aut debito noſtro poſſumus præſtare conformius, aut divinitati acceptius, quàm ſi illam Magni Dei noſtri Bonitatem, Sapientiamque ac Potentiam, & Majeſtatem, omnibus prædicamus linguis, depingamus calamis, efformemus penicillis? illam ſcilicet Creatricem Eſſentiam, qvæ hanc rerum univerſitatem, tam mirabili ordinavit nexu, tanta diffudit viſibilium varietate, tanta exornavit decore; tanta in hodiernam horam conſervat potentiâ, providentiaqve! Certè diviniſſimi illi Angelici Spiritus hoc ſolo ſunt æternum judicandi felices, qvod aliud non agunt, non aliud acturi ſunt, quam qvod inter meras incenſiſſimi amoris flammas in perpetuum illud Apocalypticum concinunt: Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qvi venturus eſt. Quæ cùm ità ſint,

cum-

cumqve hæc functio tam Deo debita, tam cœlitibus glorioſa; qvid nihilominus eſt, qvod per Regium Pſaltem DEUS l cutus eſt: Peccatori autem dixit Deus; quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum; niſi quia Deus nè quidem laudari vult à peccatoribus: neqve ſuas enarrari juſtitias, ab homine injuſtitias ſectante. Qvare tu, inqvit, enarras juſtitias meas? odiſti diſciplinam, & projeciſti omnes ſermones meos; qvare tu enarras juſtitias meas? ſi videbas furem, curr bas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas; qvare igitur tu enarras juſtitias meas? Os tuum abundavit malitià, & lingua tua concinnabat dolos, & tu enarras juſtitias meas. Sedens adverſus fratrem tuum loqvebaris, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum; & enarras juſtitias meas: ſcire oportuerat quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris; neqve gratum eſſe poſſe, quod improbitas obtulerit.

Ad orbitam noſtram revertamur AA. Sanctum eſt munus, qvodcunqve Deo offerimus; ſed ingratum, ſi venerit ab iratis! Donum ſacrum quidem; ſed vas, ſed cor profanatum, qvodcunqve ira in fratrem impleverit. Ira baſiliſcus eſt; undiqve virus; ubi id veneni, nihil ſat tutò attingitur, nihil ſat tutò tenetur. In hominis ſævientis corde, aſpis, vipera, ſerpentes, bufones, dracones: ſuſpiciones volebam dicere, invidiæ, rancores, inſidiæ, vindictæ, nobiles ſcilicet egregii hoſpitii inqvilini. Porrige famenti cibum, in qvem ſe viperæ, & aſpides, aut baſiliſci miſcuerint, ſi beneficium non timebit, ſi non expaveſcet, ſi non palleſcet, ſi non horripilabit accipere. Credo diuturnam electuram potius famem, quàm citam, ſed crudelem mortem!

Qvid igitur magnum præſtamus AA. ſi qvasdam frigidulas preces noſtras, aliqvot ſegnes paſſus noſtros, qvibus in Eccleſiam ferimur, aut tepidula aliqvot ſuſpiriola Deo offerimus: quin imò, ſi etiam univerſam ſubſtantiam noſtram diſtribuimus in pauperes, ſi linguis loqvimur hominum, atq; etiam Angelorum; ſi tandem & corpus noſtrum tradimus, ut ardeat; charitatem autem erga fratrem noſtrum non habeamus, ſpecioſosqve iſtos fructus in vaſis admodum abominabilibus, cordibus inqvam, iræ, vindictæqve ſordibus, undeqvaqve infectis offeramus?

Non habet illa Creatrix Eſſentia opus noſtris canticis, & laudibus; oblatione & donariis; neqve major eſt, ſi illam ſuper omnem cœli extulerimus altitudinem; neqve minor, ſi qvis illam tam magnam, tam potentem blaſphemiis deprimere voluerit; magnus eſt, ille Cœli, terræqve Dominus; fuitqve ſemper qvalis nunc, cùm neqve ego, neqve tu neq; hic iſte ille, neqve qvidqvam eorum, quæ ubi ubi ſunt, eſſemus; neqve Magnum illud Numen noſtro eget ſacrificio

etſi

etſi perqvam mundo, etſi perquam illi dilecto: quanto igitur minus omni eo, qvod impuritatis ſpucities affecerit.

Qvid igitur à me reqvirit Dominus? annon ſacrificium? ità qvidem; ſed mundum, ſed amore erga proximum depuratum. Sic ſacrificium, ut hoc ſub conſilio: ſic amorem proximi, ut hunc ſub præcepto. Vis conſilium? Honora Dominum de tua ſubſtantia; & de primitiis omnium frugum tuarum da ei, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabant Prov. 3. 9. vis præceptum? Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & proximum ſicut te ipſum: in his enim pendet lex, & prophetæ Matt. 5. Vis conſilium? Date, & dabitur vobis Lucæ. 6. 39. vis præceptum? Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Joh. 15. 12. Vis conſilium? Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, ubi neqve ærugo, neqve tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Matt. 6. 20. Vis præceptum? qvi odit fratrem ſuum homicida eſt. 1. Joh. 3. Vis conſilium? Cùm effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies; Iſaiæ 58. vis præceptum! Judicium ſine miſericordia illi, qvi non fecerit miſericordiam. Jacobi 2. Nempe, ùt inqvit M. Auguſtinus ſerm. 122. de tempore: Te quærit dominus magis, quàm munus; & ſerm. 16. de verbis Domini: offers munus tuum, & tu non es munus DEI. Plus quærit Chriſtus, quem redemit ſanguine ſuo; quàm quod tu inveniſti in horreo tuo

Offers ſacrificium, & non amas proximum; gemmam pretioſam, ſed ſordidatam, ſed fimeto obſitam obtuliſti. Offers ſacrificium, & non amas proximum: Margaritam, ſed in conchyli, omni ſpurcitiâ pleno obtuliſti. Offers ſacrificium, & non amas proximum; dulcem cibum, ſed in parophde de ſerpentibus, & viperis conflata obtuliſti. Sacrificium offers, & non amas proximum; mellis favum, ſed iracundiæ, vindictæqve felle reſperſum obtuliſti. Gemma illa cœlum, ejusq; beatitudinem tibi comparaveras; margaritâ illâ cœleſtis Jeruſalem portas mirificè exornaras; cibo illo qvodammodo ipſi divinitati guſtum paraveras; melle illo, ipſos cœlites refeceras: ſi ſic obtuliſſes, ut fratrem amâſſes; nunc, cùm non amâſti, nec gemma pretium, nec margarita æſtimationem, nec cibus ſaporem, nec mel dulcorem ſuum habet. Viluit illa, contemnitur iſta, ſpernitur, & hoc, & illud, & ut verbo, dicam, nec teruncium valent hæc omnia. Non immeritò hujusmodi iram, & vindictam ſpirantes ſacrificulos, apiculis ſimiles fecit M. Gregorius hom. 11. in Ezechielem Apes, inquit ille, in ore mel habent, in aculeo vulnus: & omnes, qui linguâ blandiuntur, ſed laten-

ter

Digitized by Google

ter ex malitia furunt, apes ſunt: quia loquendo mellis dulcedinem proponunt, ſed occultè feriendo vulnus inferunt. In lingua mel: ſalve mi frater: ità 2. Reg. 20. Joab ad Amaſum: & tenens manu dexterâ mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum, percuſſit eum in latere, & effudit in terram inteſtina ejus. In lingva mel: ave Rex Judæorum; ità Chriſto dicebant milites Joh. 19. 3. & dabant ei alapas In lingua: Ave Rabbi: in corde: tenete eum, & ducite cautè. In lingua: O animæ dimidium meæ: in corde: non videbit me hic homo, & vivet! In lingua: Angelus Domini comes itineris veſtri: in corde: diabolus ſtet à dextris ejus Apes in ore mel habent, in aculeo vulnus.

Qvanqvam & alia de cauſa hoc irâ tumentium hominum genus apiculis conferri poſſit, qvod ſcilicet furendo, & apes, & iracundi in proprium damnum furant. De Apibus l. 4 Georgicorum Virgilius Maro:

Illis ira modum ſupra eſt, læſæq; venenum
Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca relinqvant
Affixa venis; animasq; in vulnere ponunt.

Eadem de furioſo hominum genere edixit hom. 15. in Matt. D. Chryſoſtomus: Non dicam, inqvit, ſi læſeris inimicum, ſed etiam, ſi oderis eum tantùm, amplius tibi nocuiſti. Tibi ô homo nocuiſti: ſcriptum eſt enim Matt. 5. Qvi iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Tibi nocuiſti; quia ſcriptum eſt. Prov. 27. grave eſt ſaxum, & oneroſa arena, ſed ira ſtulti utroqve gravior. Tibi nocuiſti; quia ſcriptum eſt Prov. 29. Vir iracundus provocat rixas, & qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandum proclivior. Tibi nocuiſti, quia ſcriptum eſt, 1. Joh. c. 2. omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt; & ſcitis, qvoniam omnis homicida non habet vitam æternam. Tibi deniqve nocuiſti quia ſacrificium, qvod Deo offerre intendebas, profanum effeciſti; nec tam mereris gratiam, quòd ſacrificaſti, quam pœnam, qvòd ſacrificâſti, & fratrem odiſti.

Neque dixeris: Deus mihi cordi eſt, hunc amo, hunc diligo: bonam rem ago; huic mea omnia defero: ſi quis enim dixerit, loquitur amoris diſcipulus ep. 1. c. 2. quoniam diligo DEUM, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Parcite: verbum aſperum eſt; ſed Magnus Evangeliſta Joannes edixit. Qvi enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, qvem non videt, qvomodo poteſt diligere. Et hoc mandatum habemus à DEO, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Gratum ſuperis ſacrificium, amâſſe Deum; ſed qvod ab illo igne ſuccendi debet, qvo & erga fratrem ardemus.

Qvod ſibi divina Majeſtas in veteri teſtamento offerri voluit, id fermento permiſceri omnino prohibuit. Omnis oblatio, inquit ſacer textus Levitici c. 2.

quæ offertur Domino, abſqve fermento fiet. Qvamvis enim panis fermentatus & guſtui ſit ſapidior, & digeſtu facilior, eo tamen DEUS Hebræos in ſacrificiis uti noluit; primum qvidem, ob puritatem: cùm ejusmodi non fermentatus panis nihil extraneum admixtum haberet; quò intelligerent mortales, ſumma cordis, animiq; puritate ad divina accedendum eſſe; quod & Poeta gentilis monuit, *caſta placent ſuperis, purâ cum mente venite.* Tum id ea de cauſa ità fieri voluit Deus, quòd per fermentum hominum neqvitia denotetur; uti colligere eſt ex dicto Salvatoris Matt. 16. *cavete à fermento Phariſæorum:* qva ratione Deus omnem vitii ſpeciem à ſuis ſacrificiis ſtatuit arcendam: demum, qvia fermentum irati hominis turbatum notat animum; unde ex Grammatices legibus apud Plautum, in fermento eſſe pro eo dicitur, qui iratus eſt: atqve ità hac ſua, de fermento arcendo, lege, inſtituere nos Deus voluit, gratum munus ſibi minimè fore, qvod quis iratus, & in fermento obtulerit.

Atqve hac forſan etiam de cauſa factum, qvod Deus ſibi in Levitico c. 1. & iterum c. 5. & iterum c. 14. & 15. tot ſcilicet iteratis vicibus Columbam offerri mandavit. Quid Columba? iræ, vindictæ, felliſqve neſcia: mera ſvavitas, mera ſerenitas, mera tranqvillitas: concordiæ paranymphus, pacis fæcialis, amoris baſium, dilectionis trophæum. Cùm omnes volucres inter bruta monſtra, & feritates numeraveris, adhuc ſaltèm hanc domeſticam, & de manſvetudine cretam dices. Tam pacata, qvantum vix ſæviunt accipitres: tam taciturna, qvantum vix corvi eracitunt: tam mitis eſt; qvantum vix crudeles in cadavera, furunt vultures. Hæc eſt illa fortunata volucris, qvæ ex Arca Noe olim dimiſſa, redire ad Patronum ſuum timuit, niſi ramum unà ferret de oliva; divinæ ſcilicet pacis fæcialis. Hanc, & talem ſibi offerri voluit DEUS. *Anima, qvæ juraverit, & protulerit labiis ſuis, ut vel malè qvod faceret, vel bene Et idipſum juramento, & ſermone firmaverit, oblitaq; poſtea intellexerit delictum ſuum, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino,* inqvit Leviticus c. 5. Columbinum vult ſuum eſſe ſacrificium Dominus, nullo felle permiſtum, nullo vindictæ Spiritu turgidum; ſi illud propitiatorium eſſe deſideramus.

Qvid eſt ad pacem Dei accedere, ſinè pace? quærit Tertullianus lib. de oratione c. 10. ad remiſſionem debitorum cum retentione? qvomodo placabit Patrem iratus in Fratrem?

Volumus Academici cum Deo pacem; cum illi vota, preceſqve noſtras in ſacrificium offerimus; ſed qvomodo placabimus Deum Patrem, irati in fratrem? volumus Deo acceptum eſſe munus, cùm illi jejunia, corporiſqve noſtri efflictationes, & reliqva pietatis exercitia dicamus: ſed qvomodo placebimus Divinæ Majeſtati, qvi ferociter irati, non ignoſcimus noſtræ Fraternitati.

Per

Per immortalem Deum non placent Deo ſepulchra, qvantumvis dealbata, ſi plena ſunt ſpurcitiâ: non placet, qvod deforis fulgurat in calice, ſi qvod latet, immundum eſt: non placent Mellita licet, cantica, ſi ea os peccatoris protulerit: non placet apicularum favus, iraſci promptis armatus aculeis: non placent mella, qvæ fellis amaritudine mella eſſe deſiêre: non placet qvisqvis ille eſt panis, qvem cum fermento malè compoſitus obtuleris. Illa placet, quæ fellis, quæ iræ neſcia volucris, ut foris nitet, itâ intus pulchra eſt. Illa columba placet, qvæ Patrem ſuum accedere timuit, qvin prius diceret; Pater ignoſce illis, qvia neſciunt, qvid faciunt.

Placet & ille ſanctiſſimus Patriarcha Alexandrinus, Joannes Eleemoſynarius, qvi cum Miſſam dicturus, jam altari Domini aſſiſteret, & in mentem veniſſet, neſcio qvem Clericorum à ſe offenſum videri, ab ara receſſit, & ab eo humiliter veniam petiit; ac tum in Domino reconciliatus cum fratre, ad Altare rediit, Deo puriſſimum ſacrificium, puris manibus, & corde oblaturus. Ut in ejus ſancti vita refert Leontius c. 13. Chriſtianam ſubſcribens gnomen: Angelorum eſſe, nunquam cum fratre litigare: Hominum verò altercari qvidem; ac mox reconciliari: Dæmonum deniqve proprium eſſe, inter iras vivere ſemper, reconciliari nunqvam.

DD. AA. Non poſſumus eſſe Angeli; nè quæſo velimus eſſe, qvod ſunt dæmones; maneamus homines; & ſi nobis iraſci contigerit, qvamprimum reconciliari ſtudeamus.

Qvod ſi qvis præſentium eſt, qvi fortè nihilominus iraſcitur fratri ſuo; hunc ego verbis Ageſilai ad Carem Nicarienſem, pro Nicia, qvem Cares captivum tenebat, ſcriptis alloqvor. Niciam, ſi nihil fraudis commiſit; dimitte: ſi fraudem commiſit, nobis Niciam dimitte: omnino autem dimitte. Clarius. Academice; Fratri tuo, ſi in te nihil peccavit, nihil fraudis commiſit, dimitte: ſi vero fraudem commiſit, ſi fortè famam tuam, ſi jus tuum, ſi rem tuam læſit; Deo gratum munus facturus; dimitte: omnino autem, niſi DEO ingratum omne tuum munus venire velis,

dimitte.

(* * *)

In feſto BeatisSimæ Virginis Viſitantis.

Beatam me dicent omnes generationes. Lucæ 1.

SI Apelles eſſem, ſcio, qvid facerem Academici. Illum imitarer pictorem, qvi non minùs ingenioſo, qvam pio pennicillo mundi Redemptorem in Calvariæ Monte ſublimem, crucis ligno ſuffixum efformavit, ſuo qvidem pretioſiſſimo ſangvine, terras irrigantem univerſas, ſimul vero ſubmiſſimo vultu, Deum Patrem, pro ſalute mortalium deprecantem. Circùm montem innumera viſebatur gentium multitudo; ibi ex Europa, & Italus, & Hiſpanus, & Germanus, & Gallus, & Ungarus, & Scytha. Ibi ex Aſia & Palæſtini, & Medi, & Perſæ, & Arabes, & Indi, & Japones. Ibi ex Africa, & Æthiops, & Maurus, & Ægyptius; & Barbarus. Deniqve ex America ibi Peruanus, Mexicanus, Braſilus, Calfurnius, & ſi qvos fert homines nova Francia, nova Britannia, nova Andaluſia, nova Hiſpania. Omnes verò iſti intentis in ſacratiſſimam Chriſti effigiem oculis, vivaciſſimà oris compoſitione loqvi videbantur, ac dicere: Crucifixus etiam pro nobis, Crucifixus etiam pro nobis, etiam pro nobis, pro nobis. Qvo facto Artifex ille expreſſum in tabula voluit, qvod D. Joannes in epiſtolarum ſuarum prima c. 2. ſcripſit: Filioli mei, ſi qvis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, JEſum Chriſtum juſtum; ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.

Si inqvam Apelles eſſem, efformarem ego hodie mundi Dominam, Cœlorum Reginam, Sanctiſſimam DEI Matrem, inter Montana Judææ ſublimem, gratias ſuas in Orientem, atqve Occidentem, Septemtrionem, atq; Meridiem, & qvo vix Boreas, Africusve eat, è largiſſimo ſinu diſpergentē. Accurreret inde Europa cum ſuis, inde Aſia cum ſuis, inde Africa, inde America cum ſuis incolis, & tot laliis, & vocib9, quot mundus inſtructus eſt capitibus, inclamaret Matri Virgini: Benedicta tu inter Mulieres Benedicta, Benedicta, inter mulieres Benedicta. Hoc Italus, hoc Hiſpanus hoc Gallus, hoc Germanus, hoc Medus, Perſa, Arabs, Indus & Japon, hoc Ægyptius, hoc Barbarus, hoc Peruanus, hoc clamaret omnis Americanus. Qvid ità? ut exprimerem, quod Spiritu Prophetico plena, de ſeipſa edixit DEI Mater Lucæ 1. Beatam me dicent omnes generationes. Hæc enim eſt illa, de qua pientiſſimus ille Bernardinus, de Buſtis, ſcripſit: Beatam te dicunt omnes generationes; qvia omnib9 generationibus vitam, gratiam, gloriam contuliſti. Mortuis vitam, peccatoribus gratiā, miſeris gloriam. Maria omnibus omnia facta eſt, inqvit Mellifluus Serm. 1. de Aſſ. ut de plenitudine ejus accipiant univerſi, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam juſtus

gra-

gratiam, Angelus lætitiam; deniqve tota Trinitas gloriam. Tu ſpes certa miſerorum, alloqvitur Dei matrem Petrus Comeſtor; Vera Mater orphanorum, Tu levamem oppreſſorum, medicamen infirmorum, omnibus es omnia.

Nempe, qvemadmodum cœteri Sanctorum qvidam rivuli ſunt ex illa infinitæ liberalitatis plenitudine deſcendentes; Maria verò immenſus ille Nilus, vel potius ipſus omnium virtutum, gratiarumque Oceanus; ità Cœlites coluntur qvidem nunc ab his, illisve populis, qvibus ſua patrocinia præſtare conſveverunt; verum Magnam illam Dei Matrem, velut interminatum quoddam omnium cœleſtium chariſmatum Mare, orbis veneratur univerſus.

Intellexit id divinitus inter virgines, magis virgo Diva Gertrudis, quæ die Annunciationis, cùm in officiis matutinis ſolenni ritu intonat Angelicum illud: Ave Maria; in mentis exceſſum abrepta, tres conſpexit rivos velut effluentes ex abyſſo incomprehenſæ Trinitatis, qvorum primus à Patre, alter à Filio, tertius denique à Spiritu Sancto in Cor diviniſſimæ Virginis, ac Matris Dei pleno ſeſe gurgite præcipitabat; & ille qvidem ſummam potentiam, alter ſummam ſapientiam, poſtremus verò ſummam vehebat benignitatem; certo myſterio; Mariam eſſe illud mare, in qvod præcipua quæqve intrent flumina; ex qvo rurſum per diverſa itinera, meatusq;, in qvosvis cœlites, mortalesqve diffundantur, diſtribuanturqve. l. 4. inſinuat. c. 12.

Eſt ſua cœleſtibus Spiritibus puritas, ſua Patriarchis fides, ſua Prophetis futurorum notitia, ſuus Apoſtolis Zelus, Martyribus patientia, Confeſſoribus ſobrietas, virginibus innocentia, viduis humilitas. Sed audiamus, quid vel Idiota (lib. Cont. de B. V. c. 2. de Matre DEI ſcripſerit. Non defuit, inquit, Tibi ô Maria puritas Angelorum, non fides Patriarcharum; non ſcientia Prophetarum; non Zelus Apoſtolorum; non patientia Martyrum, non ſobrietas Confeſſorum, non innocentia, aut humilitas Virginum. Qvodcunque alicui ſanctorum unquam datum fuit, tibi non fuit negatum, ſed omnium ſanctorum privilegia omnia habes in te congeſta. Omnia flumina intrant in mare, inqvit D. Bonaventura (in ſpec. c. 3. dum omnia chariſmata intrant in MARIAM. De Vetere Roma l. 4. eleg. cecinit Propertius; Omnia Romanæ cedant miracula terræ, Natura hîc poſuit, qvidqvid ubiqve fuit. Nos dicamus; omnia Virgineæ cedant miracula Matri, hîc cœlum poſuit, qvidqvid ubiqve fuit. Eſt ſuus Bohemiæ Patronus D. Wenceslaus. Suus Moraviæ D. Cyrillus, & Methudius. Sua Sileſiæ D. Hedwigis. Suus Auſtriæ D. Leopoldus, Poloniæ D. Stanislaus, Ungariæ D. Stephanus, Galliæ D. Ludovicus, Angliæ D. Thomas Cantuarienſis, Hiſpaniæ D. Jacobus, Italiæ D. Petrus, & Paulus. At enim verò, loquitur rurſum doctiſ-

Digitized by Google

ſimus Idiota: Beata Virgo Maria, ſicut eſt omnium Regina, ſic eſt omnium Patrona, & Advocata, & cura eſt illi de omnibus. Maria, pronunciat D. Ephrem. de laud. B. Virginis. Eſt totius orbis terrarum reconciliatrix efficaciſſima. Tibi Tibi ô Virgo, (Atlas Marianus in præf.) famulantur Europa, Aſia, Africa, & America, quæ es Patrona orbis univerſi. Tibi fluunt fontes, & ſcaturiunt flumina, quæ es fons ſignatus, & puteus aqvarum viventium. Tibi ſurgunt montes, & deprimuntur valles, quæ es lilium convallium, & deſiderium collium æternorum. Tibi omnia virent, florent, frondentqve, quæ es arbor paradiſi, & gentis arboreæ Domina. Tibi denique ô cœli, terræque Regina, flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Eſt ſuus mortalibus apud Deum Patronus, in rebus deperditis D. Antonius de Padua; in periculoſis incendiis D. Florianus, in dentium cruciatibus D. Apollonia, in mortis doloribus D. Barbara; in rebus deſperatis D. Judas Thaddæus, in caſtitatis certamine D. Joſephus Chriſti Nutritius: At enim Maria, inquit S. Joannes Damaſcenus. Orat. 1. de Nati. B. V. eſt fons univerſo orbi medicinam afferens. Ille, crediderim, fons, de qvo Gen. 2. fons aſcendebat è terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ; Neqve enim Dei Matris beneficia, aliqva mundi clauduntur portione, ſed decurrunt inſtar illius inexhauſti fluvii, qvi egreſſus de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, inde dividitur in qvatuor capita, qvibus ſeſe, quà latè patet, mundo infert univerſo.

Videamus, ſi comparatio aſſumpta, quid veritatis habet. Nomina illorum qvatuor orbem terrarum circumambulantium fluviorum, erant: Phiſon, Geon, Tigris, & Euphrates. Phiſon, idem latinis, qvod Abundatia. Verè Phiſon, verè Abundantia ſuperefluentiſſima Maria; ſic enim de illa D. Sophronius [ſerm. de Aſſumpt.] Cæteris per partes præſtatur, Mariæ autem ſe totam ſimul infudit gratiæ plenitudo; Geon idem qvod latinis pectus eſt. Verè Geon, vere pectus Maternum, Maria, qvam Virginem Mitem, virginem dulcem, Amabiliſſimam Matrem, & Matrem miſericordiæ ſalutat Eccleſia. Tigris idem, qvod celer denotat: verè Tigris, verè celerrima in beneficiis Maria; exurgens abiit ad montana cum feſtinatione ſcriptum eſt apud Evangeliſtam Lucæ. 1. Euphrates deniqve idem eſt, quod fertitis, verè Euphrates. Verè fertitis Maria, de qua natus eſt JESUS, qui vocatur Chriſtus. Ecce fontem univerſo orbi medicinam afferentem.

Veritatem hanc ut ex propinqviori intueamur, luſtremus Academici Europam noſtram, tum etiam, ſi placet tantiſper Aſiam, Africam, & Americam inſpiciemus. Imò Aſiam primum hoc enim Magnæ illius Matris Solum natale; ibi

ibi Palæſtina, in qva virgo hæc concepta, & enutrita, ibi ab Angelo ſalutata, & Mater DEI renunciata, ibi qvem verbo concepit, eundem ſæculorum Redemptorem genuit, atqve ſuis caſtiſſimis, lacte de cœlo plenis uberibus enutrivit. Hæc eſt illa benedicta patria, qvam mundi Domina, Cœlorumqve Regina ſuis calcavit pedibus ſuis ſanctificavit moribus: erudivit verbo, firmavit exemplo; ac demum ſacratiſſimâ morte conſecravit. Hæc illa terra, cui virgo Domum illam, in qua verbum caro factum, tot miraculorum conſciam, per continuos mille ducentos, & nonaginta annos, ſparſis non modo in omnem Aſiam, ſed qva late patet, orbem univerſum beneficiis indulſit, conceſſitqve. Qvin igitur Aſia exclamet univerſa; Benedicta, ô Benedicta tu inter Mulieres.

Si Africam, alteram habitati mundi portionem ſpectemus; ibi Magna DEI Mater urbem Chriſtianorum, Diunum, Anno 1546. prælongâ, eaqve graviſſima obſidione afflictum, cùm ſuper turris apice ſeſe radiis illuſtrem, hoſtibus terribilem, amabiliſſimam domeſticis conſpiciendam exhibuiſſet, metu, & adverſario ſimul, præſentiſſimo auxilio liberavit. Ibi illa Anno 1556. Regi Monomotupæ tunc adhuc cultori idolorum per ſomnium de ſuſcipienda Chriſtiana Religione Lumen cœleſte infundere viſa; qui Ductricem ſuam Divam ſecutus, cum Regina Matre, trecentisqve ſuorum Miniſtrorum primipilis ſacro baptiſmate initiari expetiit. Ibi illa A. 1585. cùm Africana Maria navigaret Jeſu Societas, graviſſimam tempeſtatem invocata ſedavit; illarumque terrarum gentibus innumeris ſuccurrit beneficiis. Qvidni igitur Africa exclamet univerſa: Benedicta Tu, ô Benedicta!

Si Americam, eoq; pertinentes inſulas ſpectare libet; & ibi Maria Benedicta inter Mulieres. Habet Magna Canaria, Beatiſſimæ Virginis Effigiem de Candelaria dictam, cœleſtibus gratiis, ac favoribus inter primas inclytam: Habet terra Araucana, in Regno Chile Thaumaturgam Virginis ſtatuam de Arauco, quàm plurimis beneficiis claram. Habet & Mexicum, una cum Eccleſia, quam ſibi Virgo ipſa exſtrui petiit; diverſis gratiis illuſtrem Deiparæ Effigiem; & ut multa præteream; Habet vallis Lega, Miraculorum patratricem Virginem de Ligua dictam, quæ per campos ſiccitate laborantes circumlata, duros & æneos cœlos, non ſemel in molles pluvias liqvefecit. Et qvidni jam qvoqve dicat America: Benedicta Tu inter mulieres.

Verùm propinqviora ſpectemus; Europam noſtram [inqvam] quæ Marianorum beneficiorum qvoddam aut qvotidianum diverſorium aut perpetuum domicilium eſt. Hoc Italia. Hoc Sicilia, hoc Hiſpania, Gallia, Anglia, hoc Lithuania, Polonia, Ungaria, Moravia, Bohemia, Sileſia, & Auſtria, hoc univerſum

loqvi-

Digitized by Google

loquitur Germanicum Imperium. Una Urbs Roma miraculis plenas numerat Beatiſſimæ Virginis effigies 73. una urbs Venetiarum 45. una Neapolis 72. una Bononia 93. ſuntque per univerſam Italiam ſacræ ejusmodi aut ſtatuæ, aut penicillo effigiatæ Icones 463. Quarum illa celeberrima, quæ Lauretana dicitur, maximorum mirabilium, beneficiorumqve Marianorum largiſſimum compendium. Hæc eſt illud gazophylacium, unde theſauros beneficentiæ ſuæ in qvoslibet populos, & nationes Mater DEI profundere conſvevit. Innumeri ſunt, qvos illic invocata cœlorum Regina ex periculis fluminum, ex periculis latronum, ex manibus piratacum, ex carceribus adverſantium, eripuit; quos à furore dæmonum, ab animi intemperie, à corporis graviſſimis malis liberavit; quibus mentis lumen, conſcientiæ tranqvillitatem, fidei veritatem, & quas ſolum cœlum novit, gratias infudit, tantâ copia, ut à nemine tam multa, tamqve magna dici poſſint, qvin multo plura, & majora dictis ſuperſint, inquit Horatius Turſellinus Lauret.hiſt. l.5. c. 28. Illud ſingulariſſimum in Italiam Virginis Maximæ, æternum eſt beneficium, quòd cùm ædes illa ſacra, quem DEI filius ſanctiſſimâ ſua Incarnatione omnibus venerandum reddidit, ex Aſia in Europam, Angelicis manibus deferenda eſſet, tandem A. 1295. hujus Sanctiſſimæ voluntate in Piceno, Italiæ fundo reſederit? ibiq; jam propè qvartum ſæculum ſtabilis permanſerit; obſervatumqve fuit usq; ad Pauli III. Summi Pontificis, in feſto ejusdem Naſcentis Virginis quotannis ſplendidum, jubar, quaſi Cometam ſuper ædem illam de cœlo venire, totumqve aerem illuminare. Habenturque ibidem hodiedum una atqve altera campanula, qvas Petra Sancta [de mirac. perpet. c. 4] à cœleſtibus geniis, cum ſacra Nazarethana ædicula Lauretum transferretur unà allatas, affirmat, quæ qvoties cœlum miſcetur tempeſtatibus, ſono ſuo omne malum à vicinia avertunt.

Jam ſi & Regnum Siciliæ luſtremus, deprehendemus illic facilè centum ejusmodi Thaumaturgas Virginis ſeu ſtatuas, ſeu Icones, veluti totidem gratiarum diluvia, quibus exæſtuantis Æthnæ incendia non ſemel reſtincta ſunt. Ex his altera Virgo Tindaritana, ipſa ſibi Siciliam in domicilium legit. Cùm enim Navigium, quo ſacra effigies vehebatur, Tindaritanum portum oberraret, adeò figi cœpit, ut nullis remis, nullis ventis loco moveri potuerit. Itaqve gens Nautica rem divinam verita, ſacram ſtatuam devotiſſimâ ſupplicatione in proximum templum detulère, nec ſinè miraculo: nam ùt primum illa marmoreum ſtratum contigit, adeò profundè penetravit, ut illico veſtigium, qvod hodiedum cernitur in ea ſignaverit. Altera de ſcala ſibi Meſſanam Siciliæ primariam urbem præplacuiſſe monſtravit. Cùm enim regnante Friderico II. Imperatore, Navis

vis de Syria appuliſſet in Inſulam, dictam Imaginem Virginis vehens , adeò in portu fixa haſit, ut abiturientes Nautæ eam nulla arte, aut in loco valuerint ſubmonere. Qvare rem, quæ erat ſuſpicati, velle DEI Matrem Meſſanæ manere protectricem, Effigiem ſtrato ad Navim ponto ſublivio ad litus deferunt; unde ad vallem juxta ſacrarum D. Benedicti Virginum Monaſterium, honorificentiſſimâ qvadrigâ devecta, Inſulam miris beneficiis locupletavit, atq; hodiedum locupletat. Ut taceam, quod piè creditur, DEIparam, cùm adhuc in vivis eſſet, ad Meſſanenſes, [adeò charos habuit] poſtqvam CHRISTI fidem prædicante Paulo Apoſtolo ſuſcepère, dediſſe Epiſtolam, qvà eos in ſuum maternum ſinum recepit, & perpetuam protectricem futuram appromiſit.

Si luſtremus Hiſpaniam, habet illa quotidianum miraculum Thaumaturgam montis ſervati ſtatuam, qui in præclariſſimo, ampliſſimorum Regum munificentiâ exſtructo Deiparæ templo viſitur, circumlucentibus omni tempore lampadibus de argento quinquaginta (ſummorum Pontificum, Imperatorum, Regumque ea munera ſunt) miraculorum, quæ iſthic geruntur, & idoneis teſtibus probatiſſima habentur ſunt, tantus eſt numerus, ut bene magnis voluminibus comprehendi non poſſint. Cæterum ejusmodi gratiarum Marianarum, aut ſtatuas, aut Icones habet Hiſpania 499. Adde Eccleſiam illam, quam D. Apoſtolus Jacobus honori DEI Matris extruxit, cùm ipſa adhuc in vivis exiſtens, Apoſtolo in Hiſpaniis pro Chriſto laboranti, ſeſe videndam præbuiſſet, & urbem Cæſar auguſtam, ubi res agebatur, in patrocinium ſuum, uſque ad finem mundi, recepiſſet. Qvantus verò Hiſpaniæ affectus ſit in Virginem, oſtendunt ejus devotioni ſacrata templa, & oratoria; quorum duo millia unus Aragonum Rex Jacobus extrui fecit; (ex Mariana) & univerſim per Hiſpaniæ Regna, octoginta millia reperiri ſcripſerit Euſebius Nierembergius. l. de amore JESU, & MARIAE.

Sed nunc ad primogenitum Chriſti Regnum Galliæ divertamus. Cùm ſacra Domus Lauretana, ob fratrum diſſenſionem, è Dalmatia aliorſum transferenda eſſet omnes velut, provinciæ Europæ in certamen de tanto theſauro venêre. Mea eſt, dicebat Gallia, quippe primogenita CHRISTI Eccleſiæ ſum. Jure igitur eam ſacram ædem mihi peto. Mea eſt, dicebat Hiſpania, quippe Chriſti fidem ſemel imbuta, illam milleno effuſo ſanguine triſta ſum. Hoc juris affero. Mea eſt dicebat Germania, ſummum quippe decus, Imperatorio debetur ſolio. Mea eſt dicebat, Italia ſiquidem Eccleſiæ ſuæ caput apud me eſſe voluit ipſe dominus? Ità aliæ, & aliæ. Sed omnibus felicior una, ut dictum

eſt fuit Italia; illicoqve Domus, quæ nuper nocte non amplius unâ, Angelicis manibus, per duo ferè Italiorum milliarium millia ex palæſtina, per mare, per terras, per inhoſpita Regna, delata fuerat in Dalmatiam, in momento media ſiſtitur in Italia. Nè tamen, fortè, per funeſtum amorem quidpiam moveret Gallia, in vicem hujus theſauri, Regno illi addictæ ſunt effigies Thaumaturgæ Virginis facilè 263. omnes cœleſtibus beneficiis inſignes, ac præſertim illa Anicienſis ſtatua, quam ipſe ſanctus Propheta Jeremias, cum Ægyptiis venturum ex Virgine Meſſiam annunciaret, de ligno fabricâſſe fertur; inque mnemoſynon abiturus reliquiſſe cum dicto: tunc omnia idola conferenda, cùm infans de Virgine, cujus illud ſimulachrum figura eſſet, naſceretur.

Denique, ne ſim longior, in compendio dicam, quod ſolum ad probandam rem meam ſuffecerit; nempe, ejusmodi miraculorum patratrices Virginis aut ſtatuas, aut Icones, quibus gratias ſuas velut quibusdam rapidiſſimis fluviis in mortales & ſua beneficia diffundit Mariana liberalitas, haberi in Anglia 14 in Lithuania 14. in Polonia, 25. in Sileſia 4. in Moravia 8. in Bohemia 42. in Italia 463 in Hiſpania 499. in Gallia, ut paulo ante memini 263. in univerſa Germanica 588. in univerſa denique Europa ultra bis mille: ut neſciam, quid ad exprimendam aut Dei genitricis in nos beneficentiam, aut noſtram felicitatem, majus dici poſſit.

Qvot verò, quantæque ſint illæ, quæ de his theſauris indies ſumuntur gratiæ quis expreſſerit? unius Wartenſis Thaumaturgæ, per quinquaginta retro elapſos annos, recenſet Bohuslaus, Balbinus, ultra mille trecenta, & viginti miracula (in hiſt. de Wartenſi B V.) interque alios, ait ope invocatæ Virginis reductos. Amentes 32. deſperabundos 14. Capite afflictos 50. ſtrumoſos 31. prorſus cæcos 20. ſurdos 5. aurium doloribus laborantes 4. mutos 6. chiragricos 24. podagricos 73. claudos uno pede 17. claudos utroq; 3. caducos 113. febribus lethaliter infectos 5. conſveta febri dolentos 25. peſtilentiâ afflatos 3. leproſos 5. conclamatos 410. captivos eliberatos 3. mortuos ad vitam ſuſcitatos quatuor. De mirabilibus verò ſancti montis in Bohemia ſiti, idem cecinit: Jam ſic prodigiis ſancti eſt Dea cognita Montis, prodigium, qvi non crederet, ipſe foret.

Quæ cum ità ſint Academici, quid ſapientius hoc bellorum, tumultuumqve tempore, quam ut ad Regnorum Chriſtianorum Protectricem Dominam univerſi recurramus, cumqve Gregorio Nicomedienſi (Serm. 7. de B. V.) eam ità alloquamur.

Vides univerſam Chriſtiani populi ſpem ex te pendentem, ô Benedicta, mil-

millieſquæ iterum Benedicta inter mulieres, Virgo ſanctiſſima. Fac potentiâ tua ut bene illi, ac proſperè cedat. Nullum aliud perfugium habet à malis occupantibus, excepto duntaxat in expugnabili tuo auxilio. Qui rerum ſummâ potiuntur ſuam tibi ſpem addixerunt : te armorum univerſorum loco opponunt. Scutum te, ac lovicam circumpoſitam habent, coronamque gloriæ circumquaqve geſtant; ſui Te Imperii poſuerunt vallum; Tibi ſceptra, regni crediderunt. Exurge in virtute magna, in conſpectu populi, tuique inimicos diſcipa Filii, ut ab eorum impio furore liberari, communem lætitiam, ac exultationem agamus, tuumque pariter glorioſum, ac ſupra modum deſiderabile nomen magnificemus.

O millies, iterumq; millies Benedicta,
O Clemens,
O Pia, ô Ducis
Virgò MARIA.

In-

Digitized by Google

ni officium revocare. Placetne inqvam Academici, eos ad conſeſſum veſtrum admitti.

Ergo Reverende Domine, intrate. Domini Academici; hæc Deo ſacrata perſona eſt, quam proinde, omni honore, omni reverentia, atq; obſeqvio proſeqvi dignum, & juſtum. Eſt præterea hic vir in paucis egregia virtute, & ſapientia; in hoc ſolum infortunatus, qvòd nuper neſcio qvis Academicorum, hominem præteriens, eum nulla conſvetâ ſalutationis formula reveritus ſit. Inde illi melancholia, & ferè inſania. Audiamus, qvid offerat.

Quomodo habemus Reverende Domine? quid tam melancholici, tam tetrici, & ſi divinare auſim, quid tam irati? Et qvis bilem premat, inquit: nulla amplius Cleri reverentia, nullus honor, nulla obſervantia; ubiqve contemnimur, ubiqve cum Apoſtolo, perripſema ſumus usqve adhuc. Adeò ipſi, quos aliquando omni beneficiorum, ac benevolentiæ genere proſecuti ſumus, nos deſpectos habent. Si Camilla, ſi Ludimila, ſi Sibylla de feneſtra proſpexerit, de longè videtur, agnoſcitur, ſalutatur: nos cùm etiam capite pœne in homines impingimus, velut nusquam viſi, nusqvam obſervati præterimur. O ubi Conſtantini tempora; qvando ſacerdotem Imperator a tergo ſeqvebatur. O ubi dies Thedoſorii, ubi ſedente præceptore Arſenio, Honorius & Arcadius Imperatoriæ proles ſtare jubebantur! Nunc ſi Clericus obviam fit, adeſt Stephonius, præterit Stephonius, in Clericum cubito tenus impingit Stephonius; & neqve pileum movet Stephonius. Verum enim verò, non impunè mihi hæc fecit Stephonius. Deſcripſi hominem amicis inimicis, domi foris, apud propinquos, & remotos: idqve facturus ſum, dum aliqva mei portio futura eſt, dum in memoria hominum erit Stephonius.

Agnoſco pondus cauſæ Reverendæ Dominationis Veſtræ; neqve mihi placere unquam potuit hodierna quorundam Academicorum Urbanitas. Dubio proul in honore habendæ ſunt perſonæ, quæ ſe, ſuaque omnia Deo conſecravère in obſeqvium; neque unquam eorum Adoleſcentum humanitatem commendare poſſum, quibus ità pileus capiti, quemadmodum ipſum caput cervici accrevit. Hoc nihilominus mihi mirum, quòd Reverenda Dominatio Veſtra eam rem tantopere in animum admiſerit, ut offenſam aut oblivisci non poſſit, aut remittere nolit.

Si Reverendus Dominus adfuiſſet nuperæ meæ tenui Exhortationi Academicæ; audiviſſet, adeò purum eſſe cœlum, ut neqve Sacerdotum ſanctiſſima ſacrificia Deo ſint placitura, ſi ab iratis venerint. Audiviſſet illud ex 1. Joh. 2. omnis, qvi odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ex epiſtola S. Jacobi c. 1. Judi-

Digitized by Google

cium ſinè miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam; audiviſſet qvoque, quam ob cauſam Deus à ſuis ſacrificiis omno fermentum abeſſe voluerit, ut eſt Levitici 2. & qvam ob cauſam ſibi Deus ſpecialiter pro ſacrificio, fellis, iracundiæque expectem columbam offerri præceperit ùt eſt Lev. 15. Audiviſſet, qvomodo mundi Redemptor inter extremos vitæ halitus pro Crucifixoribus ſuis Patrem oraverit dicens: Ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. Et qvomodo Divus Joannes Eleemoſynarius ab ipſo altari receſſerit, ut Clerico quem ſibi offenſum rebatur, reconciliaretur; actum primùm miſſæ ſacrificium perfecerit. Deniqve ex Leontio didiciſſet Angelorum eſſe nunquam litigare; hominum altercari quidem, ſed mox reconciliari: dæmonum verò, iraſci ſemper, reconciliari nunqvam.

Verùm iſta nuper. Nunc, ſi placet, unà conſideamus. Sedeat qvæſo Reverenda Dominatio veſtra Adhucnè meminit, quod Jonæ capite qvarto legitur ubi Divina Majeſtas Prophetam hiſce ſonantibus verbis percellit: putasne bene iraſceris tu? præparaverat, ut habet ſacer textus, Dominus DEUS hederam, & aſcendit illa ſuper caput Jonæ, ut eſſet umbra ſuper caput & ejus protegeret hominem adverſus ſolis æſtus & ardores, tunc plurimum fervidi: & lætatus eſt Jonas ſuper hedera, lætitiâ magnâ. Sed ecce, paravit etiam Deus vermem aſcenſu diluculi in craſtinum, & percuſſit hederam, & exaruit; cumq; præ indignatione mortem venire optat Jonas, dicit illi Deus: putasne bene iraſceris tu? Eſt Veſtra Reverenda Dominatio, Venerabilis Jonas, olim futurus Propheta Domini in nationibus; Hederas autem ego Adoleſcentes voco, qui quamdiu annis tenelli, virentesqve ſunt, non uni Jonæ gratiam umbram præſtant; toti amabiles, toti civiles, & curiales; ità ut Jonas lætetur ſuper hedera, lætitiâ magnâ. At ubi excreverunt, ubi ex Humanioribus ſcholis emersère, neſcio quo maligno verme percuſſi exareſcere occipiunt, omnem ponentes civilitatis decorem; omnem exuti modeſtiam. Verùm omnesne idcirco Jonæ mortem venire optabimus, ideone vivere nolimus, quòd hæc vel illa nobis hedera exaruerit? aut hæccine noſtra eſt ſapientia, ut omnes eos inviſos habeamus, qui ſeſe nobis in umbraculum non porrexerint? aut tanti nobis erit aliquod de trivio inclinatum caput, ut ſi ſe erexerit, illi niſi iraſci non poſſimus? Aut tam vilis nobis eſt anima hominis, ut hoc ipſo perditam velimus, quia orientem ſolem non illico ad primos adoravit intuitus?

Demus autem à Stephonio, non modò præteritam Veſtram Reverendam Dominationem, ſed & graviter læſam; ſed memorabili injuriâ offertam; imò & bonis ſpoliatam; imò & in corpore grande malum ab eo paſſam: quid igitur?

tur? an extra mundum idcirco furibundi feremur; aut Stephonium è mundo ſublatum volemus? Quantum mihi divinare licet, agnoſco in veſtra dominatione Theologum, & qui ſacra ſcripturarum volumina ſubinde inſpexerit. Qvid igitur habet Levitici caput decimum novum. Annon ibi dicitur: Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum, ego Dominus. Annon Proverbiorum 24. dictum eſt: nè dicas, quomodo fecit mihi, ſic faciam ei, & reddam unicuique ſecundum opus ſuum. Annon ipſe Mundi Salvator Matthæi 5. edixit. Ego dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam, præbe illi & alteram. Annon Gentium Apoſtolus ad Rom. 12. qvemvis noſtrum voluit commonitum: nulli malum pro malo redde: noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Et 1. ad Theſſal 5. videte nè quis malum pro malo alicui reddat; ſed ſemper, qvod bonum eſt, ſectamini invicem & in omnes!

Difficilia ſunt hæc, quæ præcipiuntur; ſed difficiliora, quæ niſi obſequimur, ſequentur! ſed adhuc! nonne Veſtra Reverenda Dominatio aliqvid audivit de jure Canonico, ità quidem cenſeo. Inſpiciat igitur quæſo Clementinam, ſi furioſus; de Homicidio. Item caput; de Diacono, titulo; qui Clericum, & caput; nè Clerici, vel monachi. Item c. 1. q. 1. canone: ſicut urgeri; & Caput: ſi aliqvis. De Homicidio; & præter alia canonem, ſi quis voluntarie. Diſtinct. 50. & mirabilia hiſce locis, quæ ſapientiam Chriſtianam ſapiunt, inveniet.

Demum, quia vel ſacratiſſimo ſacerdotio initiatum, aut propediem initiandam Veſtram Reverendam Dominationem ſuſpicor; recogitet velim, qvod Chriſtus Dominus Sanctæ Brigittæ aliqvando de ſacerdote indignè ad altare Domini accedente edixit, ut habetur lib 1. revel. c. 47. Ille presbyter, pro qvo tu oras, cùm accedit ad altare, tunc averto faciem meam ab eo, & ad latera ejus adſtant dæmones, cujus & animam inhabitant; quia ipſa eſt mortua ante me; & quæ ibi ad horripilationem ſequuntur. Hæc, & his ſimilia perpendat Reverenda Dominatio Veſtra, & ubi ea profundè in animum immiſerit, mihi quæ fortè occurrent in contrarium, cum tempore aperire non gravetur. Interim bonâ ejus venia me converto ad Juris Studioſum, noſtrum Dominum Sempronium.

Domine Semproni intrate. Academici, homo hic antiqui ſanguinis, & de glorioſis majoribus eſt; nec minus ingenio, dotibusqve naturæ, quàm divitiis valet. Magna ſpes parentum, & magnum patriæ futurum fulcrum, ubi de privato in publicum prodierit. Amo hominem, ex quòd moribus eſt facil-

facilliſmis, & quòd à pietatis exercitiis minimè abhorreat. Audiamus, quid afferat? ſitnè actio Confeſſoria, an negatoria, perſonalis an, realis; Publiciana, an ſerviana? loquitur: auſcultemus.

Sunt, inqvit, qui me nunquam turbari, nunqvam iraſci vellent; atque ità me vel inter materiæ expertes Angelicos ſpiritus, vel inter brutos lapides, aut metalla conſtitunt: quorum illi mortalium vituperia nequidquam penſi habent; hæc percipere non poſſunt; quid mirum ſi nec ſentiunt. At enim ego, & homo ſum, uti rationis capax, ſic animal iraſcibile, & affectibus ſubjectum: & cùm talis ſim, nihil humani alienum à me puto. Qvanquam ſi vel brutum eſſem, quis iraſci vetaret? quando & hiſce ratione privatis animantibus ſua ira, & ſua arma ſunt. Vim vi repellere, omnes leges, & omnia jura permittunt, ùt habetur L. ut vim. A. de Juſtitia, & Jure. Vellent tamen homines, nè quid meis adverſariis ſuccenſeam, qui mihi non modo ingrati, ſed auſim dicere, crudeles exſtitère. Rem paucis dabo; nam ſcio brevitatem doctis ſemper placuiſſe. Amici nuper ad Symbolum conveneramus; & quòd amicorum eſt, menſis accuberamus convivæ; cùm ecce Florentius alioquin unus è mihi chariſſimis, per viliſſimum Scomma, Bacchum meum in aquam cecidiſſe dixit; tanquam vinum, quod præſtantiſſimum propoſuerām, aquâ perluiſſem: nec diu fuit, cùm menſis ſalinum deeſſe arguit, quòd hoſpites abſque leporibus haberem; tacito hæc quidem contemptu; ſed qui pro expreſſo haberi poſſit; ut eſt in C. Nonne. De præſumptionibus. Atqui heri etiam factum recipio, caniculum meum domo Florentii furibundè ejectum, ac pœne mactatum? quod etſi per familiam actum feratur, tamen meritò tanquam à Florentio profectum accipio: quod enim quis facit per alium, per ſeipſum facere cenſetur. Ut habetur c. qui per alium de Regula Juris in 6. Verùm non impunè me læſerit; parùm erit hominem illum æternum non alloqui, niſi ſimul brutum illud ubique gentium ſuis coloribus depinxero. Scio quid in Florentinm poſſim: adhuc hodie has manus, hoc ferrum ſentiet.

Perge ira, perge! & magna meditantem opprime!
Congredere; manibus ipſa jam lacera tuis.
Quid tanta mandas odia? diſcedant feræ;
Ipſe imperando feſſus Euriſtheus vacet.
Titanas auſos rumpere imperium Jovis
Emitte! ſiculi verticis Laxa ſpecum.
Per viſcera ipſa quare ſupplicio viam!
Si vivis anime, ſi quid antiqui tibi

Re-

Remanet vigoris? pelle fœmineos metus:
Et in hoſpitalem Caucaſum mente indue!

Domini Academici, noſter Sempronius, ut video, aliqvando pro theatro aut furentem Junonem, aut trucem Medeam dederit; adeò tragœdum Senecam loqvitur. Quià tamen cauſam ſuam juribus propugnat; jure cum eo, & legibus agendum eſt. Itaqve Domine Semproni, meminiſtisnè, qvod habetur L. non omnis A. de regula Juris. Actus agentium non debet operari ultra eorum intentionem. Si igitur amicum jocum facere intendit ille veſter Florentius, ſi lædere non voluit? qvid eſt, quod menſalem Leporem tam inviſum habet D. Sempronius. Dicetis: de hoc qværimus, annon lædere voluerit. Bene eſt; accepto doctiſſimam reſponſionem; & arguo ulterius: ſi igitur de hoc quæritur, ergo Legem. Semper ff. de Regula Juris inſpiciamus, ubi docemur in dubio benigniorē interpretationem faciendam eſſe. Et certè ex c. non ſatis. Diſtinct. 8. promptiones ad abſolvendum, quàm ad condemnandum nos eſſe oportet.

Deinde, nonne Domine Semproni, menſam apparâſtis, amicum provocâſtis, illam ingenii totem, illud ingeniorum, ut Horatius loqvitur, lene tormentum, vinum inquam liberaliter propinâſtis; qvid igitur pronum magis erat, quam ut etiam ad menſales ſales invitâſſe cenſeremini. Conceſſo enim principali, etjam acceſſorium conceſſum intelligitur; ùt habetur L. nec non §. qvod ejus ff. tit. in quibus cauſis major. Quorſum igitur veſtræ iræ 5. præſertim, qvando ſcienti, & volenti injuria contingere non poteſt ut, eſt de regula juris in 6.

Sed Familia Florentii caniculum veſtrum domo exegit, ac pæne ſuſtulit: quaſi verò id ſine ſcitu, ac juſſu Florentii fieri ità, non potuerit. Certè ſecundum Regulam juris in 6. præſumitur ignorantia, ubi ſcientià non probatur. Et ut habetur L. merito ff. pro ſocio. In dubio non debet præſumi delictum, qvod cùm ità ſit, neſcio, qvomodo veſtra generoſa Dominatio, tam male compoſito ſit erga Florentium animo. Siquidem ut dicitur C. cauſâ, de Appellatione cauſa ceſſante, deberet ceſſare effectus.

Verum demus, Florentium peccâſſe in meum dilectiſſimum Sempronium: joco ſcilicet aliqvo plus falſo, qvam menſales cibi requirebant; exactum etiam eſſe Florentii juſſu è domo caniculum. Ideone immortales erunt noſtræ iræ, quæ niſi alterius morte extingui non poſſint. Nonne c. non afferamus cauſâ 24 q. 1. & L. Sancimus, in C. de pœnis, dicitur; pœna debat commenſurari ſuo delicto. Quantillum autem eſt, quod peccavit Florentius? jocum menſæ intulit: verbo, nihil mali cogitans, læſit: caniculum, fortè petulicentem, domi ſuæ eſſe, paſſus non eſt. Ergo pereat omnis illa vetus noſtra amicitia, pereat dulcis,

conſvetudinis habitæ memoria; pereat honeſti, decoriqve ratio: pereat deniue Florentius. Sedeat quæſo Dominatio veſtra; & pro aliqva animi diverſione Trajani Imperatoris textum inſpicere non pigeat, qui habetur L. Abſentem. ff. de pœnis: ſatius eſt impunitum relinqvi facinus, qvàm innocentem damnare.

Jam ergo & veſtra Generoſa Dominatio, Domine Pantaleon intrate! Academici. Hic homo Bellonæ Filius, Martis pullus eſt. Vix natus, ad arma proclamavit. Cùm alii vagirent, alii cunas ſuas deflerent infantes, hic jam tubam inflabat: & aliis lallantibus, ipſe canebat claſſicum. Natus miles, non factus; omnis illi artus, loco haſtæ aut acinacis datus eſt. Jam decimum militaribus expeditionibus interfuit; ſemper victor, ſemper Ovator. Nec modò tergum, ſed & pectus plenum ab hoſte retulit. Neque hodie niſi martem, & mortem ſpirat, ſed ejus, quem hoſtem domi nactus eſt. Difficilem ſpartam expugnandam in hoc homine ſuſcepimus. Sed tentemus!

Bene me, bene te, Generoſe Domine. Salvàne, & pacata ſunt domi veſtræ omnia? Erunt, inquit, poſteaquam beſtia illa terram momorderit. Non parco, non ignoſco, qvantumvis cœlos orco permiſceri oporteat; qvamtumvis omnia in vetus redire nihilum. Parùm erit, hominem non alloqui, non reſponſo dignari; aſpero tueri oculo, caperare frontem, proſcindere verbo; conficere pugno: ferro opus eſt: & tu beſtia aut hodie meo, aut ego tuo hærebo in jugulo. Hoc hoc hodie mutebis beſtia ferro. Audiat quæſo Reverendus Dominus Concionator: Eſt mihi equus Aſturco, generoſus ille, & qui ſi ſceptra pateretur, hoc animantium genus, Regem referre poſſet; de veterrima proſapia eſt, geniiq; qualem Neapolitanus ager caballis ingenerare ſolet; recentes illi anni, corpus gracile, rara juba, & ingens colli decus. Hunc à me furto ſublatum eſſe, objectare auſus eſt Francolinus. Per ſuperos, & inferos: non fero injuriam: condictum duellum, conducti patrini; condictus & locus eſt. Nunc ſolùm hominem præſtolor; cujus præſentia faciet, ut aut ille, aut ego prior ſciam quid apud inferos agat Diogenes!

Mitius iſta viris! Generoſe Domine! mitius inquam. Sumus in terris Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ; ubi quovis duellum, de quo meminiſtis ſub graviſſimis pœnis, nec non perpetua infamia, ac omnium bonorum confiſcatione, prohibitum eſt. Nolim vobis ipſe author ſitis infortunii: ſeu vincitis ſeu vincimur; non modò de vobis, ſed & de veſtro generoſo illo equello actum eſt. Adhæc, fortè neſcitis, quid ſacroſanctum Concilium Tridentinum, quid ſanctiſſimus Pontifex Gregorius XIII. in Bulla: ad Tollendam: quid Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit: Illius vices, in duellantes ſtatuerint. Placetne ſaltem deciſionem Tridentini ex ſeſſ. 25. c. 19. audire. Sic ergo ibi habet: De-

Deteſtabilis duellorum uſus fabricante diabolo, introductus (auditis?) ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunqve alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachium in terris ſint inter Chriſtianos conceſſerint, eô ipſo ſint excommunicati; ac jurisdictione, ac Dominio civitatis, caſtri, aut loci, in quo, vel apud qvem, duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, privati intelligantur: & ſi feudata ſint, directis Dominis ſtatim acqvirantur. Qvi verò pugnam commiſerint, & qui eorum patrini vocantur: excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta ſacros canones puniri debeant, & ſi in ipſo conflictu conceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepulturâ. Illi etiam, qui conſilium in cauſa duelli, tam in jure, qvam facto dederint, aut alia quacunqve ratione, ad id quenqvam ſvaſerint; nec non ſpectatores, excommunicationis, ac perpetuo maledictionis vinculo teneantur: non obſtante qvocunqve privilegio, ſeu pravâ conſuetudine, etiam immemorabili.

Audiſtis Domine Pantaleon. Audivi, ergo ex alio latere hoſtis peti debet. Remitto duellum. Sed hominem ſubitò obruam: parum refert, ex condicto, an tumultuario pereat. Nec me animus, nec me hic enſis meus dificiet.

Sed neqve ſic mi Pantaleon: ſic oportet vitare Scyllam, ut per charybdin, non periclitamini. Parum refert, hoc illove modo, hac illâve viâ approximetis inferis. Aſpicite cœlum: fores cœli illi clauſæ ſunt, inquit Auguſtinus qui non dimittit. Reſpicite inferni barathrum: & de hoc Chriſti effatum eſt Matth. 5. 21. & 22. 23. Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non occides: ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio, Qui autem dixerit fratri ſuo: Raca; reus erit concilio: qui autem dixerit: Fatue; reus erit Gehennæ ignis. Qvodnam horum mavultis Domine Pantaleon. Neutrum! ergo ſi Francolinus injuriam non commiſit, ei dimitte: ſi commiſit; adhuc dimitte: omnino autem dimitte. Hæc interea: plura impoſterum, niſi forte aliud malitis; nempe potiùs jam eſſe amici, quàm æternùm perditi.

Dominica 8. poſt Pentecoſten.

Redde rationem Villicationis tuæ. Lucæ. 16.

Rationes Accepti, & Expenſi Villici Iniquitatis examinantur.

PErquam lubens intellexerim DD. Academici, quisnam fuerit iſte villicus, qui in hodierno Evangelio tam graviter diffamatus ſcribitur, diſſipata bona Domini ſui. Nec nomen, nec agnomen, nec avos, nec proavos, nec Matrem, nec Patrem habet. Timeo, nè ſit unus de numero eorum, de qvibus Proverb. 10. Nomen impiorum putreſcet, & Pſ. 9. Nomen eorum delêſti in æternum. Vile mendicabulum in Domo Epulonis Lucæ 16. nec qvod manducet, nec quod rodat, habet, & tamen illi ſuum nomen. Lazarus vocabatur. At noſter villicus, nec Ælius, nec Lælius, nec Sempronius, nec Copronymus, nec Zachæus, nec Mardechæus. Adeò diſſipavit omnia, ut etiam nomen pergræcatus ſit. Imò & Patrono ſuo, homini alioquin prædiviti, & qui absque dubio aliquod prædicatum nobilitatis geſſerit, eò injurius fuit, ut omnibus rebus, & titulis diſſipatis, ei ſolum Hominis nomen reſiduum fecerit. Homo qvidam dives Luc. 16. Huic Villico, tam ſeu incurio, ſeu verè iniqvo, incumbit hodie villicationis ſuæ reddere rationem, modò conſtaret, quisnam ille, & quo nomine conveniendus ſit. Fortè Diffamatum nominant; cum ſcriptum ſit: & diffamatus eſt. Fortè de ſanguine Filii Prodigi eſt; cùm & iſte diſſipavit bona non ſua tantum, ſed & Domini ſui. Quid ſi Dubitantius vocetur, ait enim. Quid faciam? Quid ſi de familia Seſſoriana? ait enim: ſede citò, & ſcribe. Hoc ſcio, quod in labores parvo feratur animo; cùm dicat: fodare non valeo. Interim nobilis ſanguis eſt; dicit enim: mendicare erubeſco.

Verùm, quid de voce quæſtionem facimus. Nomen Villici hujus non habeamus, modò Pronomen habeamus. Pronomen eſt, quod loco nominis poſitum, certam, finitamqve perſonam adſignificat. Ego, Pronomen, aliqvando integras ſtravit militares phalanges; cum nempe loco Nominis poſitum fuit. Joannis 18 capite. Tu, pronomen eſt, & ſæpe plus ſignificat, quam ipſum vel verbum, vel nomen per ſe declarat. Nomen ergo non habeamus; modò Pronomen habeamus. Sed quod illud? Placet audire? Ego tu, ille, hic, iſte, ipſe, is idem, iſte, Villicus ſumus. Ego, tu, ille, hic, iſte, ipſe, qui bona Domini noſtri diſſipavimus. Ego tu ille, hic, iſte, ipſe ſumus; quibus illud Evangelicum imminet: redde rationem villicationis tuæ; omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti, ut unusquisque noſtrum reddat pro ſe rationem Deo. Ego, tu, ille, hic, iſte, ipſe ſumus, in qvos cuduntur illæ minæ: jam non poteris villicare. Omnes Villici ſumus, ex paradiſo egreſſi in agros, in hoc mundo commoramur

tan-

tanquam in villis; & quia Studioſi dediti literis, bene cum Cicerone, vereqve latinè loqvimur, dicentes: ruſticantur nobiſcum literæ. Simoni Cyreneo ſimiles, ex hac vita properantes in cœleſtem Jeruſalem, tanqvam venientes de villa. Dominationes, Virtutes, Throni, Poteſtates, Principatus: hi Angelorum tituli, & officia ſunt; nos paulò minus minorati ab Angelis, Villani; quorum pedibus Deus ſubjecit oves, & boves, & pecora campi. Angelus, Dominatio: Homo Servus, qvem conſtituit Dominus ſuper bona ſua; Homo Villicus, ſed qvi diffamatus eſt, quaſi diſſipâſſet bona domini ſui. Videamus Academici, ſi ità eſt, librosqve Rationum hodie tantiſper inſpiciamus; intelligo Conſcientias noſtras; examinemus Rationes Accepti, & Expenſi; ut qvid nobis porrò faciendum ſit, diſpicere valeamus.

Rationes univerſales Accepti, & Expenſi, ſub Villico, Hoc, Iſto, Illo, Ipſo ab Anno Inchoatæ Villicationis vigeſimo.

Acceptum.

Pro primo itaqve, Anno Vitæ Villici noſtri primo, data ſunt ei corpus, & anima; & hæc qvidem rationalis, immortalis, æternæ beatitudinis capax, & divinæ particula auræ; inſtructa intellectu, quo ſubtilia penetrare, profunda ſcrutari, ſublimia attingere, præſentia cernere, diſſita & futura poſſet inſpicere; interqve bonum, ac malum, inter rationes veri falſiqve diſcernere: inſtructa voluntate: quâ feretur in omne id, qvod honeſtum, qvod decorum, qvod amabile; refugeret verò ab omni eo, qvod vel in hac, vel in altera vita, ſeu animæ ſeu corpori habetur ut pravum, timetur ut noxium, horretur ut felicitatis everſivum: inſtructâ memoriâ, qvæ rerum ſpecies reciperet, acceptas retineret, retentas, cùm homo vellet, redderet; & deperditas alias ex aliis formaret. Corpus verò datum cum diverſis ſeſe movendi, metriendi, augendi, tuendi organis, inſtructum videndi, audiendiqve guſtandi, olfaciendi ac tangendi facultatibus; linguaqve, quâ animi conceptus efferre poſſit, pedibus, quibus inambulet, manibus, qvibus prehendat; ad ornamentum autem adjecta, & capiti cæſaries, & fronti ſupercilia, & labris ſua purpura, & genis ſua roſa. Nonne ità eſt? ità.

Pro Secundo ſic Nato noſtro Villico ſubjecit DEUS terram cum omnibus herbis, & floribus, fruticibus, & arboribus; vallibus, & montibus, rivis, & fluminibus; juſſitque ad obſequium eſſe univerſa animantia, oves, & boves & pecora campi: in ejus favorem tot aqvas replevit piſcibus, tot aerem volucribus, tot interiora terræ gemmis, & margaritis; juſſit inſuper indies ſuper eum, eiusq; poſſeſſiones ſuum oriri ſolem, & reliqva ſidera; ſuas determinatis temporibus adeſſe pluviæ, ſereniqve viciſſitudines; diſtinxit æſtates, & hyemes; conceſſit

Digitized by Google

meſſes, & vindemias; induſit vernas, & autumnales delicias: atque ità & adhuc innumeris aliis pulchritudinibus, atqve commodis inſtructum tradidit DEUS Homini Villico Huic, iſti, illi, ipſi; partim ad neceſſitatem, partim ad utilitatem, & emolumentum, partem in delicias. Nonne ità eſt? ità eſt.

Pro tertio. Cùm noſter Villicus, contractà ex delicto primorum parentum noſtrorum originali culpâ, æternis addicendus fuiſſet miſeriis; adfuit Conſubſtantialis Ille æterni Patris Filius, ſecunda in Trinitate Perſona, quem Chriſtum JESUM ab Incarnatione vocamus, qui ut debitorum noſtrorum tolleret Chirographum, & ſuum in præfatum Villicum, teſtaretur amorem, è ſinu Patris deſcendit de cœlis incarnatus de Spiritu Sancto, natus ex Virgine, homo fieri voluit. Inde per triginta tres, & ultra, annos, in hoc mundo converſatus, tandem clavos tulit, & lanceam, multamq; ignominiam; innumeros dolores, ſudores, & angores: amore noſtri venditus, captus, ligatus, accuſatus, vulneratus, negatus, deſertus, contuſus, conſputus, illuſus, flagellatus, blasphematus, ſpinis coronatus, ad mortem acerbisſimam condemnatus, crucifixus, felle potatus ac, denique mortuus eſt. Amore ſui Villici fudit in vita lacrymarum millia 60. In horto Gethſemani, ſudavit guttarum aqvæ, & ſanguinis millia 90. In paſſione fudit guttarum ſanguinis ultra millia octingenta. In flagellatione accepit ictuum millia quinque & qvadrigentos; plagarum millia ſex, ſexcentas, & ſexaginta ſex: in coronatione puncturas mille. Dolores mortis ſenſit ſexies mille ſexcentos ſexaginta ſex. Doloroſiſſima ſuſpiria nongenta; gemitus lethales 90. percuſſiones in capite, cervice, dorſo, brachiis, pectore, & reliquis ſacratiſſimis membris mille quinqvaginta novem. Et hoc ex immenſo in Villicum noſtrum amore. Nonne ità. certè ità eſt.

Pro qvarto. Cum noſter hic Villicus in lucem publicam datus eſt, de ſpeciali divinæ Bonitatis favore, mox à partu, die alterâ ſacro baptiſmi fonte ablatus eſt, atqve ità paſſionum, & meritorum Chriſti particeps factus, ſimulqve è faucibus diaboli ereptus, inter Filios Dei, & Cohæredes Chriſti connumeratus: gratiâ inſuper divina, fide, ſpe, charitate, cæterisque ſupernaturalium virtutum ornamentis condecoratus, & ad Eccleſiam DEI, veram Sponſam Chriſti, hac ſacrâ januâ introductus; lapſu temporum quoque in rebus ſanctæ fidei ad firmitatem inſtructus, & in Sacro Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ membrum palàm receptus: cùm interim tot millia atque millia gentilium, Judæorum, Turcarum, Hæreticorum, Schismaticorum, defectu fidei, aut baptiſmi ruant ad inferos. Nonne ità? ità eſt.

Pro quinto. Poſteaquam Villicus noſter, annos adoleſcentiæ, inter mira Dei Pro-

Providentiæ argumenta, attigiſſe viſus, cœpit ei oriri Sol juſtitiæ , & lucere Lumen intelligentiæ, in pectoribus fidelium ſignari ſolitum. Itaqve Sanctæ fidei rudimentis imbutus, ſæpit capere, quid ſit illud, quod omnes timemus, apud Inferos; quod ſperamus apud ſuperos. Qvam brevis item ſit hæc mortalis vita; quam diſtrictum omnibus impendeat judicium. Qvæ omnia tunc longè dilucidiꝰ percepit, divina ita ordinante providentiâ, ad ſtudia literarum miſſus, & inter Marianos Sodales receptus eſt. Nactus tunc homines, qvi eum alloqviis, adhortationibꝰ, & dictionibus ſacris: ſacros libros, qui præceptis, & exemplis imbuerunt. Quibus temporibus, ſæpius per Angelos bonos à mala ſocietate improborum hominum præſervatus; ſæpius à periculis mortis, à periculis grandioris infamiæ; à periculis rixarum, & cædium liberatus fuit. Nactus parentes, qui de victu, & veſtitu, Patronos, qui de neceſſariis, & commodis, Magiſtros, & Præceptores, qui de tradendis bonis moribus, & honeſtis literarum diſciplinis perdiſcendis proſpicerent. Quô factum, ut noſter Villicus, non tantùm ſemper commodâ ſanitate uſus, & in continua ſtudiorum palæſtra verſatus, procedentibus annis, in virum, eumque per eruditum evaſerit; verum apud plerosqve coætaneos ſibi honorem, apud majores etiam æſtimationem conciliârit. Nonnè itâ eſt? itâ omnino!

Pro ſexto & ultimo conceſſum fuit Villico noſtro, ut interea aliquid exiguum ponamus, tempus annorum viginti, Aliis minus, aliis longè plus. Viginti anni habent ſeptimanas 1040. dies 7280. horarum 174720. momenta decies millies millia quadringenta, octoginta tria millia, & ducenta. Quo tempore datæ ſunt illi occaſiones innumeræ, quibus quàm plurima bona operari, malaqvè fugere, præterita plangere, vitare poſſet futura. Poteratque, ſi itâ voluiſſet, omni momento, omni reſpiratione, omni paſſu, & qvovis oculi ictu, & qvalibet corporis aut animi motione, ſi ea in Divinæ Majeſtatis direxiſſet gloriam, æternum ſibi gloriæ incrementum mereri. Ad hoc illi Dux, ex Auxiliator ipſe Deus, Comes, & Coadjutor bonus Angelus; auxilia Divinæ gratiæ innumera; quæ omnia tam hoc loco, quam ſuperius enumerata, eidem hoc contractu, & hac pactione data ſunt, ut Deum ſuum laudaret, amaret, veneretur, ac tandem, ſi itâ faceret, ſalvus fieret æternum. Nonne itâ eſt? omnino itâ.

Academici; hoc eſt Acceptum, qvod nobis omnibus à Divina Majeſtate obvenit, ut plerorumque gratias ſpeciales, & infinitudinem quandam particularium beneficiorum taceamus. Nunc quomodo his beneficiis uſi, qvantum Divinæ miſericordiæ grati extiterimus, quamque ſedulo Villicationem noſtram adminiſtraverimus, loqvendo tantum de annis viginti videamus.

Ratio-

Digitized by Google

Rationes universales Expenſarum, ex Accepto Annorum viginti, à Villico Hoc, Iſto, Illo, Ipſo, Villicationis tempore Factarum.

Pro primo. Singulis diebus, ſeu noctibus, ſomno, & qvieti datæ horæ ſaltem octò, loqvendo de curſu ordinario. Nam ſubinde, novem vel decem ægrè ſuffecère: facit per annos viginti horarum qvinquaginta octò millia, ducentas & qvadraginta. Hoc eſt. Noſter Villicus intra viginti annos, dormiendo, & pertendo abſumpſit ultra ſex annos; ſeu ætatis ſuæ partem tertiam: idqve more brutorum, nulla fere in Deum, aut ſalutem ſuam facta reflexione, aut memoriâ.

Pro ſecundo. Studiis literarum inter domeſticos parietes quotidie horæ datæ duæ; aut ſi ſtudium diſplicuit, circumcurſitationibus, & garritionibus illud temporis ſpatium ſuppletum eſt. Facit per annos viginti, horarum millia 14. quingentas, & ſexaginta; qvæ omnes, aut ferè omnes conſumptæ ſunt non aliqva ad Deum, aut animæ ſalutem directa, ſed vel qvia Præceptorum ferula imminebat, vel qvia æmulus inſtabat, vel quia honoris, laudumque cupiditas ſtimulabat. Præterqvam quòd ſæpe libri aut laſcivi, aut inutiles, aut aliunde prohibiti lectitati ſunt; & quibus nihil felicius contigiſſet, qvam ſi flammas in tempore ſenſiſſent.

Pro tertio. Studiis in Gymnaſio, aut Academia, vel ſi à ſtudiis vocatum fuit, viſitationi horum & harum amicarum, excurſionibus in campos, nugisve & levitatibus aliis, unum cum altero conferendo, horæ quotidie, datæ ſaltem quatuor. Ubi, ô qvoties oculis, qvoties linguâ erratum! quoties tantum de poculis inter ſocietates has illas ſtomacho ingeſtum, ut is divitias, quas devoraverat, die poſterâ, ejectas ſpectaverit. Facit per annos 20. horas vigeſies novies mille, centum viginti.

Pro quarto. Prandio, atqve cœnationi, unum cum altero comportando, datæ qvotidie horæ duæ; nullo vel puræ intentionis cum in Deum conatu, vel mortificationis ſtudio: neqve enim iſtorum meminimus. Sed ſic ſe tunc noſter Villicus habebat, quaſi ideo viveret, ut ederet; non ederet, ut viveret. Facit per 20. annos ſupra 14. millia horarum, qvadringentas ſexaginta.

Pro qvinto. Poſt matutinam Scholaſticam lectionem, aut juridicum Collegium, priusqvam prandio accumberemus, diſtrahendo animo data horula una; poſt prandium verò, qvod à menſa gravius eſſet caput, & ad ſtudia minus idoneum, recreationi, vel ſomno horæ duæ; ſimiliter proceſſum, ante, & poſt cœnam; niſi qvòd tunc vel luſus foliorum vel latrunculorum, vel linguarum

pere-

peregrinarum ſtudium ſubinde placebat: facit per annos 20. horarum millia 43. & horas ſexcentas. Summa ſummarum horarum vel ad æternam ſalutem inutiliter, vel etiam contra eam impenſarum centum ſexaginta millia, ac præterea unum mille centum & ſexaginta.

Quid autem factum reliquis? nihilne Deo, nihil cœlo nihil animæ datum? Audiamus. Mane quotidie, modo memoria non fefellerit, aut negotia obſtaculum non attulerint, inter induendum, & lavandum, impenſus ferè unus quadrans horæ orationi de memoria recitatæ, ubi divinæ Bonitati pro collatis eâ nocte beneficiis actæ gratiæ, & pro felici ſtudiorum curſu auxilium imploratum fuit. Similiter autem & veſperi, ubi ex eo tempore, quo Sodalitati Marianæ adſcriptus ſum, hoc eſt ante unum alterumve annum, precibus conſvetis etiam examen Conſcientiæ ſubinde adjunxi, quæ precatio ferè etiam unum horæ qvadrantem conſtituebat. Acceſſit quod Corollam Beatiſſimæ Virginis, etſi ſubinde in ipſo lecto, non facilè dicere intermiſerim. Audivi enim ſignum prædeſtinationis eſſe, eam Coronam quotidie perſolvere. Præterea ferè quotidie interfui ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio; ubi quandoqve à Moroſo ſacerdote contigit plusquam dimidiam horam inſumi. Diebus item Dominicis, & qvandoqve etiam in feſtis auſcultatum eſt Concioni Academicæ: ſimiliter ſubinde adſtitum litaniis Beatiſſimæ Virginis in profeſtis, apud Patres Societatis decantari ſolitis. Aliqvoties etiam Marianis conventibus, ac proceſſui publico intereſſe contigit. Et ſaltem qvater in anno publicis Communionibus. Examen verò pro ſacris Confeſſionibus tunc peractum, cùm è domo in Academiam, vel Eccleſiam procederetur. Summa ſummarum, ſi tamen recenſita non fallunt, & me ars non decipit, DEO, & animæ ſaluti impenſæ forte horæ ſepties mille trecentæ. Hoc eſt ex viginti qvatuor totius cujuslibet diei horis pro cœlo vix hora una. Et utinam ſaltem hæ totæ Deo obveniſſent. Quid ſi enim ex iis detrahamus illas, quibus matutinæ preces omiſſæ, quibus veſpertinæ ſomno præventæ: detrahamus illas, quæ luſu perditæ, miſſæ ſacrificia neglecta, aut quoties eo tempore cum ſociis garritum; ſi ſubtrahamus, præteritas dictiones Academicas, omiſſos Marianos Conventus, dilatas confeſſiones, & communiones; ſi tempora ſubtrahamus nec infreqventia, nec brevia, quibus omnis pietatis, & ſervitii divini immemores viximus; putà cum nos morbus afflixit; cùm iter fecimus; cum amicorum viſitationibus diſtenti fuimus; cùm luſum, cùm potatum eſt; quibus occaſionibus, plerumqve longior ſomnus, & dolores capitis mentem à divinis penitus abſtraxerunt. Si etiam detrahamus illas horas, qvibus vanas, otioſas, ſuperbas, impuras, guloſas, iracundas, invidas, murmuratorias cogitationes in corde noſtro diu multumque fovimus, & circumtulimus; item

Digitized by Google

illas; qvas vanis, & inutilibus, & ad ſalutem nihil facientibus curis, occupationibus, affectibus, amoribus, officiis, blandimentis, nugis, & jocis impendimus. Ac præſertim ſi detrahamus illas horas, qvibus fortè in mortali peccato conſtituti viximus, filii iræ, inimici Dei, hoſtes ſanguinis Chriſti indigni qvos cœlum aſpiceret, qvos terra ferret. Quorum proinde juſtitiæ omnes tunc ut pannus menſtruatæ, & abominatio in conſpectu Domini.

Atque hæc ſunt, quæ Villicus noſter pro tot Beneficiis Creationis, Redemptionis, Conſervationis, & qvòd illi Deus univerſum mundum, ad commodum, & ſolatium ſubjecerit; pro Beneficio Baptiſmi, pro beneficio Chriſtianæ Fidei, pro tot naturæ, & gratiæ donis, pro ſanctiſſimis Eccleſiæ conceſſis ſacramentis, pro eo, qvod ad ſtudia literarum Miſſus, ad Sodalitium Beatiſſimæ Virginis & ſub tutelam, Matris DEI receptus, inter tot morborum, infamiæ, paupertatis, mortisqve pericula gratioſè conſervatus: hæc inquam ſunt qvæ Villicus noſter pro his omnibus Divinæ Majeſtati retribuere viſus eſt, ſcilicet, aliqvot horulas frigidulà aliqva oratiunculà perfuſas; aut ſomnolento, ac prigro aliqvo obſeqvio DEO dicatas.

O he! quid faciam Academici? periimus, niſi pænitentia, & miſericordia reduxerit nos. Hoc unum reſtare videtur, ut nobis ipſis dicamus omnes: ſede citò, & ſcribe. Quid ſcribam. Scribe: qvinqvaginta. Cur quinquaginta? Miſerere mei DEUS, qvinqvageſimus Pſalmus eſt. Scribe ergo qvinqvaginta, & dic cum pœnitente Rege; miſerere mei DEUS, ſecundum magnam miſericordiam tuam. Miſerere, ah miſerere!

(O)

Do-

Dominica 9. poſt Pentecoſten

Si cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Luc. 19.

Cum multa ſciamus, maximè neceſſariam viam ſalutis ſcire negligimus.

INtellectus humanus eà pollet præſtantiâ, ut ejus causâ, hominis animam, vi intelligendi præditam, divinæ auræ particulam eſſe exiſtimâvit Plato. Paulò minus ab illis cœleſtibus Intelligentiis minoratam dixerit Regius Vates: ad imaginem Dei factam deprædicaverit Propheta Moyſes; univerſa denique, qvæ hac rerum creatarum amplitudine continentur, excedere, cecinerit Flaccus l. ep. 1. cùm dixit: Sapiens uno minor eſt Jove. Multa qvidem ſunt, quæ aliqua parte ſui humanam ſuperant naturam: vincimur à lyncibus, oculorum acie, à cervis, audiendi facultate, à canibus, odorandi vi; ab apibus, guſtandi potentiâ, ab araneis, tactus ſubtilitate: cedimus leonibus fortitudine, tigridibus celeritate, camelis magnitudine, tauris robore; at enimvero intelligendi vi ſic hæc univerſa excedimus, ut nè quidem illa nobiſcum in certamen venire poſſint.

Intelligentiæ opus eſt, qvòd juga boves, qvod ephippia equus, quòd frænum patiatur urſus, & integros mulorum, elephantorum, camelorumque greges, inermis in poteſtate habeat paſtorculus: præditus ſcilicet, intelligendi, dirigendi, coercendique efficaciâ. Intellectus eſt, qvo præceptore, terram ſubigimus, hortos plantamus, urbes ſtruimus, ſaxa frangimus, metalla fodimus, maria navigamus, flumina frænamus, & incendia cum volumus, habemus, cùm nolumus, extinguimus. Intellectus eſt, qvi non minus mundum ſcientiis, atqve artibus, quam natura cœlum ſtellis inſtruxit. Ipſius partus eſt, quidqvid in Grammaticis, Poeticis, Rhetoricis, Hiſtoricis, qvidqvid in Philoſophia, Mathematica, Medicina, Jurisprudentia, Theologia, qvidqvid in Pictoria, Arhitectonica, Polemica, & Politica illuſtre habemus: ut ferè tot ſcientiis referta capita, quot ſidera numeremus; nec jam hoc univerſum videatur aliud, qvam ſeu emporium ſcientiarum ſeu compendium.

Verum mirabile quid video DD. Academici. Video florens pratum, ſed ſinè irriguo flumine; vernantem hortum, ſed ſine Curatore: Volans Navigium, ſed ſine Navarcho; ſtellatum cœlum, ſed ſinè aſtrorum Principe. Volo dicere; video innumeram omnigenarum ſcientiarum congeriem, ſinè re inprimis neceſſaria. Nempe ſinè ſcientia ſalutis. Omnes laboramus ſcire, ſcire, ſcire. Ille quid Maro, ille qvid Tullius, ille qvid Ariſtoteles, ille quid Galenus, ille qvid Juſtinianus dixerit: Alius, quid citharædus Apollo, alius qvid pictor Apelles, alius quid miles Hector præcipiat, quærit. Omnes ſcire volumus, & quod maximè

Digitized by Google

xime ſciendum erat, quâ nempe ad veram felicitatem incedatur via, ſtudioſè, volo dicere, laborioſè prætterimus. In omnibus Argus eſt humanus intellectus: videmus, qvomodo tractandus calamus in Gymnaſio, qvomodo gladius ducendus in palæſtra, qvomodo pes regendus in ſaltatoria; cui, qvando, qvoties, & quibus modulis corpus gyrandum in reverentias: oculus nobis in fronte: videmus qvid corpori, quid famæ, qvid honori noſtro in præſens, qvid in futurum prodeſſe, aut obeſſe poſſit; oculus nobis in pectore, qvo vellemus omnes ſcientiarum theſauros effodere: hinc nobis toties, inter libros, chartasque obortus pallor: hinc tot pulchros dies, longasque noctes legendo, notando conſumimus. Toti inqvam Argi: niſi qvod in via ſalutis, pleriqve mortalium admodum cæci ſumus. Magnâ ſanè noſtrâ infelicitate; utpote, qui neglectis æternis, intendimus in hac peritura: nati ad cœleſtia hærentes in terreſtribus. Et hoc eſt, qvod mundi Salvatori lacrymas excuſſit, cùm de Civitate Jeroſolymitana dixit: ſi cognoviſſes & tu & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Jeruſalem! Jeruſalem! Habes, qvi mercaturam, rerumqve pretia noverint: habes, qui artem, agros, vineasqve colendi calleant; habes, qui te propugnaculis, & diverſorum aggerum muniminibus adverſus hoſtes defenſent: habes, qui vulgus legibus coerceant; habes, qui norint maria in ligno fragili trajicere: cùm itaqve tam multa habeas, ſciasqve: ô ſi etiam cognoviſſes, qvæ tibi ad pacem ſunt.

Indis proverbium eſſe ſcribit Poſſinus (in ſpecimine ſapientiæ Indorum diſſert. 7.) qvatuor eſſe, quæ deſtituta ſunt neceſſariis. Fluvius ſine aqua, terra non habens Regem, mulier deſtituta viro; & demum homo, non diſcernens bonum à malo. Hæc ſunt, vix dicenda, quod ſunt. Quid profuerit, Apellis diſcipulo, ſi Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, omnesqve in capite circumferat linguarum modos, ſi colores attemperare, ſi lineamenta, ſi rerum imagines formare ignoraverit. Quid profuerit Fabro, qui arithmeticæ, muſicæqve numeros, omnemqve ſcribendi, ac pingendi artem comprehenderit, ſi ferrum liquare, ſi in circulum, aut ungulam ducere illud neſciat? Quid profuerit Muſico, ſi Hydraulicam, ſi Aſtrologiam, ſi Geogrophiam perſpectam habuerit; nec tamen poſſit inter cautum durum ac mollem, inter chroma, & diapaſon, inter Pauſam ac notam diſcrimen facere? Et quid profuerit Homini, etſi habeatur in poeticis Maro, in Rhetoricis Demoſthenes vel Tullius, in Philoſophicis Ariſtoteles, in Medicis Galenus, in Jurisprudentia Baldus, ſi non habeat id, unde eſt homo homo; ſi differentiam boni à malo ignoraverit, ſi tempus ac æternum idem putet: ſi rationem cum ſenſu confuderit; licitumq; habeat, qvodlibet; ſi cæco modo feratur, in eam, ad qvam indies properamus æternitatem.

Vide-

Digitized by Google

Videor mihi, DD. Academici, videre indè Mariam Magdalenam in Bethania ad Chriſti pedes conſidentem, vitæque verba, & quæ puram illam ſtillant ſapientiam cœleſtem, excipientem: Inde Martham Magdalenæ ſororem, culinæ miniſteria, ad omnes diligentiæ leges obeuntem. Martha focum inſtruit, Martha cibaria colligit, ac dividit; Martha tripodum, & ollarum ſeriem diſponit: Martha coquit, aſſat, lixat, frixat, ibi affundit, ibi refundit; ibi ſalit, ibi piperat: modo focum auget, modò minuit; currit, recurrit, procurrit, decurrit, ſurſum deorſum, horſum, iſtorſum, curis & ſolicitudinibus plenum caput. Huc fontanam, huc ſylvam, Ludimilla, Camilla, ubi hæretis? huc lances, huc paropſides. DEUM bonum, ubi moramini? adeſte, citò citò, magnus nobis Dominus hoſpes eſt; properemus, nè illi noſtra mora moroſa ſit. Ita quidem illa: ſed ô Martha Martha, tu quidem ſolicita es circa frequens miniſterium, porrò unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit. Culinariæ ſunt tuæ cogitationes, & culinaria hæc tua negotia ſedulam coquam, aut lixam probant, non tamen ſublimem, quam Magdalena præſefert, hominem oſtendunt. Multa habes, multa agis, multa curas; ligna, & focos, & ollas & tripodes, & jura, & embammata, & carnes, & obſonia; urges, mones, ipſa curris, ipſa facis, & ubique tota es, ac ferè tota nullibi: porrò unum adhuc, idque in primis erat tibi neceſſarium! audire, intelligere, & ſcire, quid à te velit Dominus; ſedere ad pedes Salvatoris tui, & audire, quid loquatur Spiritus; ſtudere noſſe, ac penitius perſpicere, quid velit ſapientia, & doctrina miſſa cœlitus. Hoc ſi deſit, quantumcunque noſtra ſplendeant, quantumcunque ſapientiæ, laboris, induſtriæ habere videamur; extra nos ſunt; quæ hominem quidem circumſtant, ſed non efficiunt; ornatioremque facere poſſunt, ſed non meliorem.

Navis bona dicitur, inquit Romanus ſapiens ep. 77. non quæ pretioſis coloribus picta eſt; nec cui argenteum, aut aureum roſtrum eſt, nec cujus tutela ebore cælata eſt, nec quæ fiſcis, aut opibus regiis preſſa eſt, ſed quæ ſtabilis & firma, & juncturis aquam excludentibus ſpiſſa, ad ferendum maris incurſum ſolida, gubernaculo parens, velox, & conſentiens vento: ità & in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fæneretur, à quàm multis ſalutetur, quàm pretioſo incumbat lecto, quàm pellucido poculo bibat: (addo ego, quàm peritus ſit laniſta, quantum coquat, quantum aſſet, quantum elixet; quam profundus in Ariſtotele, quam ſagax in codice, quam curioſus in Hippocrate) ſed quàm bonus ſit. Supple: quantum ſcientiâ ſalutis, quantum amore virtutis, quantum æternarum rationum ſapientiâ inſtructus ſit, hoc eſt, quod ad hominem pertinet.

Interea nihilominus, quæ miſerorum mortalium una eſt infelicitas, cùm nihil tam reconditum, abſtruſumque ſit, quod diſcendi fervore, atque cupiditate non perſequamur, una nobis plerisque ſalutis, ac æternorum ſcientia ignota eſt. Nominum caſus, ac verborum modos declinare, atque conjugare me docet Grammatica: & non docet, quî declinem, quæ tot mortales in præcipitia agunt, vitia; non docet, quæ ſocietas, conjugatioqve virtutum hominem deceat. Docet me illa, quos caſus verba, quos præpoſitio habeat? & non docet, quos caſus, & quas ruinas in populis & gentibus verba causârint, non ſuo tempora prolata, & non docet, quàm periculoſi ſint illi caſus, qui præpoſitionem ſeqvuntur. Non nocet, inquit Th. Kemp. l. 1. c. 7. Si te omnibus ſupponas, nocet autem plurimùm ſi vel uni te præponas. Homo vigilantiſſimè cavet, inquit D. Auguſtinus l. 1. conf. c. 18. nè per linguæ errorem dicat: inter hominibus: & nè per mentis furorem hominem auferat ex hominibus, non cavet. Multi ſunt, inquit Richardus à S. Victore: quos magis puderet, in oratione feciſſe barbariſmum contra legem Priſciani, quàm protuliſſe falſum in ſermone contra regulam Chriſti.

Docet me Poëtica ſyllabarum dimenſiones, & quæ brevis, quæ longa, quæ anceps ſit? ô ſi etiam doceret, quàm brevis ſit noſtra vita: quam anceps ſit curſus noſtræ vitæ, & quàm longa ſit æternitas illius vitæ. Multa, illa, de Muſarum numero, de verſuum concinnitate, & varietate, de Jovis fulmine, de Junonis ira, de Ulyſſis, & Æneæ erroribus: ô doceret etiam, quis numerus, & concentus virtutum ſit: quæ varietas precum, & efficacia; quæ illa in peccatores ventura ira, & fulmina; erudiretqve nos de vitandis ſæculi hujus peſſimi erroribus.

Quid mihi profuerit ſcire, Helena, an Penelope ſtaturâ major fuerit? aut quo terrarum loco Cyane in fluvium, aut quo in fonte Narciſſus in florem abierit? aut quâ maris parte Neptunus Æolum ſceptro coërcuerit? ſi neſciam, quæ ſit magnitudo virtutis, quæ inconſtantia fortunæ, quæ divina mundum gubernandi poteſtas.

Docet me Rhetorica, tropos, verborumque translationes; ah tropos mundi, tropicos Imperiorum, & Regnorum, & omnis mundanæ felicitatis vertura nos exponat, potiùs. Dicat ſubinde, quid ſit illud Apoſtoli, præterit figura hujus mundi: dicat, quid ſit; non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus: dicat, quid ſit: ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus, & cùm multa de partibus orationis, & diſſerendi genere edixerit; edoceat, quâ humilitate, quâ reverentiâ, quâ voce, quo geſtu, qua oris contentione,

quo

Digitized by Google

quo animi fervore, quâ benevolentiæ captatione, qua perorandi clauſulâ ad magnum cœli Dominum fundenda ſit oratio; oſtendatque, quibus modis, qui volumus eſſe Ciceroniani, poſſimus boni eſſe Chriſtiani.

Docet me Philoſophia, quid punctum, quid linea, quid circulus, quis terræ globus, quis aquarum curſus, atque recurſus; quæ aëris phænomena, quæ ſiderum virtus, magnitudo, & diſtantia. Et ecce quàm parùm mihi dicit de illo puncto, in quo tenentes tympanum,& organa ad inferna deſcendunt. Quàm parùm de illa linea, quæ in noſtræ vitæ folio ſcribenda eſt ultima; nihil mihi illa de circulo æternitatis, cujus centrum ubique, peripheria nuſquam: nihil de terrei globi volubilitate, & inconſtantia; nihil de terræ trepidationibus eventuris in fine ſæculi. Nihil de curſu illo aquarum, quo univerſi mortales in terram dilabimur, nihil de illis phænomenis, quæ principio mundi, quòd ſtationem ambirent altiorem ſuis meritis, deſcenderunt uſque ad imos, inferos.

Et tamen harum rerum indagationibus, dies, menſes, annos, & copioſi quidem univerſæ vitæ tempora, impendimus, non labori parcentes, non induſtriæ, non valetudini, non ſumptibus. Quorſum? ut aliquot claudicantes verſiculos pangere; aliquot Philoſophicis, vel Juridicis terminis loqui, aliquot peregrinarum linguarum proverbiola, proferre noverimus. Tantæ molis erat!

Quanquam adhuc iſta laudabilia, niſi aliò præterea fermento maſſam corrumperemus. Inſtruuntur infantuli, primo ſtatim ætatis mane, de materno collo pendere, blandiri, baſia figere; pede adulari, minari gladiolo: & priùs nomen Cupidinis, quam Chriſti, Veneris quam Mariæ noſſe!

Tota deinde vis in eo, ut adoleſcens omni ſolicitudine condiſcat, aut mollem quatere teſtudinem, aut muliebrem formare ſaltationem, aut agilem verſare gladium, aut ferocem agitare caballum, aut peregrinam loqui linguam, aut ebria inſtruere convivia, aut blandas colere amicas, & periculoſos conciliare amores: Hæc diſcuntur, etſi integros impendi menſes oporteat, etſi valetudinem affligi, ingentes expenſas fieri; etſi publicas confuſiones, verbaque contumelioſa, etiam à viliſſimis homuncionibus ſufferre neceſſum ſit. Quæ ſi quis adoleſcentum, mediocritate ſaltem aliqua, attigerit, is enimverò præclarus Saltator, Pugil, Eques, Politicus, & ſi Diis placet, dignus habetur, qui in conſeſſu Deorum juxta Herculem, vel Apollinem conſideat. Grandis inſipientia, loquor cum Thoma Kempenſi l. 1. c. 3. quòd neglectis, utilibus, & neceſſariis, ultro intendimus curioſis, & damnoſis: oculos habentes, non videmus.

Bone

Digitized by Google

Bone Adoleſcens, indulge mihi unam quæſtiunculam. Quot annis Grammaticæ ſtuduiſti? quatuor, inqvit, quintus Poeticæ, ſextus Rhetoricæ datus eſt. Et quot annos Philoſophiæ ſpeculationibus impendiſti? tribus inqvit, Ariſtotelem qvatuor Juſtiniani Decreta audivi. Et qvot annis opus fuit, ut in muſicum, quem in te veneror, evaderes? in tertium annum me exercitium teſtudinis, & in alterum annum me linguæ addiſcendæ occupatum habent. Et qvamdiu eſt, quod Saltatoriam, Eqveſtrem, & Gladiatoriam condiſcis: alter, atque alter annus eſt, quòd in ſingulis diebus ſingulis unam ex horis tribuo. Bene eſt. Placeat mihi jam quoque edicere, qvoties recollecta, & attentâ mente, in conſpectu Divinæ Majeſtatis Veſtra Dominatio recogitavit, quem in finem à DEO homo creatus ſit? & quidnam tandem noſtram mortalitatem præſtoletur? qvoties v. g. meminit ſe mori debere? quoties extremum judicii diem piâ conſideratione revolvit? fuitne ut aliquando de ſalute ageret cum qvopiam: aut de mediis ad æternam beatitudinem neceſſariis qvandoqve cogitavit? ut eruditus Academicus haberetur, quàm ſedulò ſcriptus Ariſtoteles, quàm ſeriò auditus Juſtinianus, quàm avidè lecta horum, illorum virorum volumina. Laudo. Sed quæſo. Legitne Veſtra Dominatio aliquando aureum libellum de imitatione Chriſti? quis ille? Academici, ecce neqve de nomine illi Author natus eſt. Thomas Kempenſis eſt. Legitne igitur aliqvando Dionyſium de qvatuor noviſſimis? oh! Carthuſianus ſcriptor eſt. Non legit. Legitne ſaltem aliqvando Meditationes, aut ſacra ſoliloquia Auguſtini. Audivi dubium eſſe, num ea opuſcula Auguſtinum Authorem habeant. Non legi, legitne tandem aliquid ex ſacro ſancto Chriſti Evangelio. Audivi legi, cùm ſubinde intereſſem exhortationi Academicæ. Quoties ſaltem cum Patre Confeſſario, aut alio viro probo de ſalutis cura actum? quoties de rebus æternis, de felicitate beatorum, de miſeriis damnatorum, de ſpe, de charitate, quam in Deum habere oportet; collocutio inſtituta aut quoties ſaltem hæc piâ mente per ſolitudinem pertractatâ ſunt? Jam dictum eſt: in ſextum annum humaniora, tribus Philoſophiam, quatuor jura audivi: Scholam Equeſtrem, Saltatoriam, & Digladiatoriam uno, atque altero anno frequentavi: peregrinis linguis annos duos, muſurgiæ totidem ferè perdiſcendæ dedi. Ità Pater, ità voluit Mater. Neque ad alia aut tempus, aut otium fuit. Ita quidem mi chariſſime: ſed utinam cognoviſſes & tu, quæ ad pacem tibi.

Omnium poetarum floribus ſpiras, loquor cum D. Paulino (ep. ad Jovium). Omnium Oratorum fluminibus exundas, Philoſophiæ quoque fontibus, peregrinis etiam literis dives, Romanum os, atticis favis imples. Quæſo te,

ubi

ubi tunc tributa ſunt, cum Tullium, & Demoſthenem perlegis, vel jam uſitatiorum de ſaturitate faſtidiens lectionum, Xenophontem, Platonem, Catonem, Varronemqve perlectos revolvis; multosqve præterea, qvorum nos fortè nec nomina, tu etiam volumina tenes? ut iſtis occuperis immunis, & liber; ut Chriſtum, & ſapientiam Dei diſcas, tributarius, & occupatus es. Vacat tibi, ut Philoſophus ſis, & non vacat tibi ut Chriſtianus ſis? Verte potius ſapientiam; verte facundiam. Nam animi Philoſophiam non depones, licet, dum eam fide conpias, & religione conſertâ utare ſapientius, ut ſis Dei Philoſophus & Vates; non qværendo, ſed imitando Deum, ſapiens, non tem linguâ, qvam vitâ eruditus, tam diſſeras magna, qvàm facias; eſto Peripateticus Deo, Pythagoræus mundo: verè in Chriſto ſapientiæ prædicator. Hæc ille Jovio, hæc ego Tibi Academice. Sapis qvæ dicit Ariſtoteles, qvæ Juſtinianus, quæ Hyppocrates; ô ſi ſapias etiam quanta illa ſint mala, quæ commiſiſti, in Deum, in proximum, in teipſum; ſi intelligas bona, quæ amiſſiſti, vitia non extirpando, virtutes non inſerendo, ad cœleſtia non intendendo. O ſi ſapias & tu mundi vanitatem, qua decipiuntur avari, trahuntur ſuperbi, capiuntur illecebroſi: diem mortis tam certam, tam incertam, tam acerbam: adventum Judicis, infallibilis propter ſapientiam, inflexibilis propter juſtitiam; inevitabilis propter potentiam. O ſi demum ſapias, qvid ſit ardere ſemper, & refocillari nunquam, gaudere ſemper, & dolore nunquam: hoc ibi. Illud hic.

Non eſt qvidem culpanda ſcientia, inqvit Th. Kemp. aut quælibet ſimplex rei notitia, qvæ bona eſt in ſe conſiderata, & à Deo ordinata; neqve ego tam amuſus ſum, ut homines rudia ligna velim. Sed præferenda eſt ſemper bona conſcientia, & virtuoſa vita. Humilis tui cognitio certior via ad Deum, quàm profunda ſcientiæ inqviſitio. Volo te doctum, ſapientem, multarum rerum peritum, ſed omnium maximè, volo diſcipulum Chriſti. Multa ſcit, & intelligit, qui ſcit, & intelligit, quæ ſunt Chriſti; nihil ſunt omnia, quæ ſcit, qui neſcit, quæ ſunt Chriſti.

(*,*)

Digitized by Google

Dominica 10. poſt Pentecoſten.

Qui ſe exaltat, humiliabitur. Lucæ. 18.

Nullam ſuperbiæ ſubſiſtentiam eſſe.

DEmum omnino verum eſt, Academici, quòd ſuperbia nullam habeat ſubſiſtentiam; ſubſiſtit namqve nullibi. Non in aulis, non in caulis; non aſtris, non caſtris; non in Angelis, non in hominibus, non in urbibus, non in ſolitudinibus: non in foro fori, non in foro poli. Teſtor vos cœlorum ordines, & ſemper veri amantia ſtellata Lumina! Aſpexerat ſubinde ſuperba, & inflatula illa Deo, beatam veſtram, tot pyropis, tot carbunculis diſtinctam patriam, & dixit: In cœlum conſcendam; ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum; ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, ùt eſt apud Iſaiam c. 14 Ho! Ho! quorſum veſtra Altitudo? quorſum? usque in cœlum? usque ad montem teſtamenti, usqve ad latera Aquilonis; Ergonè tibi adeò hæc noſtra inferiora viluêre, ut jum ſtellas ſolas velis premere pedibus? & ſtare pertæſa, quaſi hoc ſervorum, & ancillarum ſit ſedere voles delicatula? Ai! ſedere: & quidem ſedere in cœlo! & quidem ſupra aſtra DEI; & quidem in monte teſtamenti; & in lateribus Aquilonis! in loco refrigerii. Ha ha! etiam Mater filiorum Zebedæi Matthæi. 10. c. dicebat; dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, alter ad ſiniſtram in regno tuo! Credebant iſti, ſe ſubſiſtere non poſſe; hinc ſedere volebant: nunquid propterea ſubſtiterunt? ità quidem! Neſcitis, inquit Chriſtus, quid patatis. Melius ſubſtiteratis, ſi omnibus aliis ſubjici, ſi infra omnes alios humiliari deſideràſſetis. Humilitas cubus eſt, planum, ex omnibus partibus æquitaterum! in quam cunque partem verteris, ſeipſo ſtat. Superbia in ſublimè emiſſus pyrobulus eſt: cùm aſcenderit, atque nonnihil luce ſuâ reſplenduerit, cum altiſſimo loco conſiſtere videbitur, in partes abit, & inter fragores propriis, corporis caſus, & lapſum qværit. Hoc vidit Propheta, & dixit: Quomodo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris, corruiſti in terram, qui vulnerebas gentes: detracta eſt ad inferos ſuperbia tua. Ai! in cœlum conſcendam! ſuper aſtra DEI exaltabo ſolium meum! ſedebo. Ubi? in monte teſtamenti! ubi? in lateribus Aquilonis. Aſcendiſti; ſedere voluiſti: ità eſt. Sed etiam deſcendiſti. Imò ruiſti. Præclarè rem egiſti: cadendo, deſcendendi compendium feciſti. At fortè felicius cum ſuperbia actum in paradiſo, quæ tam malè habita fuit in cœlo? videamus, quid ibi hæc æolis plena deaſtra mechinata ſit. Quid igitur? mortalibus in hanc lucem primùm venientibus immortalitatem, hominibus de luto formatis, divinitatem promiſit, modò

in

in Factorem ſuum injurii eſſe vellent. Neqvaquam, inqviebat Gen. 3. moriemini; ſcit enim DEUS quod in quacunqve die comederitis de ligno vitæ ſcientiæ boni, & mali, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii ſcientes bonum, & malum. Ai! hoc eſſet quidpiam, quod orexim expleat. Nunquid? non mori? non poſſe mori! eſſe inſtar Numinis, & cum Altiſſimo eodem vehi eſſedo! ſcire bonum, & malum,& quæ ſit inter utrumqve diſtantia, quæ differentia. Tum enim verò ſeſe coment, ungent, ornabuntqve mulieres; tum adorari volent, cùm earum gratiâ, viri immortales, & diis aut pares, aut proximi evaſerimus. Sed malè factum, Academici, malè inquã etiam in paradiſo ſubſtitit ſuperbia. Audite, qvid Deus ad ſerpentem omnis ſuperbiæ authorem, atq; Patrem Gen. 3. defulminet. Quia feciſti hoc: maledictus eris inter omnia animantia, & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris; & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Audite præterea, quid idem Dominus dixerit ad jam ſuperbulam Mulierem: multiplicabo ærumnas tuas,& conceptus tuos; in dolore paries filios & ſub viri poteſtate eri,& ipſe dominabitur tui. Audite, quid ad divinæ legis prævaricatorem Protoparentem noſtrum Deus dixerit: quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ; atque his dictis, emiſit eum Dominus DEUS de paradiſo voluptatis. In hunc modum ſubſtitit ſuperbia in paradiſo.

Quorſum jam de cœlo, de paradiſo exul miſella? In Babyloniam. Ergo in Babyloniam! in Babyloniam. Quid autem illa ibi? venite inquit ad Incolas regionis, (Gen. 11.) faciamus nobis Civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras. Dictum, factum. Exurgit ſuperba Civitas cujus ambitus qvadringenta octoginta ſtadia; id eſt, ùt quidam volunt, facilè octodecim noſtratia milliaria: cujus murorum latitudo quinquaginta cubiti: cujus portæ à fronte murorum æreæ centum: cujus turris alta paſſus quinquies mille centum ſeptuaginta quatuor. Verùm rurſum malè Academici. Deſcendit enim Dominus, ut videret Civitatẽ, & turrim, quam ædificabant filii Adam,& confundit ibi lingvam eorum,& diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras, & ceſſaverunt ædificare civitatem. Homines Sapientes, ſcilicet, cœperunt ædificare, non potuerunt conſummare. Sapiens ſtultitia, cùm cœperunt; caſtigata ſuperbia, cùm ceſſaverunt,

Quorſum jam veſtra Celſitudo? Ad Aulas? non ſvaſerim. Ibi pro ſuperbo Aman eriguntur patibula. Ad caſtra? non ſubſiſtes. Ibi ſuperbi Ho-

Digitized by Google

loſernes deperdunt ſua capita. Ad Campos Martios. Nec ibi ſecuritas: ſternuntur ibi ſuperbi Goliath: ad ſylvarum receſſus: Neque ibi tuta omnia. Pendent illic ſuperbi Abſolones de quercubus. Intra hortorum topiaria? non conſulo; ſuccidantur ibi in radice ſuperbi Nabuchodonoſores. Fortè ad inferos? ſed nec ibi ſuperbiæ quies. Qvando de damnatis ſcriptum eſt Pſ. 73. ſuperbia eorum aſcendit ſemper.

Nempe ſuperbia leviculæ arundini ſimillima; ad omnem ventorum flatum mobili. Didicit id Alexander Macedo, cùm ex regio capite Ventus abreptum diadema in proximum arundinetum abjecit; egregio documento, non magis quidqvam unum eſſe, quã ſuperbas Regum faſcias, & difflabiles vento arundines.

Leviſſimo terræ pulveri ſimillima: in alio ventis quibusvis ludibrium. Unde & Pſalmiſta: Pſ. 7. gloriam meam in pulverem deduces, & Pſ. 1. tanquam pulvis qvem projicit ventus à facie terræ; Fumo ſimillima, cùm excreſcit, decreſcit: mox ut honorificati fuerint, & exaltati; deficientes quemadmodum fumus deficient, Pſ. 36. Omnis ſuperbus, ebrius eſt, qui nusquam ſubſiſtere poteſt. Quomodo vinum potentem decipit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur. Abacuc. 2. Superbia, & ebrietas eundem paſſum habent; utraqve capitis laborat vertigine; nec certa ſtat, nec recta ambulat, caſibus ſemper, etiam in plano, proxima. Ebrioſus humoribus crapulam cauſantibus, & temulentiam, plenum caput habet. Superbus, grandis Humoriſta, ô quot bibliothecas, quod ſcientiarum emporia, qvot ceras Majorum, & nobilitatis decora; qvot theſauros, & rerum pretia, in capite circumfert. Illi omnis platea anguſta: qvippe campanæ, qvam homini ſimilior, quæ ubi ſemel impulſum concepit, nullo præterea impellente, diu multumque. Huc illuc, itqve, reditqve: Iſte, ubi turbatiſſimas phantiſias in Capitolium ſuum admiſit; totum quà latè patet mundum, anguſtum habet. Scripſit hoc de Alexandro Magno, cùm nempe ſuperbior eſſe cœpit; Suaſoriâ primâ Seneca: Alexander Orbi Magnus eſt; Alexandro Orbis anguſtus eſt. Ebrius ægrè pedibus ſubſiſtit: unde ille potulentus: ſta mi pes, ſta pes, ſta pes, nè labere mi pes. Superbus uno ſolùm, adeoq; malè conſiſtit pede, juxta id quod Pſ. 35. dicitur: non veniat mihi pes ſuperbiæ. Qui ſic ſtat, videat, nè cadat. Non quod ſuperbus pedes duos non habeat; nam & ille animal bipes eſt, ſi modò homo eſt: ſed in hoc non eſt ſicut cæteri homines, quod ſit animal bipes plumatum; & ubi cæteri ſtamus, vel ambulamus bipedes, ille volet. Qvod ſi alicubi in terra conſtiterit, pavo eſt; qui cùm pedes hbeat admodum deformes, ſaltem eorum alterum cælat; in illo Cans, in qvo ſe putat aliquid eſſe; illo abſcondito, qvem ſcit turpitudinis ſuæ

petuo

teſtem eſſe. Vel ideo etiam dicitur ſuperbiæ tantum unus eſſe pes; quia in perpetuo aſcenſu eſt; (ſuperbia eorum aſcendit ſemper ; unde ſemper alterum pedem elevatum habet; qvare vel nullibi, vel certè ægre ſubſiſtere poteſt.

Quod ſi etiam dicta, factaque hujus inflatulæ Deaſtræ perpendimus, neqve in his qvidem ſubſiſtit. Videamus. Superbiæ eſt, humanas laudes, inordinatis affectibus proſequi, plauſusque quærere mortalium. Sed ecce, jam paratum in illam fulmen Matt. 6. Attendite nè juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Superbiæ opus eſt, res ubique ſuas efferre, & deprædicare in populo. Sed ecce fulmen Prov. 17. Laudet te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua. Superbiæ opus eſt, honores digni tatesque mundanas ut grandequid habere, paſciqve vento turgidiore: ſed ecce fulmen! Matt. 20. Qvicunqve voluerit inter vos fieri Major; ſit veſter miniſter; & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. Superbiæ opus eſt, multa ſupra vires, elato ſublimique tentare ſpiritu. Sed ecce fulmen. Ad Rom. 11. Tu autem fide ſtas. Noli altum ſapere, ſed time! ſuperbiæ opus eſt proximum qvemqve arroganter deſpicere, atqve contemnere; ſed ecce fulmen: omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. Lucæ. 18. ſuperborum eſt, mente inaniter, atqve ſuperbè intumeſcere: ſed ecce fulmen Prov. 16. Abominatio Domini eſt omnis arrogans; & ſi qvis ſe exiſtimat aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Ad Gal. 6. Superborum eſt inter perpetuas diſcordias vivere. Sed ecce fulmen Eccl. 10. Radices gentium ſuperbarum arefecit Dominus, & plantavit humiles ex ipſis gentibus. Videte qvid infelix ſuperbia ſubſiſtentiæ habeat.

Ad dictorum confirmationem, audiamus, qvod ante annos non plurimos avidam Ollæ accidiſſe legimus. Stabat illis temporibus infans adhuc, & quaſi modo genita olla: de terra, & argilla recentiſſimum rebus ſervandis non ineptum confectum vaſculum! & quia modo primùm manum figuli evaſerat, & nondum plenè ad ſoliditatem induruerat, ſolaribus ab artifice expoſita radiis expectabat, quibus foveretur, & ad perpetuitatem duraretur. Cum ecce, neſcio qvo ventorum impulſu, eâ ipſiſſimâ mundi parte collectus imber, vehentibus nubibus, tranſiit; horridus crine, torvo vultu, tumente buccâ, & ſtomacho iras, atque minas parturiente. Qui, ubi immaturam illam prolem conſpexit, quærit, quis, & unde? Olla erat, neqve aliud omnino, quàm olla: alias teſtam vocamus. Sed quod ollam Nativitatis ſuæ, patriæque, & conditionis puderet; & cum olla eſſet, olla dici nollet, omiſſo gentilitio nomine, ſe dolium eſſe dixit. Dolium? quid? dolium, inquit Imber; ergo tu dolium? Bene eſt, adverſarium meum hodie in poteſtate mea habeo. Quippe cum Caupones vina aqvis miſcere

Digitized by Google

ſere ſolent, me non ſemel in dolio ſubmerſere. Habeo ergo adverſarium. Dixit, & ruptis undiqvaqve nubium repagulis, ingenti in miſellam ollam ruit impetu: tam enim verò ollæ cæruleus ſupra caput adſtitit imber! miſtasqve undis ſpargens grandines ità dolium concuſſitque, contrivitqve totumqve cere-comminuit, brum; ut de tota olla nihil minus reſtaret, qvam olla. Dicitur tunc olla in ejusmodi metrum moribunda erupiſſe: Cum terræ limus, cum res viliſſima ſimul unde ſuperbimus; neſcimus, qvando perimus. Vide jam ſimpliciſſum vaſculum, qui tua ſubſiſtat ſuperbia? Cur dolium dici voluiſti? cur olla non manſiſti? ſtetiſſes olla; & ſolis gratià induruiſſes olla, & hodiedum eſſe olla. Nunc ollam deſtruxiſti & dolium non feciſti.

Qvid jam facies? cauſam fortè Imbribus dices? apud qvod tribunal? apud tribunal divinum? ibi tibi jam ſententia dicta eſt Iſ. 41. Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo, qvod non eſt. Apud tribunal humanum? & illud jam ſententiam dixit Jobi 5 ſi aſcenderit usqve ad cœlum ſuperbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, qvaſi ſterquilinium in fine perdetur. Apud tribunal Chriſtianum? ſed 1. Petri 5. jam ſcriptum eſt: Deus ſuperbis reſiſtit. Apud tribunal Gentile? ſed ecce Artabani apud Herodotum l. 7. effatum: Prægrandia animalia Deus ferit, nec ſinit inſoleſcere: parva nè vellicat qvidem. Apud tribunal Theologorum? ſed princeps Theologorum Auguſtinus l. 14. de Civitate DEI jam præfatus eſt: audeo dicere, ſuberbis utile eſſe cadere. Apud Tribunal Jurisperitorum! ſed L. ſi maritus, §. Legis Juliæ dicitur: aliud eſt talem, & aliud haberi pro tali: conſeqventer aliud eſt eſſe dolium, aliud velle haberi pro dolio. Apud tribunal Medicorum? ſed hi reſpondent ex Folengio in apophtegmatis: qvemadmodum ſi ægrotus qviſpiam à ſua natura diſceſſerit longius, eò laborat periculoſius: ſic animus elatus, atqve ſuperbus procul ab omni humanitate diſcedit, & in brutum demum vertitur. Apud tribunal Philoſophorum? ſed horum apud Æſopum reſponſum eſt; qvia à Chione rogatus, quid faceret Jupiter: excelſa inqvit, deprimit, & humilia extollit. Apud tribunal Rhetorum? ſed ſtat ſententia principis Oratorum L. 3. qvæſtionem Tuſculanarum: ut membrum turgidum atqve tumidum vitioſè ſe habet; ità inflatus animus, eſt tumens in vitio eſt. Apud Tribunal Poetarum. Sed jam Horatio Flacco ſententiam Phœbus dictavit, quam in l. 2. odem 10. retulit: ſæpius ventis agitatur ingens pinus, & celſæ graviore caſu decidunt turres, feriuntqve ſummos fulmina montes.

Fortè ad tribunal Matris DEI, ut pote omnium Patronæ, & Advocatæ benigniſſimæ properabis. Verum & illa Luc. 1. jam edixit: depoſuit potentes

tes de ſede & exaltavit humiles. Fortè ad tribunal DEI hominis appellabis? ſed ecce. Quæſtionem ſubinde Chriſto Domino movit Pilatus, rogando, quid eſſet veritas? & cum hoc inflatulus protuliſſet; exivit, inquit ſcriptura. Joh. 19. Cur tantillum non ſubſtitit; cur reſponſum à Domino non expectavit; cur illico ſe ſubductum voluit. Nempe coram Chriſto ſuperbia illa tanta diu ſubſiſtere non potuit. Nullibi ergo gentium, nullibi terrarum, in nullo tribunal in nul foro ſubſiſtit ſuperbia: pellitur undiq; premitur ubiq;; odibilis apud omnes, inviſa omnibus, & notate bene: quamvia fere omnia vitia de ſe illaudabilia, & ſuâ deformitate odibilia ſint, adhuc tamen hic atq; illic ſuos patronos, & laudatores habent: ſola ſuperbia Patronum, & Advocatum non habet. Incidit quis fortè in crapulam: benignè habetur: cavemus, nè hominem vel verbulo laudamus; blandimur, componimus, ad ſuos perducimus, lecto componimus & qvòd à Baccho victus ſit, tyrannidi hujus efferi, atque crudelis Deaſtri adſcribimus; qvi jam tot mortales, atqve ſubinde integros populos interneccioni dederit. Qvispiam ſeſe impuritatis vitio contaminavit: cum divo Auguſtino dicimus: non eſt peccatum, quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo. Et cum Thoma Kempenſi (l. 1. c. 1. de imit.) ſi videres alium apertè peccare, non deberes tamen te meliorem æſtimare; quia neſcis qvamdiu poſſis in bono ſtare. Omnes fragiles ſumus; ſed tu neminem fragiliorem teipſo tenebis. Diſſipavit quis ſubſtantiam ſuam? conſolamur; ſuccurrimus; mensâ, hoſpitiô recipimus, non ignari, eandem nobis fortunam evenire poſſe. Homo ſum, dicebat ille, nihil humani alienum à me puto. Sed quispiam ſuperbus, & arrogans eſt? qviq; non contentus ſuâ ollâ, conſeſſum prætendit inter dolia, eum omnes, & ſinguli, parvus atq; magnus; vir atqve mulier, doctus, indoctus, ſtultus & ſapiens, domi forisqve riſu, cachinnis contemptu, opprobriis perſequitur; & ſi occaſio tulerit, in ruinam impellet.

Verùm enim verò, dicet hoc loco quispiam. Si nullibi ſuperbia ullam ſubſiſtentiam habet; unde ergo tot ſuperbi, tot inflatuli? Reſpondeo primò: quia multæ ollæ, quæ volunt eſſe dolia. Reſpondeo ſecundò; hoc ipſo, quod ſuperbia nullam habeat ſubſiſtentiam, nullibiqve ſubſiſtere poſſit, vagatur ubique. Quare admodum ſedulò nobis curandam, nè hanc Cingaram domum noſtram divertere ſinamus. Mà laſciate la beſtia correre!

Do-

Dominica II. poſt Pentecoſten.

Suſpiciens in cœlum ingemuit. Marci 7.

Sapiens, priusquam loquatur, multa prius ſecum.

TRia ſunt, Academici, quæ ex veterum Philoſophorum ſententia, ut felici, optatoque terminentur exitu, prudenti circumſpectione, priusquam fiant, opus habent. Primum, cùm quis è vagina educturus eſt gladium; quid ità? nè videlicet, per imprudentiam vicinis aliquod vulnus inferat. Feciſſet hoc Petrus in Horto Gethſemani, auriculam non perdidiſſes Malche. Deinde ille circumſpiciat, oportet, qui alteri familiarem manum injecturus eſt. Quid ità? nè videlicet, cùm ſe amicum comprehendere exiſtimat, hoſtem ſtringat. Unde ſapienter Pythagoras: manus cuivis injicienda non eſt. Feciſſes hoc Amaſa, Joabi gladio non cecidiſſes. Ergo fide, ſed cui, vide. Demum illi circumſpiciendum, qui feroci, atqve indomito caballo frænum, habenasq; permiſſurus eſt. Quid ità? ne ſcilicet, effrænis ille, & ſe, & ſeſſorem ſuum agat in nunquam reparanda præcipitia. Feciſſes hoc Phaëton, & adhuc paternos ageres jugales, neque orbem in nunquam eatenus viſa traxiſſes incendia. Ergo bone Myrtile, fortius utere loris.

DD. Academici. Tria hæc, unam, eandemque nobis veritatem loquuntur; unicam commendant ſapientiam, illi omnino, ac penitus neceſſariam, quisquis linguam in loquelam ſoluturus eſt. Gladium educturus, circumſpicis? acutus gladius, lingua hominis: dixit hoc Regius Vates Pſ. 56. & Pythagoras, gladii plagam, quàm linguæ leviorem dicebat; quando-quidem, ut Valerius Maximus obſervavit, ille corpus ſolum; hæc animum vulnerat. Manum amico injecturus, circumſpicis? verbum oris, manus cordis eſt: ſapiens, inquit D. Ambroſius l. 1. offic. priusquam loquitur, multa conſiderat, quid dicat, cui dicat, quo in loco dicat, & quo tempore dicat. Equo frænum permiſſurus, circumſpicis? & Theophraſtus dicebat; potius effræni eqvo, quàm incompoſito verbo fidendum eſſe; qvando plus à lingua, quàm ab effræni beſtia periculorum eſt.

Et hæc eſt illa ſapientia, quam in hodierno Evangelio Veritas æterna mundum docuit; circumſpectè nimirum linguas, atque verba depromenda eſſe, nè fortè quis Malchus de auriculâ, aut Amaſa de vita periculum ſubeat. Videte Academici. Mutum hominem adduxerant ad Chriſtum Galilæi. Mutum curaturus, muto linguam ſoluturus erat Dominus; ſed quàm id cautè, quàm circumſpectè, ac nè dicam timidè factum. Primò namque clientem ducit ſeorſim;

Digitized by Google

ſim; egregio documento; locuturum oportere præmeditari in ſolitudine, quod poſtmodum palàm eſt edicturus. Deinde; impoſuit digitos ſuos in auriculas ejus; quippe prius curandum, ut audiamus, quam loqvamur. Tum exſpuens, tetigit lingvam ejus, velut admonens, caveret proferre, cujus poſtmodum pœnitere poſſet. Demum ſuſpiciens in cœlum ingemuit; non ignarus, quàm immoderatum telum imperito mortali in manus daret, cùm muto linguam, ejusqve uſum conferret; quare & cœlum ſuſpexit, homini locuturo aſſiſtricem divinam ſapientiam indè evocaturus.

Multa diverſis temporibus, occaſionibusque, eaque mira prodigia legitur præſtitiſſe Salvator, veluti nihil agens; & nullâ ferè uſus ceremoniâ, aut animadverſionè prævià, ùt cùm Joh. 2. aquam in meraciſſimum vinum momento vertit; ut cùm Lucæ 5. diſcipulorum retia ad ſummum usq; piſcium enormi copiâ implevit. ùt cùm Matth. 8. Leproſum hominem, velut in ictu oculi ab omni malo immunem reddidit; ut cùm ibidem iratos ventos, & turbatos maris fluctus momento compeſcuit, & obmuteſcere fecit. At facturus, ut muto lingua ſolvatur; quanta non adhibuit? ducit hominem ſeorſim: mittit ſacratiſſimos digitos ſuos in auriculum ejus; tum qvoq; primum exſpuit, linguamque contingit; figuntur inſuper in cœlum oculi, adduntur q; ab imo pectore ſuſpiria; ac tandem ſonantiore voce inclamatur: Ephetha. Quid enim ſibi Dominus voluit hac ſapientiâ, niſi ut ſciremus, quâ circumſpectione, quâ prudentia nobis loqvendum ſit. Ad imbuendos, ad conſolandos, ad perſvadendos, ad excitandos animos nihil lingvâ præſtantius, efficaciusve; at nihil ſimul periculoſius, ubi ſinè lege, & fræno diſcurrere cœperit. Mors, & Vita, in Manu linguæ, inquit ſapiens Prov. 18 Videte Academici; eadem lingua, ſi ſapit ſanat, ſi deſipit vulnera facit. Idem verbum, *fiat*, nunc vitæ, nunc mortis nuncius eſt. Eadem vox præparat cervos, & eadem confringit cedros libani. Lingua gladius eſt; idem propugnat, idem expugnat. Ignis eſt; & fovet; & incendit.

Excidit qvandoque verbum, & quas non ſtrages fecit. Occiderat olim Alexander Macedo, de ſuis Ducibus Calliſthenem: diu tacuit Clytus Militum ductor inclytus: usq; illi inter cœnandum, & pocula excidit, Alexandrum qvidem multa cecidiſſe per victoriam Perſarum millia; ſed & innocentem Calliſthenem. Dixit; & in præmium ſuæ nimiùm facilis facundiæ & ipſe qvoq; Clytus ab Alexandro occiſus eſt. Scintillam jeciſti, cave ſis incendium.

Verbum qvandoq; adverſus ſanctiſſimū Archiepiſcopum Cantuarienſem Thomam exciderat Henrico Anglorum Regi, conqueſto ſe cum uno ſacerdote pacem

Digitized by Google

in regno habere non poſſe. Dixit; & illico Thomas à Regiis Satellitibus ad crudeliſſimam necem quæſitus eſt. Adeò verum eſt; Mors & Vita in manu linguæ. Barbam Regi Bohemiæ componebat fortè chirurgus tonſor; cùm auſus eſt ex Rege quærere? in cujus manu eâ horâ Regnum Bohemiæ eſſet? dixit; & verbum capitis pœnâ luit. Poterat hic moriens ſibi ſcribere epitaphium; pœnitet fuiſſe locutum.

Et nonne non ipſi DD. Academici, modò pro veritate ſtare velimus, ſubinde altè ducto ſuſpirio dicimus: hätte ich mein Wort wieder. Aliquod verbulum per imprudentiam, non perpenſis circumſtantiis prolocutus es: Ach hätteſt du dein Wort wieder! nec illum tuum tam ſincerum amicum vulneràſſes; nec illius tam neceſſarii tibi Patroni, gratiâ & favoribus excidiſſes; nec tuam, aut ignorantiam, aut inſipientiam palàm feciſſes: nec tuum honorem, æſtimationemque proſtituiſſes; neque hoc illudve ſecretum in publicum prodiiſſet; neqve has, & illas animorum diſſenſiones, inter noſtros, atqve familiares excitâſſes; neqve tuam conſcientiam, mentisqve quietudinem turbâſſes, neqve divinam Nemeſin in tuum caput ultricem provocâſſes.

Non eſt mihi hic Academici, ſermo, de lingua procaciore, & verbis libidinoſis, aut ſcurrilibus, qvibus innocentis Juventutis flores nimium qnàm ſæpe infaſcinantur, corrumpunturqve; namque hæc nè nominanda qvidem eſſe in nobis monuit Apoſtolus: & ſanè præſtaret ejusmodi blateronibus ſuſpendi molas aſinarias de collo, eosque mergi in profundum maris, qvam vel unicam animulam afflare ejusmodi ſpurcitie: Neque mihi ſermo eſt de iis, qui graviſſimorum virorum famam, honoremqve per nequiſſimam injuriam præſumunt proſcindere; aut qvi in ſacroſanctum Numen, ejusve Divos Cœlites blaſphemi ſunt: quandoquidem hæc ſua ipſorum enormitate deteſtabilia, atqve admodum abominanda ſunt; ut apud Sapientes, ad eorum odium, nullo monitore opus ſit: ſed loquor de verbis, quæ primâ fronte ſpecioſa à tergo autem vitium trahunt, ad modum lacertarum, quæ capite blandiuntur & venenum in cauda portant. Huc reſpexit Eccleſiaſticus, dum c. 28. ſcripſit: aurum tuum, & argentum tuum confla, & verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectas. Etiam ea verba, quæ ſuum valorem habere creduntur, à nobis ponderari vult divina ſapientia: verbis tuis facito ſtateram; & qvemadmodum prius exploras pondus auri, quod exponis; ita videndum prius, qvale ſit verbum, quod proferre diſponis. Summa ſummarum hæc erit, monet loculurum Romanus ſapiens ep. 72. tardiloqvum te eſſe volo. Nunquid autem verba ponderari poſſunt? quidni? non vidiſti; ego vidi. Placet audire? enarrabo! Vide nempe

pe Academicum nuper Menſulæ librariæ incumbentem, & ſeſe pro formanda peccatorum Confeſſione parantem. Nunc hærebat innixus cubito; nunc admordebat ungvem; nunc fricabat prurientem auriculam. Modò ſtabat erectus, modo inambulabat velut fugitivus: jam de feneſtra luſtrabat viciniam, mox ad ſcrinium reverſus, arrepto calamo jam notabat, jam lituram ducebat; jam errata emendabat. Negotium, qvod ſecum ponderabat, erat, an in confeſſione exprimendum eſſet, à quanto tempore confiteri diſtuliſſet. Dicebat enim; ſi tempus nomino, cùm jam quatuor menſes effluxerint, qvid arguet Confeſſarius, quòd homo Academicus, & Dei Matris ſodalis vix in quartum menſem ſemel ſe Deo reconciliare ſtudeat. Quod ſi iſtud prætereo; quid exiſtimabit Confeſſarius de homine, qui intra tempus usque adeo breve, (ità illi, qui bis in menſe Academicos peccata ſua eluere autumat, videbitur] corbem meum tot peccatis impleverim. Deinde, pergebat ille, quid de nupera ſaltatione afferam. Nihil quidem in ea, quod ſciam, accidit, quod meam conſcientiam graviter læſerit: nam & in præſentia honeſtiſſimorum virorum ea ſaltatio celebrata eſt, & omni cum decoro, atq; innocentia peracta. In ſuper aliquid amicorum, & familiarium precibus dandum fuit; atque ità me nullo ex capite obligatum invenio, hac ſuper re Confeſſario quidquam edicere. Quid ſi præterea illi ſuſpicionem fruſtraneam moveo, quaſi neſcio quæ, ac quanta eâ occaſione perpetrata ſint: certè ſaltem anſam præbeo, de iis, quæ nec in mentem venêre, ſciſcitandi. Ex alia parte, nihilominus ſtatera bilancis meæ me dubium tenet, & in perquam perplexum ſenſum trahit.

Nam iſtud negare non poſſum, usqve in profundam noctem, inter ingentes tumultus, & in ſapientium voces, nec ſine grandi totius viciniæ turbatione ſaltationem perduràſſe; & quis novit, cum meus pleriſq; per largiorem compotationem utcunqve erepta fuerit, nam omnia tam angelicè pertractata ſint, quemadmodum mihi nunc imaginor. Hæret, qvod dicebat Paulus. Nihil mihi conſcius ſum, in hoc tamen juſtificatus non ſum.

Sed qvid de patrata rixa? tres ſocii dicuntur vulnera retuliſſe, neq; mediocria? unus ſi nondum exſpiravit, extremum ſpirat. Alius arma ſua, alius de Numis quidpiam, alius de veſtitu perdidit; illud certum, qvòd non minima illius prælii pars, ſi non primum mobile fui. Dicam ergo Confeſſario, me fuiſſe in rixa. At hoc ſatis non erit; addendum enim, an me authore, an incentore, an ſolum concurrente res acta. Addendum ſi qvi vulnera & qvod retulerunt, an levia, an gravia, & num nullus planè interierit. Si me actionis authorem facio; certum habeo onus, pro injuria ſatisfaciendi damna reſuriendi, tam ea

Digitized by Google

quæ ex vulneribus, quàm ex ipſa læſi morte conſecuta ſunt, juxta opinionem Hoſtienſis, Panormitani, Romani, & Azorii. Quanquam hoc poſtremum, de damnis ex morte, negare videatur Navarrus, citans L. final ff. de his, qvi dejecerunt; & L. liber homo ff. ad L. Aqviliam. Ubi dicitur hominem liberum nullo pretio æſtimari. Et hanc ſententiam etiam probabilem judicat Azor; unde probabiliter, pro erepta vita nihil mihi reſtituendum veniet. Quod ſi me rixæ dixero ſolummodo fuiſſe compartem, tum mihi quidem mitior ſum, ſed neſcio, an verior; & poſt omnia res tota ſcrupulis, & anxietatibus obnoxia eſt.

In hunc modum, Academici, verſabat ſeſe is, de quo ſupra, omne verbum, qvod Confeſſario prolocuturus, erat ponderans, atqve inſpiciens. Poſſunt ergo verba ponderari. Et certè, ut ſubinde à poteſtate publica, vel privata aliqvid, *Fiat*, impetretur, quanta nummorum pondera ex altera bilancis parte ſuſpendenda ſunt? Docent id Peruani populi, qui, ut à Carolo V. glorioſiſſimæ memoriæ Imperatore, unum qvoddam gratioſum *Fiat*, qvandoq; elicerent, qvadrageſies centena Philippæorum millia obtulerunt. Aurum ergo tuum, & argentum tuum conſla, & verbis tuis facito ſtateram, ut prius hæreat in ſtatera, quàm poſtea circumeat in turba. Sic circumſpectos nos oporteret eſſe ad loqvendum, ſicut Academicus, de qvo paulo ante, ad confitendum. Sapientiſſimè in rem noſtram Famianus Strada. Habent, ut ille obſervat, etiam horologia, ſuam, qva nobis, & matutinas, & meridianas, & veſpertinas atq; nocturnas horas indicant, loquelam. Verùm obſervate Academici, quàm id lentè, quàm invitè, ac velut pigrè præſtent. Stat machina, multis implexa rotis, ità ut membra membris, dentibus infixi dentes hæreant. Rotarum aliæ majores, aliæ minores, aliæ mediocres, omnes loqvi, ſed lentè feſtinantes. Urgent curſum è funibus pendula pondera, & quà poſſunt vi, atqve impetu, rapiunt ad ſonandum. Vertitur ſummus orbis, ſecumqve rapit minores; miſcentur dentes dentibus, & ſua frequens repetit itinera inferiorum rotarum vulgus; tacere difficilis inqvies ſuos percurrens mæandros ſegnem malleum, ad aliquid proferendum provocat. Neqve tamen ille illico in ſonos erumpit; donec tandem aliqvando tot ponderibus, tot funibus, tot rotis urgentibus, ecce ſonat cymbalum, captum loqui Lemma adſcripſiſſet Emmanuel Theſaurus Symbolo: Multa prius ſecum. Ecce figuratum ſapientis hominis animum. Nec ſemper tacet, nec ſemper loquitur: homo ſapiens tacebit usqve ad tempus, inqvit Eccleſiaſticus c. 20 Sed ut loquatur ſemel, tacet diu. Multa ipſe prius ſecum. Mentis ſenatum habet, momenta rerum in Conſilium vocat; verba teſtudinibus vehuntur; idqve in primis cavet, nè quid falſum, dicatur, Nè quo proximus lædatur, nè quid ſuperbè

perbè proferatur, nè quid per iracundiam erumpat, nè quid incircumſpectè depromatur.

Ità quidem apud Horologia rotatilia, hoc eſt apud homines ſapientes, fieri amat, qvi omnes affectus, rotasq; operationum in numero, pondereq; habent; cùm ex adverſo, qvi ejusmodi circumſpectione prudenti deſtituti ſunt, ſint inſtar clepſydrarum, non arenacearum, ſed aquaticarum, quæ continuo lapſu, continuum quidem, ſed inutilem admodum, ac ſæpe auribus gravem ſtrepitum cient: tam multa, tam varia, tam confuſa, tam diu garriunt.

Ergo Domine Academice, in omni locutione cautus eſto, illam comprimens immoderatam animi affectionem, qua plerique mortalium impelluntur ad ſententiam ſuam vix conceptam, illico, & temerè effutiendam, ſine delectu, ſinè examine. Data eſt tibi à Deo loqvendi facultas, ſed qva non minus circumſpectè, quam bicipiti gladio, aut effræni equo utendam, locuturus, teipſum conſule; collige virtutum ſententias, collige, quid prudentia, quid charitas in DEUM, quid charitas in proximum, quid demiſſa animi moderatio, quid juſtitia, quid manſuetudo, quid ratio boni communis, quid ſtatus perſonæ tuæ particularis, exigat, urgeat, ſvadeat. Vide ſi ulla in te affectio immoderatius exæſtuet, neq; prius navim ventis permittes, usqve turbo deſierit. Nullus ſit ſermo otioſus, nullus non præmaſticatus. Sicut eligis, qvo veſcaris ſic elige, quod loqvaris. Cibum per os ingreſſurum examinas: cur non & verbum per os egreſſurum, quod ſæpe graviores tragœdias in tua domo, quam illud in ſtomacho excitavit. Sapientiſſimum qvemqve tibi imaginem ſume. Animalia quæ ſapientiora cenſentur, minus quoq; vocalia ſunt. Altiſſima flumina minimo; exigua maximo ſtrepitu defluunt. Bruta elementa tumultuantur; concutitur terra, undat aqua, perſtrepit aer, crepat ignis: quod in univerſo præſtantiſſimum, atq; ſimul potentiſſimum, cœlum inquam maximo ſilentio orbem circumvolvitur. Circumſpectum verbum in omni hominum genere ſuum habet panegyricum: in Juvenibus, enim, ùt ille dicebat, ingenuus pudor, in ſenibus prudentia, in ſervis reverentia, in miniſtris debitum, in principibus neceſſitas, in fœminis miraculum eſt. Ergo aut ſilentium, aut multa prius tecum. Auguſtus Imperator duplici utebatur ſigillo: Sphinge obſignabat res civiles, quas nolebat à qvovis intelligi; Harpocrate obſignabat res bellicas, qvas nolebat ſciri. Utere aut Harpocrate, & tace; aut Sphinge, & loqvere,

ſed cautè.

Digitized by Google

Dominica 12. poſt Pentecoſten.

Curam illius habe. Luc. 10.

Tempore invaletudinis, non modo Medicum corporis, ſed in primis Medicum animæ advocandum eſſe.

MAgna ſemper inter mortales viſa calamitas, adverſa humani corporis valetudo; cumque multos exultantes videris inter graviſſimos labores atq; ſudores, inter domeſtici peculii anguſtias, inter adverſariorum impetus, & opprobria; neque ullà moleſtià fractos, neque perterritos contrariis eventibus; haſtam tamen, & clypeum iidem abjecêre, ubi adverſus morborum inſolentiam depugnandum fuit. Et verò exigua admodum lætitiæ, ſecuritatisve materia eſt, cùm quis aut calente febre, aut premente calculo, aut incensâ podagra laborare cœperit! ohe! quantum dolent omnia! ô caput, ô meum caput! ô pedes, ô quantum doletis pedes, quàm totus ardeo, quàm totus ſitio: neq; tamen cibus, potusve ad palatum quidquam faciunt. Vix ſpiro, ah vix non totus exſpiro! he! he! jam pæne animam ſimul extuſſio. Heus! quid horæ? quàm lenti ſunt hodie ſolis curſus! adhuc credo, Phœbus pectitur, adhuc lavatur! tandemne diem habebimus? quid agitis horologia, quòd nullus dum malleus horam aliquam excutit? O he! dorſum meum! vertor, invertor, revertor, ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, & quies conceditur nulla; vix reſpiratio. Annon ſatius nonnaſci, quam ſic diu mori? & vos p gra magis gliribus mancipia, cur non jam dudum adduxiſtis medicum; ah medicum, vocante D. medicum!

Ità, equidem teſtor, fieri ſolet, DD. Academici, quæ res non modò malè habentibus perquam moleſta; verum & iis, qui nihil alioqui adverſi in corpore patiuntur, multorum incommodorum cauſa, multaq; compaſſionis materia eſſe conſvevit. Inde fit, ut cùm primùm quiſpiam familiarium valetudine affligi cœperit, ſinguli ſiamus aut Medici, aut in medicis Conſiliarii: ubi verò ipſi nihil admodum proficimus, peritiſſimum quemq; advocemus, qui morbi vires diſpiciat, quæ obeſſe poſſint ſubtrahat, opportuna verò adjumenta ſuggerat; atq; ita hominem ſaluti, incolumitatique reſtituat.

Accidit, ut Roſillus, vel Roſilla, ſubitâ corripiatur febricula: O quæ parentum curæ, qui timores, quæ ſolicitudines! rogantur Medici, conveniuntur Pharmacopæi, quæritur, quid conſilii; funduntur ad divos preces, fiunt vota; undique audiuntur lamenta, & ſuſpiria! & unde unde captantur ſolatia! quid ita boni Patres, quid ita bonæ matres? nempe de Roſillo, vel Roſilla res agitur. Jam friget, jam calet, jam rubet, jam pallet; hebeſcunt oculi, tremunt articuli; deficit ſpiritus, ſordet anhelitus; verbo, dulcis filiolus, vel filiola in peſſimis ter-

Digitized by Google

terminis conſtituta eſt. Bene habet; ergo rogetur D. Medicus. Ipſa namq; natura univerſorum mortalium pectoribus inſcripſit, inſculpſitque illud Evangelium: curam illius habe.

Fortè pater, fortè mater, aut amicorum quispiam in morbi genus lapſus eſt; & ecce accurrit filius atq; filia, ſervus & ancilla, amici & conſangvinitas, hic lectum componit; ille laſſum corpus lecto reponit; ille verbo lenire dolores, ille dextrâ extergere ſudores: alius conſolari mærentem, alius fovere dolentem; paſcunt, ſi cibus, potant, ſi hauſtus placuerit; inter omnia verò prima cura, ut vocetur D. Medicus.

Currite, currite, chariſſimæ proles, currite boni amici; nam & veſtra hic rota vertitur. Si hos perditis infirmos, perditis vitæ veſtræ autores, perditis conſervatores & educatores, perditis duces & paſtores. Et ut paucis dicam omnia, perditis veſtros parentes. Et quamvis fortè morbus lethalis non ſit, currite nihilominus; grande namq; malum eſt illa corporum infirmitas, & nunc tempus eſt, veſtro auxilio & ſubſidio iis, qui vos genuerunt, ut ſuccurratis. Ergo huc citò Medicus. Omnis mora damnoſa eſt; initia malorum quæcunq; in primo flumine mergenda ſunt. Hoc debetis filii parentibus, clientes patronis, noti familiaribus, Chriſtiani Chriſtianis, homines hominibus.

Sed quæſo, dum jam properatis, unum oportet nè obliviſcamini. Ecce, quia veſtri infirmi pericula perpendiſtis, altum ſuſpiratis, turbati, contriſtatiqve eſtis, & fortè etiam ingemuiſtis, nec aliud ſuccurrit, quàm ut vocetur Medicus: amabo, quandoquidem veſter infirmus plus ſolatii atq; emolumenti habiturus eſt ex ſanitate animæ, quàm curatione corporis, dum vocatis medicum corporis, animæ medicum unà ducere nè negligatis. Eſt hæc doctrina magni Apoſtoli Jacobi c. 5. ità admonentis. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Equidem nullum è nobis eſſe exiſtimem, qui neſciat, quàm grande malum ſit corporis infirmitas, & quàm ſapienter ſe habeant, qui eo rerum ſtatu peritiſſimum quemq; Medicorum ſuper valetudine ægroti conſuluerint; quand etiam in hoc negotio parvus error in principio, magnus eſſe ſolet in fine: verù illud pariter inconcuſſus ſtatuo, potiorem tunc curam animæ habendam eſſe, potius capram quàm caules ſalvari debere. Exoſculor manum Medici, qua tumvis adverſa palato porrigat, quantumvis ſevet, quantumvis urat, modò ſa tati reducendæ ſtudeat. Sed ſimul volo adeſſe Medicum, qui animæ tumor regnantemq; turbatorum affectuum intemperiem, qui fatalia mentis vuln-

Digitized by Google

curet. Et hunc magis: quandoquidem, ſi alterutrum perire neceſſe ſit, non tam vagina ſalvanda de corio, quàm de Damaſceno chalybe gladius.

Febriles meos calores fregit manus Medica; gratias immortales habeo meo Hippocràti; ſed ille medicus animæ, ille mihi æternos reſtingvet ignes, ille æternos inferorum prævertet dolores, qui me ad peccatorum meorum agnitionem, atq; deteſtationem; ad vitæ melioris propoſitum adducturus eſt. Hunc malo, quandoquidem, ſi alterutrum eligendum eſt, præſtat hîc millies calere, quàm ibi ſemel ardere. Docet me id magnus Auguſtinus; ad Deum Judicem orare ſolitus: Ah mi Domine, ac Deus meus, ſcelerum vindex juſtiſſimus, hic ure, hic ſcinde, hic ſeca, modò in æternum parcas. Dolorem capitis, oculorumve aut dentium immanes cruciatus ille Galeni ſectator lenivit, aut exterſit: veneror peritiam, & dilando ſapientiam: ſed ille medicus animæ, qui cùm omnia mala meruiſſem peccatis meis, me DEO meo reddidit, ille me ab æterno fletu, & planctu, & immaniſſimo dentium ſtridore liberaturus eſt; Hunc itaq; magis quæro, quandoquidem, ſi alterutrum fieri oporteat, ex duobus malis, minus utique eligendum eſt.

Infirmor, & non vocâſti medicum corporis, malum eſt. O qui cruciatus, quæ anguſtiæ, quæ vitæ pericula? dum morbus indies vires ſumit, & debile corpus, nullo remorante, magnis paſſibus ad mortis properat viciniam, brevi vermibus ceſſurum in pabulum. At non vocâſti medicum animæ, & ecce vix aliqua ſalutis, vix aliqua ad quam feſtino, æternitatis memoria. Imò nè ſuccurrit quidem, vel Dei, vel futuræ patriæ, vel imminentium infernalium pœnarum meminiſſe. Quod ſi ſuccurrit quidem, tum mihi anguſtiæ ſunt undiq;, tantorum peccatorum adverſus numen commiſſorum conſcio; nec miſericordiam divinam ſatis ſperare libet, nec deſperare licet: neq; quid factu optimum, intelligere valeo, cùm nemo adeſt, qui ducat, qui moneat, qui adjuvet. Cœlum aſpicio & clauſum latet, gehennam video, & pro me patet: heu conſcientia quæ te dementia cepit? hîc tacet. Interea mentem ſubeunt quàm diverſa, tam horrida phantaſmata. Hæreo, an unquam ritè peccata confeſſus ſum? neſcio, an unquam verum dolorem de meis malè commiſſis conceperim? quid ſi ſcelera nunquam mihi dimiſſa ſunt? quid ſi brevi ſim inferni futurus titio? Et quid facio, ſi fortè quidpiam alienum poſſideo? hæc vinea, ille ager, illud peculium an meum, an alterius Domini eſt? edeſſet utinam Sacerdotum quiſpiam, qui tam periculoſum labyrinthum pererranti filum porrigeret? Interim mihi ad æternitatem iter eſt. Eheu, quis me in brevi loculus, quæ ſepultura excipiet? quibus vermibus paſtus futurus ſum? quæ ſententia decretoria ſupremi Judicis, quod ful-

fulmen à morte mea in caput meum vibrabitur? Animula, quorſum imus? ad Auſtrum, an Aquilonem nobis occaſus eſt? eheu, qui cerberi, qui trifauces cerberi, qui inferi, qui rogi, quæ nos manent ibi incendia? æternitas, heu longa æternitas, ô quàm res inviſa eſt peccatoribus æternitas! Hæc infirmorum lamenta, hæc ſolent eſſe ſuſpiria.

Et quis horum gemituum cauſa? annon pater, aut mater, (aut quisquis alius ille fuit,) qui in morbum lapſo filio Medicum corporis quidem advocaverunt, Medicum animæ neglexerunt. De re medica & corporis cura, magnâ ſolicitudine proſpexerunt; de ſanctiſſimis Sacramentis recipiendis cogitationem nullam habuerunt.

Res ſtupore digna! infirmatur quis domeſticorum; & ecce tota turbatur domus, & omnis angulus plenus eſt ſuſpiriis: conquiruntur Medici, etiam de longè diſſitis locis petuntur medicamenta; explicatur morbi genus, nudantur artus, adhibentur cauteria, tolerantur ferrum, & ignes; ſumuntur adverſa quæq; pharmaca, audeo dicere, etiam venena. Quorſum? ut corpus ſanetur. Inq; hunc finem nullis parcitur expenſis, nullis ſumptibus; & de Ludovico XI. Rege Galliæ legimus, Medico ſuo in dies ſingulos aſſignâſſe quingentos Philippicos in ſtipendium. Quorſum? ut corpus ſanaretur. Quod ſi deſit Medicus, curritur ad neſcio quos, Agyrtas, qui quòd forum clamoribus implent, inter miracula cenſentur; & quamvis præter nonnulla chirurgorum emplaſtra, aut maſſulam pro ſerenandis dentibus vix quidquàm aliud afferat, tamen in vota, precesq; imus, & Machaonem nobis in eis fingimus. Ut corpus ſanetur.

Quod ſi & hi defuerint, accurritur ad neſcio, quas furcâ dignas mulierculas, quæ ſuperſtitioſis benedictionibus malum pellant; inſpiciuntur ſpecula, conſuluntur ollæ, & tripodes, vinciuntur arbores, adjurantur patibula, ipſa etiam ſæpe invocantur in ſubſidium dæmonia. Quorſum, ut corpus ſanetur.

Et ecce, ſecundùm animam infirmatur pater, mater, filius, filia, frater, ſoror, amicus, amica, & nemo eſt, qui animæ Medicum advocet. An verò, quærit D. Auguſtin. ſerm. 13. de Sanctis, an verò non in te ſunt viſcera Chriſtianæ miſerationis, ut plangas corpus, à quo diſceſſit anima; & non plangas animam, à qua diſceſſit DEUS?

Quid agimus Chriſtiani? paras infirmo tuo lectulum molliorem, & non caves, nè tuus infirmus projiciatur in ſtagnum, ardens pice & ſulphure? Tu infirmi tui ſitim reſtingvis diverſis medicatis potibus; & non caves, nè infirmus tuus inter infernalia incendia æternùm ſitiat. Congemiſcis infirmo tuo, quòd langvet, quòd dolet, quòd morti appropinquat; & non doles, quòd inter æternos rogos, niſi caves, brevi arſurus eſt.

 Dicis:

Digitized by Google

Dicis: fortè ſecundùm animam iſte, infirmus non eſt. Eſt tamen homo, inter mortales. Et non eſt homo, qui non peccat. 3. Reg. 8. Eſt tamen filius Adæ: in Adam omnes moriuntur. 1. Cor. 15. Eſt tamen filius mulieris. In peccatis concepit me mater mea. Pſ. 50. Et nunquamne illum animo commotiorem, nunquam irâ abreptum, nunquam inanibus mundi curis diſtractum, nunquam linguâ lapſum, aut plus æquo timidum, aut proſperitate elatum, aut in adverſis dejectum, obſervâſti. Omnes iſti animæ morbi ſunt. Quid ſi, quod tu fortè ignoras, quid ſi in perjurium aliquod, quid ſi in blasphemiam prolapſus? quid ſi alieni iniqvus poſſeſſor, quid ſi occultus amator eſt? an infirmus non eſt?

Interea & illud animo revolvendum; quo in præſentiarum de anima loquamur. Et hanc tu incertis eventibus committes? Si hodie perit corpus, in fine mundi, in initio æternitatis noſtræ reſurrecturum eſt, & habebis illud. Si hodie perit anima, perit, quod totâ æternitate, niſi infeliciſſimè peſſumdatum non habebis. Si afflicto corpori ſuccurrendum ducis; memento quod de anima loquimur, cui ja nj am à foribus imminet, quod æternum cruciat. Si de hac mortali fluxaq; vita tibi tanta cura eſt, quæ ritu fluminis fertur, & poſt diem evaneſcit; memento quod de anima loquimur, cujus vita in ſe reflexus circulus eſt, infinita nempe, & omnino interminabilis; de qua ſanè, qualisnam futura ſit, multa cogites, neceſſe eſt. Amici, aut parentum corpus ab ægritudine ſervâſti; ah DEUM bonum, longè nondum univerſum mundum poſſeſſione occupâſti! quid autem prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Si de luteo mortalis hominis tuguriolo, quod exiguus ventorum flatus loco auferre poteſt, tanta æſtimatio eſt; memento quia de anima loquimur, ad imaginem & ſimilitudinem DEI efformata, pretioſo redempta Chriſti ſangvine; & quæ hæres DEI, & cohæres Chriſti in omnem æternitatem, inter Seraphinorum, atq; Cherubinorum ſplendores, ſi modò ipſi non refragamur, regnatura ſit; & hanc tu tam incertis eventibus committes?

Quàm metuo Academici, nè multorum parentum filii, nè multorum filiorum parentes hodie inter infernales rogos, & incendia exclament: Heu nos æternùm miſeros, quales ſumus nacti domeſticos? qualesve familiares? Cùm in morbos, ex quibus tandem in mortem deſcenſum, incidimus; deſudabant illi quidem pro reducenda corporis ſanitate; nihil Medicis, nihil pharmacis, nihil expenſis parſum, & ſumptibus; ut corpus ſibi redderetur; at enim ut peccata defleremus, ut expiaremus, ut Creatori reconciliaremur, ut divinis ſacramentis adverſum infernalis hoſtis inſidias muniremur, nulli in mentem ſuccurrit. Infelices amicos, qui cùm nullo negotio, de Sacerdote proſpicere poterant, nullam

lam

lam æternorum habentes curam, nihil de illo, nihil de ſalvanda anima noſtra ſuggeſſerunt. Hoc nempe erat, quod pro tot in eos collatis beneficiis, pro tot benevolentiæ indiciis, pro copioſa, quam eis deſignavimus hæreditate, pro tot exantlatis laboribus, & toleratis ſudoribus redderent, ut ſinè omni ſpiritualium rerum præſidio, ipſis volentibus, è vita, & mundo cederemus. Habuiſſemus Sacerdotum aliquem, qui nos pœnitentiæ agendæ admonuiſſet, qui nobis noſtra peccata, qui mortem imminentem, qui juſtum DEI Judicis tribunal, qvi inferni pœnas ob oculos poſuiſſet, qui miſericordiam nobis commendâſſet divinam, & in ſpem melioris vitæ animum erexiſſet; nunquam ad hæc tormentorum loca perveniſſemus! ſed jam actum eſt, æternùm ſumus, erimusq; miſeri. Tantum beneficium ſegnities noſtrorum domeſticorum nobis attulit.

Quæ cùm ità ſint ſapientiſſimè Pontificiis decretis ſtatutum eſt, ut nè quis Medicorum infirmi cujusquam reducendi curam ſuſcipiat, niſi ſimul clientem ad ſanctiſſima æquorum ſacramenta ſuſcipienda pronum videat. Statuit id ſanctiſſimus Pontifex Pius V. vetans Medicum Doctoratûs gradibus inſigniri, aut medendi facultatem accipere, niſi præſtito juramento coram Notario, ſe ægrotum admoniturum, ut confiteatur; & ſi poſt tertium ab admonitione diem cliens non obſequatur, ſe, niſi fortè ex Sacerdotis autoritate confiteri differat, eum ampliusnon viſurum. Conformiter ad ea, quæ Chriſtus Dominus Matth. 9. feciſſe legitur. Oblatus erat mundi Salvatori homo paralyticus, adeò viribus deſtitutus, ut cùm nullo membrorum uſu gauderet, ad Chriſtum deportandus fuerit in lectulo. Et ecce mirabile quiddam! petunt amici, & familiares à Chriſto ſanitatis gratiam dari infirmo; cùm Dominus inqvit: remittuntur tibi peccata tua. Optime Domine! quid rerum agitur? Hic homo paralyticus eſt, nihil in eo ſanum, nihil validum: nec progredi, nec ſuis viribus ipſe conſiſtere poteſt; ſed neq; brachio, aut pede liberè ad motum uti; ipſa ægre labia diducens. Sanari petit, & tu inqvis: remittuntur tibi peccata tua. Hoc non videtur illud, quod iſte rogat. Ad hanc qvæſtionem reſpondet D. Hieronymus: datur nobis intelligentia, propter peccata pleraſq; evenire corporum debilitates, & idcirco forſan dimittuntur priùs peccata, ut cauſis debilitatis ablatis, ſanitas reſtituatur. Fecit tunc Chriſtus, qvod ſapientes Medici in more habent; qui cùm capitis ſubinde doloribus mederi volunt, venam brachii incidunt. Qvid ità Veſtra Excellentia? non enim brachium, ſed caput malè habet. Ità qvidem: ſed hîc ſecamus, ut ibi curemus. Radix mali tollenda, ad quam per brachii ſectionem nobis eſt aditus. Atq; in hunc modum, qvia plerumq; ægritudinem, atq; morborum cauſa in noſtra anima eſt, ideo hæc prius, curanda, qvàm ipſum corpus.

Digitized by Google

Verùm, dicet quiſpiam, quantumcunq; hæc ita ſunt, non habeo hominem, qui infirmo Sacerdotem evocet. Stupeo, an tu tibi homo non es. Quid quæris apud alium, quod domi tuæ eſt. Et unde tibi homo, qui Medicum, corporis ſanandi gratiâ excivit, qui ægroto cibos paret, qui ligna comportet, qui domum verrat? niſi fortè iſti non ſint homines; aut magis domus indigeat homine, qui ligna comportet, quàm qui homini ſalutem procuret? Sed diſſiti ſumus, & via non modò longa, ſed etiam perdifficilis eſt. Credo. Etiam Sphæriſterium, etiam Caupona, etiam Hyppodromus, diſſita ſunt; & ambulationem difficilem habent; adeuntur tamen, etiam cum marſupii diſpendio. Et nonne ſubinde alicujus numuli, aut evagationis gratia unum atq; alterum milliare decurritur, etiam pluvio, etiam tonante cœlo; & ut animam Chriſti ſanguine redemptam lucrifacias, iter nimius longum eſt.

Dices: nondum infirmitas ad mortem eſt; eſt ſuus adhuc moræ locus.Ità per ſuperos, eſſe velim; nam tuum ægrotum diutiſſimè vivere cupio. Sed quis es tu ille de Cœlitum numero, qui mortali homini craſtinum poſſis polliceri. Et quid ſi ægrotus tuus adhuc hodie mente excidat? quid ſi uſum linguæ morbus eripiat? quid ſi hodie ultimum indormiat.

Non tamen, inquies, abſq; urgentibus cauſis, ſacro ſancti ſacerdotes ad tam moleſtum iter evocandi ſunt. Bone vir. Laudo humanitatem, & reverentiam ſacerdotibus debitam. Eâ utare, licet, humaniter alloqvendo, conſvetam corporis inclinationem exhibendo, caput pro more ſalutantium aperiendo: atq; in primis cave, nè qvid adverſus ſervos, & Chriſtos Dei durum, aut in conditum loquaris, ſecundùm illud, quod ſacræ literæ monent: Nolite tangere Chriſtos meos: deinde cavebis, nè in eorum præſentia calumnias, aut turpiloquia, aut quod aliâ viâ ſanctitatem perſonæ offendere poſſit, proferas. Quod ſi ultra progredi voles, adjuvabis eos conſilio, & auxilio, & erunt tibi in patres, & Deus retribuet tibi in millia: ſed illam humanitatem, quâ negas ſacerdotes ad ægrotos exiri debere, transmitte ad illos, de quibus Eccl. 19. ſcriptum eſt: eſt, qui nequiter humiliat ſe.

Sed ægrotus egenus eſt, nihilq; habet, quod gratiæ ſacerdotibus referat. Audio. Et reſpondeo ſacerdotes eſſe ejusmodi ſtatuas, quas ſi pretioſo amictu ornaveris, bene - ſi non ornaveris - adhuc bene, ad utrumq; parati. Sed ubi terrarum hæc monſtra? NB. Orator digito oſtendit ſuper aſſidentes Jeſuitas.

In

In Feſto Aſſumptionis B. Virginis.

MARIA optimam partem elegit.

VIri Galilæi, qvid ſtatis aſpicientes in cœlum? periculoſa res, oculos habere defixos in cœlo; & neſcire, qvid rerum agatur in terra. Sic cœlum qvondam ſpeculabatur ſapiens è Græcia, & fallente pede in ſcrobem obviam lapſus, cuiq; leviſſimo homini in riſum fuit, quòd in cœlo tam elongato, & nihil ad ſe pertinente hæſiſſet oculis, qui quò pedem figeret, non noviſſet, in terris. Quanqvam magnam vos inter, ac illum diverſitatem video: Non perſtitit ille, quia ſimul contemplabatur cœleſtia, ſimul rotabatur cum terra; at vos credo, ſic cœlum intuemini, ut velut in veſtro centro fixi, nullo præterea pondere, aliò trahamini. Sed tamen cauſam intelligere velim, quid ſtetis aſpicientes in cœlum? quid prodeſt in cœlo fixiſſe lumina, ſi tandem ipſa in mortem claudenda; & viſi ceſpite obruenda ſunt? Nec qvidquam tibi prodeſt aereas tentâſſe domos, animoqve rotundum percurriſſe polum morituro. Horatii Poetæ effatum eſt. l. 2. ode. 28. Qvanquam fruſtraneam hanc rem vobis futuram minimè exiſtimem; qvorum converſatio univerſa eſt in cœlis; & jam ibi oculus, quo tandem venturus eſt & Spiritus. Nihilominus inqvam noſſe cuperem, ut quid tanto ſtupore in cœlo defixi hæreatis? dura ſors, oculos habere in cœlis, & lapidibus obrui in terris. Sic cœlos vidit Stephanus, & inter lapidem imbres vitam poſuit. Quanquam ego vos omnes putem Academici velle eſſe Stephanos, ſi par cauſa vobis Lapidatores ſubmitteret, & moriendum eſſet cum Stephano. Quid tamen tandem eſt, quòd cœlum tam curioſi aſpicitis? cœlum aſpiciebat olim Evangeliſta, & dilectus diſcipulus Domini; & vidit ipſis inferis timendum Draconem, caudâ ſuâ tertiam ſtellarum partem agentem in præcipitia. Niſi fortè vobis ſolatio ſit, penes vos eſſe, ut qui fulgetis docti ùt ſtellæ; labentium è cœlo ſiderum ruinas aliquando reimpleatis.

Sed ecce, quas non lamentantium, ac pœne iraſcentium voces audio! Mariophili ſunt, MARIÆ Amatores, & clientuli ſunt; qui eo loco ſe poſitos dolent, ut nec quidem chariſſimæ Matris ſuæ oſſa habere liceat. Sperabant illi, ſi, (qvod ipſi non invident) Spiritus DEI Matris erat evaſurus, finitâ hac mortalitate, ad ſuperos, fore, ut ſaltem ſacratiſſimi corporis exuvias in terris habere, & venerari concederetur: & dedebatur terris noſtris Maria inquiunt, quia ipſa theſaurus in agro hujus mundi abſconditus: quærebatur ipſa noſtris adverſum tot conſurgentes in nos hoſtes periculis, quæ acies caſtrorum ordinata eſt: expetebatur noſtro ferreo ſæculo; quæ ſuo auro nobis cuncta effeciſſet aurea; deſiderabatur noſtris tempeſtatibus; quia ipſa Arcâ Noë felicior, tutior, ſecurior!

 ſed

Digitized by Google

ſed totum cœlum eripuit, itaque non unam, ſed omnem nobis felicitatem ſuſtulit; filios ſinè Matre, mœſtos ſinè conſolatrice, miſeros, ſine Patrona, relinquens. Ità illi aſpicientes in cœlum.

Sed quæſo parcius iſta, bonæ Animæ. Non eſt quod cœlo ſuccenſeatis; qvando Maria ipſa cœlum, tanqvam optimam partem elegit. Non eſt Amator Virginis; qui quod melius, quod pretioſius eſt, invidet. Nec rectè ſapere cenſendus, qui terras cœlo prætulerit. Et ubi melius ſanctiſſimæ Virgini, quam in cœlo: aut cui magis DEI Mater debita, quàm quod elegit? Creditisne D. Bernardo, quia MARIA, ſit illa Mulier amicta ſole? ergo credite, quia hoc ſignum magnum in cœlo videri debuit. Creditis D. Bonaventuræ quia MARIA ſcala Jacob; ergo credite, qvia cœlis inniti debuit. An creditis Virginis Sponſo, quia MARIA virgula fumi ſit; ergo credite, quia de deſerto hujus mundi ad ſuperna aſcendere debuit. An creditis Heſychio, quia MARIA Arca Noë eſt: ergo credite, quia poſt ſuperatum Mortalitatis cataclyſmum in montibus æternis requieſcere debuit. An creditis Fulberto, qvia MARIA matutina ſtella eſt; ergo credite quia hoc lumen indeficiens in cœlo collocari debuit. An Richardo Victorino creditis, quia MARIA Luna eſt; ergo credite, quia noctium noſtrarum tenebras de cœlo propulſare debuit. An Ecberto creditis, quia MARIA Aurora eſt, ergo credite, quia egreſſus ejus à ſummo cœlo, usq; ad ſummum ejus. An deniq; Ildeſonſo creditis, quia MARIA Mater agnitionis eſt, ergo credite, quia ſapientiſſima non erraverit, dum cœlum ut optimam partem elegit.

Scala Jacob enititur in cœlum: virgula fumi aſcendit in cœlum: Arca Noë proxima cœlo: ſtella matutina, hæret in cœlo, Aurora nitens, illuſtrat cœlum, Mater agnitionis eligit cœlum: deniq; quidquid MARIA eſt, enititur in cœlum, aſcendit in cœlum, hæret in cœlo, illuſtrat cœlum, fulget de cœlo, eligit cœlum. De hoc dicentem audite patienter, ego dicam breviter!

Ergo MARIA in cœlo? nunquid non, ùt dicebamus MARIA abſconditus in agro theſaurus eſt? de quo audiens ille negotiator cœleſtis vendidit omnia, quæ habuit, & emit agrum illum? ſi theſaurus in agro, quomodo hodie MARIA in cœlo? Nunquid non Maria caſtrorum acies eſt; cui verò magis hæc tutela neceſſaria, quam his, quorum vita militia ſuper terram? Nunquid non MARIA ſcala Jacob, per quam Angelici Spiritus, & his ſimillima mortalium Sancta deſideria ire, rediréq; conſvevêre; ergo ſic ſaltem cœlo inniti debuit, ut tamen terræ inſiſteret MARIA; & ſi ſanctiſſima Anima cœlum elegit, ſaltem corporis exuviæ terris concedendæ erant. O non fruſtrà livide coloratos cœlos; quando neſcio, quâ invidiâ, nobis theſaurum, caſtrorum aciem, ſcalum Jacob, & quod magis

magis dolet, Orphanis chariſſimam Matrem ſuſtuliſtis. O ingrata mundi patria, quæ nec oſſa tuæ Matris habes!

Verùm fruſtrà cœlo iraſcimur Academici! Univerſi hujus portio melior, cœlum eſt, cœlum elegit, optimam partem elegit Maria. Non poterant feliciore loco, morientis Deiparæ deponi oſſa, quàm ad pedes in cœlo regnantis Filii; illic, quod olim faciebat Magdalena, auditura verbum Domini. Non dico illud: oſſa arida, audite verbum Domini. Qvando de Maria, medulla cedri nunquam ablata fuit; ſed illud perceptura à Filio hominis: hoc os meum, & caro mea: vel certè illud: adhæſit os meum (Mater mea) carni meæ.

Felix quondam Martha (Terra noſtra quæ intra caſtellum ſuum recepit Dominum: ſed felicior hodie Maria, quam in domum ſuam, ubi manſiones innumeræ, ipſe recepit Dominus. Maria optimam partem elegit. Solicita Martha, [terra noſtra] turbatur erga plurima; & cùm ipſa vix aliud, qvàm punctum ſit, adhuc ferro, & igne, furore, & amore dividitur: Maria porrò unum habet neceſſarium: quærite primum regnum cœlorum, ubi omnia unum amore, & fervore. Maria optimam partem elegit. Martha [terra noſtra] ſatagit circa frequens miniſterium: raro ibi, ubi eſt; magisq; alibi, qvam ſicubi eſt. Semper varia, alia : & alia , Maria tota ſibi una, in uno oculorum, in uno crine colli, cor dilecti vulnerat, occupat: & cùm requiem quæſiſſet in omnibus, adeoque in quàm plurimis, in ſola, eàqve una hæreditate Domini invenit. Optimam partem elegit.

Quid enim ? quid amabo tandem, eſt terra noſtra ? quam Maria hodie calcat? Terra, vallis lacrymarum, miſeriarum colluvies, dolorum congeries, mare tribulationum, abyſſus afflictionum, triſtitiæ vorago, furorum æolia. Qvid cœlum, illa dulcis patria? cœlum, ſedes beatorum, felicitatis Domicilium; perpetuitas gaudiorum, omnis ſerenitatis, gratiæ, gloriæ, Beatitudinis felix compendium. Optimam partem elegit.

Quid terra? ubi lætitiæ parum, mœroris plurimum: ſtabili felicitatis nihil: ubi ſinceritatis parum, fraudum, & doloſitatis plurimū; perpetuitatis nihil: ubi ſanitatis parum, morborum plurimum: vitæ ſibi conſtantis nihil. Quid cœlum? ubi juventus nunquam ſeneſcit, ubi decor nunquam marceſſit: ubi dolor nullus ſentitur, ubi inſvave nihil auditur, ubi malum nullum timetur, ubi ſummum bonum æternaliter poſſidetur. Maria optimum partem elegit.

Quid tandem eſt terra! terra, ubi mille mortes, & millies mille mortis pericula; hos fames, illos ſitis enecat; hunc gladius, illum vorans flamma abſumpſit. Hunc febris, iſtum venenum abſtulit. Ille cataſtâ, ille inſaniâ periit. Alium cru-

Digitized by Google

crurifragium, alium naufragia perdidere. Multos juventus, multos ſenectus miſeros fecit, & quotusquisq; noſtrum annum absq; compluribus mortibus vidit? Quid cœlum! Vita, quam DEUS præparavit diligentibus ſe. Vita Beata, vita ſecura; vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita caſta, vita ſancta, vita ignara mortis, neſcia triſtitiæ, vita ſinè labe, ſinè dolore, ſinè anxietate ſinè corruptione, ſinè perturbatione, ſinè varietate, & mutatione, vita totius elegantiæ, & dignitatis pleniſſima: ubi ut loqvitur Auguſtinus [Medit. c. 22.] non eſt adverſarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi eſt amor perfectus, & timor nullus, ubi dies æternus, & unus omnium Spiritus; ubi Deus de facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens ſinè defectu ſatiatur.

Quid terra? Scis, quid ſit orbis? eſt plena morbis
Et plena rixis pandora pixis
Eſt vanitatum Vanitas.
Quid cœlum? Cœleſtis ædes, beata ſedes,
Salutis hortus, ſecurus portus,
Felicitas, & ſanitas.
Quid in terra? Sunt verba plumæ, ſunt facta ſpumæ,
Non eſt medulla, ſunt mera bulla,
Inanitas, & vanitas.
Quid in cœlo? Cor hic quieſcit, hic cor quieſcit;
Divinus viſus, æternus riſus.
Felicitas, & ſanitas.
Quid in terra? In terra, & urbe, ſunt mille turbæ
Laudis qvod audis, eſt rete fraudis
Eſt vanitatum vanitas.
Quid in cœlo? Flumenta mille, eſt dulcor ille,
Non eſt favilla, non una ſtilla,
Eſt mare hic felicitas.
In terra, Quid ſunt honores? iris, colores,
Quid gaza? dumi, quid pompa? fumi.
Inanitas, & vanitas.
In cœlo; Veri honores, veri amores,
Veri theſauri, divini auri
Felicitas, & ſanitas.

Denique tam vitæ quid terra; ut in proverbium exprobetur mortalibus; terra es; & in pœnæ vicem dicatur; in terram reverteris; cum interea de cœlo dictum ſit; Cœlum Cœli Domino, Maria optimam partem elegit. Jam

Digitized by Google

Jam intelligo; quare Lunam ſub pedibus Mariæ dixerit D. Bernardus. Mutatur Luna; mutatur ſtultus, ùt Luna; mutatur mundus, ut ſtultus. A MARIA calcatur & Luna, & mundus, & ſtultus. Quid Luna? nunc rubet, nunc pallet, nunc albet, nunc flat, nunc pluit, nunc ſerenat; nunc creſcit in cornua, nunc flectitur in orbem, nunc ſcinditur media; ſeneſcit, juveneſcit, pueraſcit, infanteſcit; jam Helena, jam Hecuba. Deniqve Luna nihil minus, qvam una. Quid ſtultus? amat, odit, blanditur, furit, gaudet, mœret, timidus, audax, vult & non vult; idem ſuperbus, & humilis, avarus & prodigus, amicus, & hoſtis; difficilis, facilis, jucundus, acerbus; denique idem qvi pridem, hoc eſt, ſtultus. Quid mundus? Microcoſmum, ſeu parvum mundum Triſmegiſtus ita deſcripſit: eſt fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, corruptionis ſpeculum, temporis ſpolium, mortis mancipium, verſatile ſepulchrum, fragile domicilium; tenuis umbra, imò umbræ ſomnium. Hoc parvus mundus. Quid magnus mundus? ſi parvus mundus fortunæ luſus; parvus fortunæ luſus eſt; magnus mundus, magnus luſus: ubi Magni omnes, Marii Pompeji Cæſares, Alexandri, Philippi, Crœſi, Cyri & ſimiles mundi gigantes luduntur. Si parvus mundus inconſtantiæ imago eſt, parva eſt; magnus mundus, magna eſt: ubi Dionyſii è Regalibus ſedibus, ad pædagogias, Belliſarii è belli Ducibus, ad qværendam ſtipem, ubi Andronici ex Imperatorio ſolio, ad carnificum officinas detruduntur. Si parvus mundus corruptionis ſpeculum; parvum ſpeculum eſt: Magnus mundus magnum, eſt maximarum corruptionum ſpeculum! ubi Semiramides, & Helenæ depoſito genarum vere, inter anitia monſtra, ſuæ ſenectutis deformes plorant hyemes. Deniqve ſi parvus mundus qvandoqve ſtultus eſt, parvus ſtultus eſt; magnus mundus nihil parvum. Sapientiſſimè proinde calcatur terra, mutabilis ut luna. Feliciter! feliciter ô MARIA, Luna, terra, ſub pedibus tuis. Concalcaſti jam olim caput illius inſtabilis ſemper, ſerpentis antiqui: feliciter calcaſti; & contriviſti caput hujus inſanientis mundi. O quæ Acies caſtrorum es? & victrix Regina mundi; ô ſi & hodie conteras caput ferocientis Lunæ, qvæ in ſua feritate confidit, & toties ſæva noſtris incubuit terris; tuisque nos tuearis gratiis, tuis proſeqvaris beneficiis, tuis foveas amoribus, donec penitus auferatur Luna.

Sed redeamus Academici! In principio creavit Deus cœlum, & terram, inqvit ſacer Hiſtoricus. Reſpicite cœlum Auditores, & videbitis, de puriſſima cryſtallo conflatum quoddam mare, qvod navigari poteſt, enavigari hon poteſt; nè qvidem oculis; videbitis illic vas illud admirabile, opus Excelſi, omnis lucis fontem, ac parentem; Solem inqvam, orbitam ſuam, ad Magni Dei nutum in-

ter miros flexus, reflexusq; decurrentem: videbitis illic tot ardentes pyropos, tot fulgurantes chryſopraſos, Pellas inqvam; illas noctulicas faculas, per inane cœlum vagantes; domus ingens; & magnitudinis ejus non eſt finis. At nunc deprimite capita veſtra tantiſper, & videbitis terram, vaſtam illam, & in explicabilem corporum congeriem; ibi ſurgit in montes, ibi decreſcit in valles; ibi extenditur in planum, alibi rigatur fluminibus, alibi ornatur floribus, alibi ſuperbit arboribus; illic ſunt animantes, illic hoſpitantur homines; illic vaſta ſolitudo, & latum ſilentium. Videbitis tot ſpatioſa pratorum æqvora; tot florum, herbarumqve varietates, tot tuliparum jucunda miracula, tot candidas narciſſorum luces, tot hiacynthorum cæruleas pulchritudines; tot roſarum odoras formoſitates; ibi paradiſus alter in cedris, & cupreſſis; abietibus & pinaſtris, pomo & amygdalo, tilia & fraxino, Citrino, & Cydonio; ibi flavet in ſalicibus, ibi liqueſcit in betulis; ibi ambroſiam fundat in vineis, ibi Cererem educat in ſegetibus. Verbo: videbitis cœlum, & terram. Cœlum, magnum qviddam: & terram magnum qviddam.

Parcite Academici! erratum eſt. Aliud me loqvi docet M. Auguſtinus, l. 12. Conf. c. 7. Feciſti, inqvit, Domine, cœlum & terram: Magnum qviddam, & parvum quiddam: Magnum cœlum, parvam terram. Unum propè te, alterum prope nihil. Muto ergo ſententiam, & repeto cum Auguſtino: Cœlum cœlum, magnum quiddam, terra parvum quiddam. Atqve inde crediderim prius creatum dici cœlum, qvàm terram: creavit Deus cœlum & terram. Gen. 1. quippe qvod dignitate excellentius, id & ordine prius collocari debuit. Magnum qviddam cœlum eſt. Teſtantur tot millia ſtellarum, quarum minima, ſi Alphragano credimus, decies octies magnitudine orbem terrarum ſuperat: teſtatur cœli à terra diſtantia, qvandoqvidem Sol à terra qvatuor millionibus, firmamentum verò octoginta millionibus milliarium à nobis remotum eſſe dicitur; Teſtatur firmamenti convexum, qvod in ſuo gyro mille, & ſeptemdecim milliones milliarum, & qvingenta millia milliarium continet: unde ſeqvi ajunt Aſtrologi, qvod punctum quodlibet in æquatore poſitum, ſive ſtella qvævis in æqvinoctiali ſingulis horis motu ſuo conficiat quadrageſies bis millena millia trecenta nonaginta octo millia, & qvadringenta triginta ſemptem milliaria. Quare Propheta Baruch cœlum intuitus exclamavit: c. 3. O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus. Magnus eſt, & non habet finem, excelſus, & immenſus. Cœlum magnum quiddam.

Quid terra? parvum quiddam. Si Divina potentia, inquit S. Bernardinus ſerm. 51. tot huic noſtro ſimiles crearet mundos, qvot ſunt in litore arenæ, adhuc

Digitized by Google

huc non implerent Empyreum. Quid terra? quid orbis terrarum? tanqvam gutta roris antelucani. Sap. 11. Inſulæ quaſi pulvis exiguus Iſ. 40. Punctum eſt illud, ex mente Senecæ (in præf. ad qvæſt. Natur.) in quo mortales bellatis; in quo regna diſponitis! Verba hujus ſapientis accipite: Aſpectus cœli cum tanto fulgentiſſimorum aſtrorum ornatu, mortalium animos in ſui admirationem, rerumq; cœleſtium amorem, ac terrenarum faſtidium, contemptumq; convertit. Quam juvat inter ſidera vagantem, divitum pavimenta ridere, & totam cum auro ſuo terram; non illud tantum dico, quod egeſſit & monetæ ſignatum tradidit; ſed & illud, quod in oculto ſervat poſterorum avaritiæ. Nec poteſt meus antè contemnere porticus, & lacunaria, ebore, auroqve fulgentia, & tonſiles ſylvas, & derivata in domos flumina; qvàm totum circumeat cœlum, mundum, & terrarum orbem ſupernè deſpiciens, anguſtum, & ex magna parte opertum mari; etiam eâ parte, quâ exſtat, latè ſqualidum; & aut uſtum, aut rigentem; ſibi ipſa dicat: Hoc eſt punctum, qvod inter tot gentes, ferro, & igni dividitur. O quàm ridiculi ſunt mortalium termini! punctum ſane eſt, in qvo navigamus, in quo bellamus, in qvo regna diſponimus. Surſum ingentia ſpatia ſunt, in qvorum poſſeſſionem animus admittitur. Sapientiſſimè itaq; elegit dum cœlum præ terra, patriam præ exilio, beatitudinis ſedem, præ lacrymarum valle, vitæ domicilium præ mortis ſpelæo; magnum, & immenſum quiddam, præ ſtilla roris antelucani, aut maris arenula elegit MARIA. Butyrum & Mel ſub lingua ejus; qvæ proinde ſciverit reprobare malum, & eligere bonum.

Quare non eſt, qvod cœlo iraſcamur Academici, quæ nos eos efficit, ut nec qvidem oſſa Matris noſtræ chariſſimæ habeamus. Optimam partem ipſa elegit. Inſuper aliud eſt, qvod nobis conſolationem non mediocrem afferre poſſit. Si enim MARIA cœlo illatus eſt theſaurus; jam noverimus, quò noſtra corda dirigi oporteat. Si MARIA caſtrorum Acies eſt; jam intelligimus, in qvos montes levandus eſt oculus, & unde nobis auxilium veniat. Si MARIA ſcala Jacob eſt; cœlo illa quidē innititur, ſic ut pariter altera ſui parte amore, ſc. & affectu apud nos in terra hæreat, acceſſum ad ſuperna nobis facilitatura. Si ſtella, ſi luna, ſi electa ut Sol; jam confidere poſſumus, ut ſedentes in tenebris, & umbra mortis hoc tam illuſtre ſidus illuminet. O MARIA feliciter, feliciter!

1.

Perge cœli ſtella,
Sola fulges una
Pulchrior quàm Luna
Mater DEI bella.

2.

Perge Cœli clavis
Et ſic terras lingue,
Nè nos dereling.,
Dum in cœlum abis.

3.

Virgo aſtra ſcande,
Et in mortis hora
Nobis ô Aurora,
Felix cœlos pande.

Dominica 13. poſt Pentecoſten.

Non eſt inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Luc. 17.

Quam turpe ſit à pleriſqve mortalibus ignorari: DEO gratias.

VEtus quæſtio eſt, DD. Academici, quænam literarum ſit captu difficillima? Jud. 12. Legimus Euphratæis difficillimam fuiſſe literam S, ſubſequente litera C, unde, cum oporteret vocem proferre Scibboleth, ipſi dicebant: Sibboleth; quæ res in cauſa fuit, ut ſubinde ex ea pronuntiatione agniti Ephratæi, à Galaaditis ſuis hoſtibus maximo numero fuerint occiſi.

Sunt quibus litera I perquam difficilis venit: præſertim, cùm aut ſcholaſticâ, aut templi inſonante campanà, Dominus Præceptor, inſtat, & eundum eſſe proclamat. Nolim hic intelligi Dominos Studioſos, qui quanto diutius, tanto majore animo Gymnaſium frequentant; niſi fortè ſint ex iis, qui ità faciunt, quòd ſentiant vacationum tempus eſſe propinquius.

Secundùm Abbatem Bennienſem, qui temporibus Ludovici XI. in Gallia vixit, præ reliquis difficiles habentur literæ A B C D. Cùm enim dictus Abbas ex Rege intelligeret, ſibi Abbatiâ, quâ fruebatur cedendum eſſe; dixit, id admodum difficulter fieri poſſe. Se enim literas A B. (Abbatem id vocis ſignificat) quadraginta & duobus annis vix edidiciſſe; (totidem annis Abbatem egerat) nunc ubi alias duas literas longè difficiliores C D. (id eſt Cede) quibus ſibi loco cedendum eſſe ſignificaretur, diſcendas haberet, aliis quadraginta duobus annis opus eſſe.

Hæc in literis difficilia; at quodnam illud, quod in ſyllabis? Ex mente Annæi Senecæ inter graviſſima eſt illa dictio. r. o. ro. g. o. go. rogo· Moleſtum inquit ille l. 2. c. 1. de Beneficiis, moleſtum verbum eſt, oneroſum, & demiſſo vultu dicendum: rogo. Petere, & erubeſcere, fratres uterini, ſunt, ac gemelli: ſimul naſcuntur, ſimul occidunt. Non tulit gratis, qui cùm rogaſſet, accepit. Nec ulla res carius conſtat, quàm quæ precibus empta eſt.

His non obſtantibus fortè difficilius in ſyllabis eſt: d. a. da. r. e. re dare. Hinc multi eligunt videri, haberique pauperes, quàm dare. Quin contingit, ubi de perſolvendis decimis agitur, ut Excommunicationis pœna, minus, quàm ſolum, Dare, timeatur. Et quòd S. Georgius, atq; S. Gallus in his regionibus metuantur à curiculis, non aliâ cauſa eſt, qvam quod his anni temporibus dare, atque dare compelli ſolent. Ajunt Philoſophi, habitus generari ex actibus; habitus autem eſſe qualitates, quibus velut aptisſimis inſtrumentis faciliter operamur: ſed hoc fallit in noſtro caſu: quamvis enim Principum ſubditi, gabellas, vectigalia, pedagia, aliaque tributa dent annis ſingulis, imo & menſibus, imò & hebdomadis, imò & diebus, nullam tamen in dando facilitatem acquirunt; adeò dare, difficilè?

His

His etiam non obſtantibus, ajo difficillimas videri mortalibus pauculas ſyllabas, nempe: Deo gratias. Hæ enim apud pleroſq; tam ſunt ignotæ, tam inviſæ, imò odioſæ, ut vix decimus quiſq; eas in aliqua civitate, oppido, aut pago perdiſcere videatur. Hodiernum Evangelium appello. Occurrunt. Salvatori noſtro viri leprôſi decem omnino; decem levant vocem ſuam dicentes: JESU præceptor, miſerere noſtri. Decem ad ſacerdotes ire juſſi, & mandati, & ecce, ex omnibus decem non eſt inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi unus aliquis alienigena.

Ingratum certè genus humanum; cùm innumerabilium rerum perdiſcendarum facultatem, & retinendarum memoriam nactum ſit, tamen unum aliquod Deo gratias aut habemus tam difficile, ut condiſcere metuamus; vel tam inviſum, ut mente retinere nolimus. Alexander Macedo, totam Homeri fertur mente complexus Iliadem: Rex Perſarum Coſroë univerſum imbibit Ariſtotelem: viginti quinq; linguarum diverſitatem condidicit, & in uſu habuit Mithridates: Ex Antonio Mureto Juris ſtudioſus Patavii triginta ſex millia vocabulorum, eo quo recitata erant ordine. Semel ſolùm audita, abſqve cunctatione de memoria reddidit: Et quàm nos ipſi diligentes eorum meminimus, quæ animum noſtrum læſere, et ſi, ante triginta, aut quadraginta annos evenerint. Manet altâ mente repoſtum judicium paridis, ſpretæque injuria formæ. Quæ res non minima cauſa eſt, ut ii plurimos habeant, adverſarios, qui juventutem ſibi in virtute, atqve literis edurandam ſumpſerint. Illa enim ubi ad tutiora, fræno ſubinde reducitur, eos adverſum duces ſuos concipit igniculos, qui tandem poſt longam temporum ſeriem, ſuggerente memoriâ fumigant, & in vaſta irarum, atq; odiorum evadunt incendia. Ex adverſo mirabile dictu! beneficiorum, ac præſertim divinorum ſic vivimus aut immemores, aut ingrati, ut decem literarum Deo gratias vix tandem addiſcamus; menteq; repoſitum prius elabi ſinamus, quàm firmam ſedem fixerit.

Annon DEUS eſt, qui nos potenti manu ſua de nihilo creavit? & cùm innumerabiles aliorum entium multitudines in ſuæ poſſibilitatis juſſerit hærere abyſſo, nobis dedit eſſe & vivere, dedit ſentire, & intelligere; & quotusquisqve eſt mortalium, qui aliqvando hanc ſui Creatricem Manum dexteram flexo genu gratus adoravit; Nonne Deus ille eſt, qui nos doloroſiſſima ſua paſſione, & pretioſiſſimi ſui ſanguinis effuſione, ab æterna, eaq; infeliciſſima damnatione redemit, & in hæreditatem filiorum Dei adoptavit; & quotusquisque mortalium eſt, qui in humilem gratiarum actionem tanti beneficii, vel ſemel ſacratiſſima JESU Chriſti vulnera in ejus effigie, oſculo veneratus eſt? Annon Deus eſt, qui

Digitized by Google

ut loquitur Propheta, qui propitiatur omnibus iniquitatibus noſtris, qui ſanat omnes infirmitates noſtras; qui redimit de interitu vitam noſtram, qui coronat nos in miſericordia, & miſerationibus: qui replet in bonis deſiderium noſtrum, & renovat, ut Aquilæ juventutem noſtram: faciens miſericordias Dominus, & judicium omnibus injuriam patientibus. Miſerator, & miſericors Dominus, longanimis, & multum miſericors: & quotusquisq; mortalium eſt, qui ubi poſt exactas noctis tenebras videt ſe ſanum, incolumemq; de ſtrato ſurrexiſſe; diem ad pœnitentiam nactum eſſe; in mortali peccato conſtitutum, nondum periiſſe; in hoc, atq; illo manifeſtæ mortis periculo Dei gratiâ ſalvum evaſiſſe: indies cibo, potuq; ad delicias refici; hæc & illa negotia feliciter fluere, quotus inquàm eſt, qui huic tam liberali, tam profuſæ divinæ dexteræ oſculum figat, & Deo gratias refundat? Nonne decem mundati ſunt? ità Domine. Sed novem ubi ſunt? Magna quæſtio.

Refert Plinius in Bæotia geminos haberi fontes, quorum alter bibentibus omnium rerum inducat oblivia, unde & fons oblivionis dictus: alter dudum emortuas rerum imagines in vivaciſſimam revocet memoriam, unde & fons memoriæ appellatus eſt. Academici, cùm in graviore quapiam neceſſitate nos conſtitutos deprehendimus, cùm alieno auxilio, patrociniove egemus; cùm quodpiam beneficii genus petitum imus, tum bibimus ex fonte memoriæ; tum omnia humilitatis vocabularia, omnia cerimoniarum dictionaria faciles ediſcimus: quàm humiles, quàm diverſæ corporis flexiones ſunt illius, qui commodatò pecuniam, ſive aliud quidpiam quærit. Quanta plauſtra mutuorum officiorum pollicetur, ſi à præſenti calamitate, quod rogat, eripiatur, & in ſecuritatem aſſervatur. Quàm exoleta vocabula comminiſcitur, quæ monſtra nominum non excogitat, quibus ſuam promptiſſimam voluntatem more inaudito ſignificet, ut quam ſuſpirat gratiam exobſecret; ſervum, mediaſtinum, mancipium, captivum profiteri, nimis tritum eſt; inſolentia ſubmiſſionis verba confinguntur, quæ in nullo nomenclatore reperias.

Audi voces petentium, inquit Seneca l. 3. de benefic. c. 1. Nemo non victuram ſemper in animo ſuo memoriam dixit: nemo non deditum ſe & devotum profeſſus eſt. Et ſi quod aliud humilius verbum, quo ſe eppignoraret, invenit. Noſtrorum temporum nobilem quempiam mendicum audiamus: Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ humillimus ſervitor, dum vivo, dum ſpiro, indigniſſimus cliens. Ejusdem obſequiis immori paratiſſimus mediaſtinus. Obſtrictiſſimus æternum vaſallus, cui nihil felicius, quàm inter mancipia ſuæ Excellentiæ recenſeri. Quiq; tam diu infelix eſſe non poterit, quamdiu ejusdem mandata

per-

Digitized by Google

percipere licebit. Nihil jam meum, quod totum non ſit ad obligatiſſima ſervitia Excellentiæ Veſtræ.

Verum, inquit Didacus Niſſenus p. 2. l. 7. c. 2. Politici cœli, expecta mihi iſtos tam humiles, & perofficioſos, donec aſſequantur, quod aſpirabant, & videbis, quid agant, quomodo intumeſcant, ſupercilia attollant, cervicem erigant; & aſpernentur eos, quorum manibus è periculo, quorum nummis ex ære alieno erepti ſunt.

Poſt exiguum tempus, ait citatus Romanus ſapiens, iidem illa verba priora, quaſi ſordida, & parùm libera devitant. Perveniunt deinde eò, ut ego exiſtimo, peſſimus quisq;, atq; ingratiſſimus pervenit, ut oblviſcantur. Nempe, ubi beneficiis pæne obruti ſunt ejusmodi Bæotica animantia, ex fonte oblivionis, longa oblivia potant, & omnem accepti donativi gratiam perpotant. Donec accipiant, inquit Spiritus S. Eccl. 29. Oſculantur manus dantis, & in promiſſionibus humiliant vocem ſuam: & in tempore redditionis, poſtulabit tempus. Veſtra Dominatio, quæſo ignoſcere velit, inquiunt, quòd me pro obligatione non mox ad debita ſiſto obſequia. Nempe negotiorum mole obruor, alioquin vivo ad quælibet ſervitia paratiſſimus. Mandet cum ſervo ſuo. Donec accipiant, oſculantur manus dantis; & in tempore redditionis poſtulabit tempus, & loquetur verba tædii, & murmurationum, & tempus cauſabitur. Mortales, importuni, ut accipiant; inquieti, donec accipiant; ingrati ubi acceperint, ſcribit D. Bernardus l. 4. de conſ. Nihil carius æſtimamus, quàm beneficium; quamdiu petimus, nihil vilius, cùm accepimus, inquit Seneca ep. 61. DEUS meus, DEUS meus, ad te de luce vigilo; ſitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Dicebat Pſaltes Regius Pſ. 62. quàm citò evigilat David: de luce, de prima aurora, de primo mane. Quam fervens deprecatio: DEUS meus DEUS meus. Quid ità? ſitit; quærit, rogat. Modo oratio, quamdiu ſitis; cùm ſitis tranſierit, tranſit oratio, inquit Auguſtinus.

Donec accipiant, oſculantur manus dantis. Quamdiu hedera tenella, quamdiu puſilla eſt, ô quæ illi humilitas, quæ reverentia, non erga arbores tantum, ſed truncos quoque. Ibi hæret, ibi ſeſe implectit, ibi ſe figit, ibi arctè ſtringit, non avellenda; quamdiu? donec eò creverit, ut ſibi ſufficiat; quò cùm venerit, adeò exerrat à ſtipite, ut nihil ex eo auxilii, aut fomenti accepiſſe videatur.

Donec accipiant, oſculantur manus dantis. Camelis non diſſimiles, qui pretioſa onera in humeros recepturi, genua ſubmittunt, donec accipiant:

ubi

ubi acceperint, tum enim verò & collum, & gibbum in ſuperbiam erigant; vel Heris ſuis timendi.

Qvantis votis, qvantis ſuſpiriis venturum Meſſiam præſtolabatur Judaicus populus. Utinam clamabat Iſaias c. 64. utinam dirumperes cœlos, & deſcenderes. Rorate cœli, clamabant Patriarchæ Iſ. 45. rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum. Non auferetur ſceptrum de Juda, prophetabat Jacob Gen. 49. & dux de fæmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Emitte Agnum Domine, Dominatorem terræ; ſuſpirabat Iſaias c. 16. de petra deſerti ad montem Filiæ Sion. Propè eſt, ut veniat tempus ejus, conſolatur populum idem Propheta, c. 14. & dies non elongabuntur. Miſerebitur enim Dominus Jacob, & Iſrael ſalvabitur. Veniet, veniet, & non tardabit, ſubjungit Habacuc c. 2. & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit ſe ad omnes gentes.

Venit ergo tandem, ecce venit! & verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis; in terris viſus, & cum hominibus converſatus eſt; ſed qva populorum aggratulatione, quo gentium plauſu, qvibus exceptus tripudiantium affectibus, & obſeqviis! nec locus illi in diverſorio; nec lectulus in ſtabulo; omnibus incognitus, atqve neglectus in vili reclinatur præſepio, qvem cœleſtes mentes univerſæ reguli deſtinabunt ſolio. Nempe, nihil carius æſtimamus quâm beneficium, cùm petimus; nihil vilius, cùm accepimus.

Judaico populo ſimiles illi Chriſtiani, qui verum Meſſiam in ſacratiſſimo Altaris Sacramento recepturi, qvo ſe tantæ gratiæ faciunt capaciores, lavantur, pectuntur, ornantur; ſubeunt Eccleſiam, genua curvant, pectus feriunt, preces fundunt, peccata per exomologeſin expiant; ac tum diviniſſimum Hoſpitem intra cordis ſui intima recipiunt. Laudo vos, iterumqve laudo, quotquot ità facitis. Neq; quidqvam in hoc nimium agi poteſt; quando S. Franciſcus Borgias Hundiæ Dux totum legitur inſumpſiſſe triduum, quò ſe accuratius ad tantum pietatis opus compararet. Sed in hoc non laudo, quòd veſtrum nonnulli, ùt primum à ſacroſancto altari receſſiſtis, illico oculos circumfertis, nè fortè oſtiarius templi portas clauſerit, aut nè fortè Eccleſia ruinæ periculis laboret, ideoq; nè ſalutato qvidem ſatis veſtro tanto Hoſpite domum recurritis. Ante gratiam humiles, poſt gratiam, nè qvidem Deo gratias perſolventes.

Qvanqvam adhuc longè gravius aberrent ii, qvi præſtita beneficia, in damna convertunt patronorum; inviſumque armorum genus, quo Benefactores ſuos jugulent. De Rege Cyro ferunt, eum ingentem pecuniæ ſummam, neſcio, cui Eribato elargitum; quam ille in lectionem militis expendit; eoqve

Regi

Regi Cyro bellum intentavit. Facinus, quod omnis deteſtetur mundus. Verùm quid aliud agimus mortales, qui humillimis precibus modò ſanitatem corporis, modò animæ; modò peculium auctius, modò dulces amicitias, modò illud officii, dignitatisqve genus à DEO petimus, ac etiam impetramus; mox iisdem armis in Datorem DEUM pugnaturi. Sanitate, inquit D. Hieronymus abutimur ad libidinem; divitias vertimus in luxuriam; bonamqve famam, ſordidâ converſatione turpamus. Conqueſtus eſt de hac mortalium ingratitudine ipſe DEUS apud Oſeam c. 7. dicens: Ego confortavi brachia eorúm; & ipſi cogitaverunt in me malum.

Eſt qui Deum ſupplici rogatione fatigat, divina bonitas velit ſuam benignitatem elargiri terræ fructibus, ac præſertim, ut ad aliquam copiam, maturitatemqve perveniat, quod in vinea colitur. Auditur: ſerenatur cœlum, aſſurgunt vites; luxuriant palmites, turgeſcunt multipliciter botri; in merum mel liquatur ille tot ſolatiorum pater, Bacchi liquor. Inſtituitur vindemia, ſudant torcularia, replentur cellaria. Quid poſt hæc? fortè ex tot beneficiis aliquid in uſum ſacrificiorum obventurum eſt? fortè portio eorundem manabit quoq; in eleemoſynam Chriſti pauperum? aut ſaltem in genua pronus DEO gratias referet jam ditior Dominus? Imò nihil horum. Modicum, & omne, quod tam benignè collatum eſt, in crapulas, & ebrietates, & ſcelera, quæ inde conſequi ſolent, abiturum eſt.

Eſt qui DEUM ſuppliciter precatur, velit Divina Bonitas ſeſe ex hac illave gravi, atq; permoleſta ægritudine eripere; fore, ut à ſuperfluis compotationibus, periculoſis converſationibus, ſuſpectis ſocietatibus quàm certiſſimò abſtineat. Melius habet, convaleſcit; ſanatur. O quàm benignum cœlum; quantum tibi homo obligatus eſt. Nec dubito, futurum, ut in grati animi teſſeram, aliquot dierum peregrinationem ſacram inſtituat, peccata expiet, Euchariſtiam ſumat, pauperes benignè accipiat. Sic equidem rebar: ſed peregrinatio inſtituitur per omnes cauponas, & tabernas, per omnes ganeas, & pincernas; & quid ibi? quod à peſſimo quoq;, & DEUM ex toto oblito, fieri ſolet.

Eſt qui ſupplex cœlum pulſat; quid ita? res anguſta domi: creditor inſtat; hoſpes domicilium negat; non eſt, quo veſtiar, non quod dens rodat; non qvod ſtomachus coquat. Auditur! augetur peculium; creſcit numus, fæcundatur ager, abundant vineta; jam nec cellaria, nec horrea ſat vaſta ſunt. O ſaltem iſte tot auctus favoribus, dicabit hoſtiam aliquam ſacris altaribus! Saltem unum aliquod miſſæ ſacrificium fieri jubebit gratiarum actorium; aut quidpiam de tantis bonis cedet pauperum hoſpitalibus. Quid autem ille ex his omnibus? audia-

mus. Deſtruam horrea mea, & majora faciam; & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea: & dicam animæ meæ? Anima, habes multa bona, poſita in annos plurimos: reqvieſce, comede, bibe, epulare. Ecce hominum DEO gratias.

Ajunt Philologi, Erinaceum, muricatum illud animal à canibus ſubinde exagitatum, feſſumqve ad lepuſculi cujusdam cavernam delapſum, aſylum, & hoſpitium quæſiiſſe. Cauſabatur loci Dominus anguſtiam domicilii, & duos tam exigua domo recipi non poſſe. Cui erinacius in globum convolutus, en, inqvit, qvam parva mei eſt hæc portio. Pro ejusmodi decem punctulis, locus veſter plusqvam ſpatioſus eſt. Si hoſpitium favetis, non me modò, ſed omnem noſtram progeriem æternum vobis obſtringitis. Ergo hoſpes admiſſus eſt. Reſpiraverat jam à fuga erinacens, cùm ſeſe in longum atqve latem explicare incipit; adeò inflatè, adeò proterve, ut aculeis, quos dentatiſſimos habebat, in lepuſculum invadere non dubitârit. Heus, exclamat ille; non ſic conventio facta; minor eras, cum me precibus fatigares de hoſpitio; nunc non modo mole, ſed & armis moleſtus es. Qui ſunt iſti clamores? reſpondet Echinus: cui hæc domus nimium anguſta eſt, aliam ſibi deligat; mihi ſat ampla eſt. Quibus dictis, & arrectis ad pugnam aculeis lepuſculum loci Dominum, hoſpitio exegit.

Hæc figura eorum, de quibus apud Huſæum Vatem c. 26. Cùm Dominus implêſſet domos eorum bonis; dicebant Deo: recede à nobis. Et de quibus Moyſes Deut. 32. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.

Non ſic Academici. Quales ſumus, cùm beneficia petimus, tales ſimus, poſtqvam accepimus. Agamus, quod Rex David faciebat, ſemper, inquit Pſ. 33. ſemper laus ejus in ore meo. Aut ſaltem agamus, & quotidie, & ſinguli, qvod in more habet S. Mater Eccleſia. Hæc poſt Matutinum decantat Laudes; nempe pro beneficiis matutinis, & ad tempus auroræ præſtitis. Poſt horas verò diei ſubjungit veſperas, pro beneficiis in horas ſingulas collatis. Quid autem fit in Veſperis? decantatur Euchariſticon illud Virginis: Magnificat. Quid poſt Magnificat? Benedicamus Domino. Quid poſtea? Deo gratias. Hoc agamus Academici; nam inter alia; qui tibi dicit DEO gratias, dignus eſt, ut iterum facias.

(*,*)

In

In Feſto S. Bartholomæi Apoſtoli.

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua. Jobi 2.

CRedamne Domini Academici, à mendaciorum Patre Diabolo, veritati teſtimonium dari poſſe? an neſcimus, quid de hoc falſitatum conſarcinatore Chriſtus edixerit Joh. 8. cùm loquitur mendacium eum ex propriis loqui, eò quòd mendax eſt, & pater mendaciit. Quapropter is nunquam illud Terentii; mentiri non eſt meum, ſine mendacio protulerit; ex fraudibus, mendaciisq; conſutus, compactusque. Vix mutit, quin mentiatur. Cœpit mutire in paradiſo Gen. 3. & eodem habitu, ſituque, quin erubeſceret, quinquies mentitus eſt. Cùm enim Protoparens noſtra Eva, quòd fructum de arbore ſcientiæ boni, & mali tollere vereretur, mortis periculum cauſata eſſet; nequaquam inquit peſſimus lavernio, nequaquam morte moriemini: ſcit enim DEUS, quòd in qvacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii, ſcientes bonum, & malum. O caput nequam. Dicit enim, & mentitur primò, Protoparentes, etſi in Deum peccarent, nequaquam morituros: dicit, & mentitur ſecundò; hoc ipſum ſciri à Deo; dicit & mentitur tertio, quòd aperiendi eſſent illorum oculi, qui potiùs per peccatum obcœcati ſunt; dicit, & mentitur, quantò qvod futuri eſſent ſicut Dii; dicit deniqve, & mentitur quintò; eritis ſcientes bonum, & malum. Eſt hæc non mea obſervatio, ſed doctiſſimi Cornelii à lapide. O nequam, una cum tuo nequaquam. Ità quidem; nequaquam moriemini; cùm quotidiana funera terreant miſeros. Tu dicis: eritis ſicut homines. Et DEUS per Pſalmiſtam dicit: vos autem ſicut homines moriemini. Tu dicis: eritis ſcientes bonum, & malum. Et DEUS dicit: Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Rurſum mutire cœpit Matthæi quarto. Aſſumpſit, inquit Evangeliſta, eum (Chriſtum) Diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mundi, & omnem gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. O nefaſte Spiritus! quis dat quod non habet; quærit ex te D. Cyprianus. Quid habes infelix, niſi paupertatem, cur ergo promittis divitias? quid habes niſi miſeriam, & quomodo ad gloriam ſublimabis Quid habes, niſi tormenta, qvomodo ergo promittis requiem? quid habes niſi infernum, cur ergo promittis omnia regna?

Iterum mutire, ac mentiri cœpit; cùm Angelum lucis indutus, S. Franciſco Seraphico comparens dixit: Franciſce pœnitentibus ignoſcit Deus; neqve neceſſe eſt, ut te tam pertinaci fatigatione conficias; qua fraudulentiam Franciſcum ab auſteræ vitæ ſanctitate retractum volebat.

Digitized by Google

Iterum, cùm ad Pelagiam ex gentilitate ad Chriſtum converſam dixit: opes, quibus affluis ô Pelagia Dii Patrii, qvorum nuncius ſum, tibi conceſsêre, & tu nunc illis relictis neſcio, qvem Chriſtum ſeqveris.

Iterum; cùm ad ſanctiſſimam Virginem, & poſtea Martyrem Julianam dixit: Chriſtus jubet, ut diis gentilium potius ſacrifices, qvàm ut in cruciatibus deficias. Deniqve, ut Diabolo, de diabolo, in deſpectum culinariè latinum loquar: iſte neqvam ſpiritus mentitur terribiliter; & credam, ut aliqvando veritati teſtimonium perhibuerit?

Perhibuit. Quando? cum, ùt habetur Jobi c. 2. dixit: pellem pro pelle, & cuncta, qvæ habet homo, dabit pro anima ſua. Mentitus eſt Protoparentibus, mentitus eſt Chriſto, mentitus Franciſco, Pelagiæ, Julianæ, aliisqve innumeris: inter tot mendacia ſemel atq; iterum verum dixit, ut ſaltem aliquam dictis ſuis conciliaret fidem. Et tale eſt illud: pellem pro pelle; quo ſignificatur inter omnia mortalia nihil eſſe præſtantius homini quàm animam, omniaqve prius, quàm hanc conculcanda, atqve deperdenda eſſe.

Veritatem hanc facti exemplo nos docuit, cujus hodie feſtam lucem celebramus D. Bartholomeus Apoſtolus. Pellem pro pelle dedit, cùm ùt loqvitur Paulus ad Coloſſ. 3, expolians veterem hominem cum actibus, induit hominem novum, eum ſcilicet, qvi renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus, qvi creavit illum. Pellem pro pelle dedit: cùm juſſu Regis Armeniæ excoriatus pellem ſuam pro illa pelle Deo ſacrificavit, de qua Pſ. 103. extendens cœlum, ſicut pellem. Pellem pro pelle dedit, cùm corruptibilem illam, & vermibus, putrediniqve obnoxiam dedit; ut glorioſam, incorruptibilemque reciperet, de qva Jobus c. 19. & rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo DEUM meum. Cuncta porrò, quæ habuit, dedit pro anima ſua, cùm ad Chriſti invitantis vocem, reliqvit & domum, & fratres, & ſorores & res, & ſpes, & univerſam pompam ſæculi: qui cum Petro Apoſtolo potuerit dicere ad Dominum; ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: ne quidem peram, aut baculum, nè quidem calceamentum nobis reſiduum facientes? qui inſuper & vires corporis, & nominis famam, & vitam ipſam, ſimul & ſanguinem, usqve ad ſæviſſima tormenta, usq; ad ipſiſſimam mortem Deo conſecravit; ut qvam unam habebat ſalvaret animam. Cuncta qvæ habet homo, dabit pro anima ſua.

Hanc veritatem, dictis factisq;, & vitâ, & moribus tutati ſunt innumeri quàm ſanctitate, tam virtutibus miraculorum clari Eremitæ, qui ſpretis mundi divitiis atq; deliciis, ad ſalvandas ſuas animas, ſeſe in abditas ſolitudines & toto Oceano diſſitas Ægypti plagas receperunt; tutati ſunt innumeri opibus, & ſapien-

pientia fulgentes viri, qvi calcato Patre, atq; Matre, & univerſis mundi honoribus Chriſti crucem amplexi, latere maluerunt tuti ſecuriqve inter abdita clauſtrorum, quàm cum animæ periculis habitare in tabernaculis peccatorum! tutatæ ſunt innumeræ ſanctiſſimæ Virgines, ac Viduæ, quæ neglectis carnis voluptatibus, ſeſe Deo, unico cordium ſuorum ſponſo, inter clauſtrales ſolitudines dicaverunt. Tutati ſunt innumeri, iiq; invictiſſimi Martyres, qui pro ſalute animæ ſuæ, vitam, & ſanguinem, imò ipſam animam omni cruciatuum, tormentorumqve carnificinæ exponere non dubitaverunt. Tutati ſunt innumeri hujus mundi viri principes; qui poſitis coronis, atqve ſceptris, abdicatis regnis & populis, ſpretis theſauris, & omni mundi gloriâ, ut qvam pretioſiſſimam habebant, ſalvarent animam, inter Monachorum chores humilem, abjectamq; vitam elegerunt.

Fecit hoc Theodoſius III. Magnus Orientis Imperator, magnus in imperio, ſed major ſine illo; qui poſteaqvam duos non amplius annos Sceptra geſſit, poſito diademate Imperiali, reliquam vitæ inter ſancta cænobitarum ſilentia, ſuæ unius animæ curæ intentus, tranſegit.

Fecit hoc Michael Paphlago, & ipſe Orientis Imperator Maximus, qui morti appropinquans, ad religioſorum clauſtra deferri humiliter expetiit, ibiq; ſectis capillis & exutâ Imperii purpura, ovillam pellem indutus, reſiduum vitæ in ſacris commentationibus, humilitatisqve exercitiis Deo ſacravit.

Fecit hoc Lotharius Imperator, qui pœnitudine peccatorum, & ſalutis ſuæ amore ductus, diſtributa in filios hæreditate, religioſum induit; atqve in Prumienſi Divi Benedicti Monaſterio, quod ipſe Fundator largiſſimis ſumptibus extrui fecerat, inter profundas ſui humiliationes, vitam egit, clauſitqve fecere hoc, ut innumeros taceamus, ex Imperatoribus Alexius Crinitus, & Iſaacus Comnenus, Ugo, & Carolus V. Ex Regibus Elesbaan Rex Æthiopiæ, Veremundus, & Bamba Reges Hiſpaniæ; Trebellius Rex Bulgariæ, Inas Rex occidentalis Saxoniæ: Conſtantinus III. Rex Scotiæ, Boleslaus II. Rex Poloniæ: Rachis Rex Longobardiæ. Sancto copius Rex Moraviæ, Henricus Rex Cypri: Fecere hoc ex Ducibus, Vitalis Dux Venetiæ; Guilielmus Dux Aqvitaniæ: Joannicius Dux Bythiniæ, Franciſcus Borgias Dux Gandiæ; & quis recenſeat ſingula magna illa nomina, quando Viris ſapientiâ, virtute, generis nobilitate, ſanguinis claritudine plena ſunt Monaſteria, & cœnobia.

Ut propterea jam de ſuis temporibus ſcripſerit D. Hieronymus: noſtris temporibus Roma poſſidet, quod mundus ante neſciebat. Tunc rari ſapientes, nobilesve Chriſtiani, nunc multi Monachi ſapientes potentes, nobiles. Et D.

Bernardus ep. 109. Legeram, inqvit, non multos nobiles, non multos ſapientes, non multos potentes elegit Deus. At nunc præter regulam, mira DEI potentia talium convertitur multitudo: vileſcit gloria præſens, juventutis flos conculcatur; non reputatur generoſitas, ſapientia mundi ſtultitia judicatur; non acquieſcitur carni, & ſanguini, parentum, & carorum renuntiatur affectibus, favores & honores, & dignitates reputantur ut ſtercora. Quid exiſtimatis AA. qvid hæc ita fiunt? niſi ut ſalvetur anima

Imo admodum exiguum quid dixit Bernardus. Thomam Kempenſem admiratione, ſtuporeqve abreptum, exclamantem audiamus. O quam multas inquit l. 1. c. 18. & graves tribulationes paſſi ſunt Apoſtoli, Martyres, Confesſores, & reliqui omnes, qui Chriſti veſtigia voluerunt ſeqvi. Quid ità, quæſo pientiſſime Doctor? Reſpondet: Nam animas ſuas inquit in hoc mundo oderunt, ut in æternam vitam eas poſſiderent. O qvam ſtrictam, & abdicatam vitam ſancti Patres in eremo duxerunt; quàm longas, & graves tentationes pertulerunt! quàm freqventer ab inimico vexati ſunt, quam crebras & fervidas orationes Deo obtulerunt: quam rigidas abſtinentias peregerunt; quàm magnum Zelum & fervorem ad ſpiritualem profectum habuerunt; qvam fortè bellum adverſus edomationem vitiorum geſſerunt; quàm puram, & rectam intentionem ad Deum tenuerunt: omnibus divitiis, dignitatibus, & honoribus, amicis, & cognatis renunciabant; nihil de mundo habere cupiebant; vix neceſſaria vitæ ſumebant; corpori ſervire etiam in neceſſitate dolebant. Atq; hæc omnia, ut animas ſuas ſalvarent.

Hæc iſti, nunc qvid omnium ſæculorum ſanctiſſimi Martyres geſſerint, tulerintque, tantiſper perpendamus; quibus non ſatis fuit hujus mundi ſpreviſſe delicias, ſed inſuper ſtatuerunt corpora ſua dare in flagella, & opprobria in eqvuleos, & cataſtas, in cædes, atqve mortes ipſas, illud unicum præ oculis habendo, nobiles illas margaritas ut ſalvarent, animas inquam ſuas.

Suſtinuit S. Philemon ſibi caput clavis configi, S. Probus ſpinis atque candentibus prunis coronari S. Setulia capitis cutem ſibi detrahi; S. Andeolus quadrifairiam illud dividi, S Setulius, Cerealis, Amantius, & Primitivus fuſtibus ad internecionem usq; difringi.

S. Liberato Abbati Carthagine cerebrum eliſum, S. Flaviano frons funeſto cauterio ſignata; S. Victorico. Et Fuſciano tempora clavis transfixa, ſancto Victori oculi expuncti. S. Marinæ palpebræ dilaceratæ, S. Tharaco nares fœdis ſpurcitiis repletæ, S. Fauſto, Januario, & Martiali aures reſectæ; S. Bo-

lychro-

Digitized by Google

lychronico os lapidibus contuſum, S. Charitinæ, & Apolloniæ dentes evulſi, S. Zenoni maxillæ confractæ, S. Baſiliſſæ & Anaſtaſiæ linguæ reſuſſæ, S.Clementis collo lapides appenſi, quibus in mare mergendus abriperetur.

Aliis pectus condentibus luminis excarnificatum; aliis mammillæ dilaniatæ, aliis corda radicitus extracta; aliis digiti præacutis ſubulis perforati, ungues effoſſi, manus exuſtæ aliis, aliis brachia confracta, dorſa ſcuticis, & ſcorpionibus dilacerata, latera facibus, tædisque ardentibus ambuſta; pedes minuti, tibiæqve contutæ; denique quàm plurimorum corpus aut aquis merſum, aut flammis exuſtum, aut fume exhauſtum, aut diuturnæ carcerum ſqvallore confectum? Quorſum iſta, ô diviniſſimi martyres, qvorſum iſta? tam horrenda, tam crudelia, tam inaudita: nempe pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua nimirum, nihil eſt inter omnia mundi bona, animâ humanâ præſtantius, nihil pretioſius. Quod in prato flores, quod in concha margarita, quod in gazophilario theſaurus, hoc anima in hac rerum univerſitate. Quemadmodum enim in prato cætera germina floribus, & conchyle margaritis, & repoſitorium auri, & gemmarum ponderibus, ſic animæ cedat oportet, quidquid hic inferior mundus habet. Quidqvid cœli ambitu continetur, inferius ab anima humana eſt, quæ facta eſt, ut ſummum bonum ſuperius poſſideret, cujus poſſeſſione beata foret, non mea ſed magni Auguſtini ſententia eſt lib. ſolib. c. 20. Quanquam alioqvin & mea; qvi unam animam præ omnibus mundi divitiis, atque theſauris habere didici ex illo; qui Matth. 16. dixit: Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.

Magna res mortalibus hujus mundi bona; & pleriſque grande quid viſum eſt Romanum Imperium, quod ſub Auguſto trecentos hominum milliones, centum ſeptuaginta millionum, numorum aureorum annuos reditus, ingentia Regna, ac provincias, innumeras Urbes, ac munimenta numeravit, & pœne univerſum MARE in poteſtate habuit. Colligamus quidqvid de auro, & argento, quidquid de gemmis, & margaritis, quidquid terrarum, atque animantium, quidquid fractum & pretioſarum herbarum, quidquid æris, aliorumqve metallorum, quidquid urbium, quidquid portuum ſuo imperio unquam Roma complexa eſt; imo quidquid Oriens & Occidens, quidquid ſeptemtrio atqve meridies ſinu ſub unqvam effudet; id enim verò animæ humanæ præſtantiæ collatum, vilis quædam præ Regem purpura, lacernula eſt. Sapientiſſimè Maximus ille Hiſpaniarum Monarcha Phi-

Digitized by Google

Philippus Secundus; qui objicientibus, tantos in converſionem Maurorum fieri ſumptus, ut pæne Gazophilacium Regium exhauriendum eſſet; diviniſſimam vocem edidit: theſauros omnes non modò Indiarum, ſed univerſæ quoq; Hiſpaniæ utiliſſimè impenderimus, ſi vel unicam animulam ſalvare ab interitu contingat.

Conſidera inquit D. Bernardinus ſerm. 51. conſidera anima mea, in quanta altitudine es creata! (quippe creata eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, immortalem illam, & præſtantiorem rebus cæteris; quibus etiam à ſupremo Domino, velut gubernatrix cum poteſtate præpoſita! conſidera; quàm magnus theſaurus es æſtimata: etenim inquit ſapientiſſimus Leſſius l. 1. de provid. Anima rationalis eſt, in qua non ſolum ratio ſtructuræ corporis, & omnium ſenſuum, ſed etiam facultas intelligendi, & recordandi, & liberè quidlibet amplectendi, vel repudiandi continetur. Per intellectum concipit totum mundum, & omnium rerum in ſe veluti picturas inviſibiles pingit. Per memoriam omnes illas firmiter retinet, & cùm opus fuerit, in uſum profert. Quàm vaſti ſunt illius ſinus tam innumerabilium formarum, & tot tantarumqve rerum capaces? Conſidera, pergit D. Bernardinus, cum quanto dolore es perdita, quanto pretio es redempta. Vult dicere: Animam humanam pretio ſuo adæquare Chriſti ſanguinem, in cujus redemptionem ille effuſus eſt. Quibus perpenſis, concludit: Si formarentur tot empyrei cœli, quot ſunt aquarum guttæ, & arenæ maris; omnis pulchritudo eorum ſimul ſumpta non poſſet æquari pulchritudini unius animæ. Id quod ego multò magis de anima hominis in gratia DEI conſtituti edixero: juxta id, quod aliquando Diva Catharina Senenſis ad ſuum Confeſſorem Raymundum exclamavit: O Pater inquiens, ſi vel unius animæ pulchritudinem in gratia divina conſtitutæ tibi cernere liceret, omnes dolores, & tormenta mundi libenter pro ea ſuſtineres.

Quæ cùm ità ſint DD. Academici, quid eſt, quòd hodie tam copioſi ex mortalibus, non dico totius mundi adipiſcendi gratiâ, non dico, Imperiorum aut Regnorum causâ, non dico ingentium theſaurorum intuitu, ſed ſæpe, quod dicere pudet, propter exiguum aliquot numulorum lucellum, propter evanidam, eamqve perturpem carnis voluptatulam, propter inanem honoris, atqve exiſtimationis ſplendorem, propter ſtultorum aliquot hominum reſpectum ſuam æternum deperdant animam? Hanc perjuriis, hanc imprecationibus dæmonibus ſacrant; & qui ſæpe admodum in canes ſuos pii ſunt, animæ tamen ſuæ univerſa mala inferunt. Quid eſt, quòd mortales, corporis tantam curam gerimus, animam verò, tanquam ſi de ſentina, peripſema ſit, prorſus projicimus.

Si

Si intemperatè cibus ſumptus levem corpori febriculam concitavit, ſcribit S. Hier. in ep. Dejicimus animum, affligimur, ſuſpiramus. Nulla tunc cura eſt ſæculi, nulla villarum; nemo de patrimonio cogitat, nemo de foro. Omnes calumniæ, omnia lucra, in periculo corporis conquieſcunt. Curritur ad Medicos, & pro remedio carnali promittuntur munera, aurum, argentum, interdum etiam mancipia traduntur; & pæne totum patrimonium negligitur, aut donatur; ut conſulatur vitæ quandóqve perituræ; & pro æterna ſalute admodum omnis homo negligens eſt.

Quid eſt, quærit Auguſtinus, qvod velis habere malum? dices mihi: nihil omnino. Non uxorem, non filium, non filiam, non ſervum, non ancillam non tunicam, poſtremo non caligam. Et tu vis habere malam vitam? rogò te, præpone animam tuam caligæ tuæ. Verba ſunt Auguſtini.

Quid igitur eſt, quòd anima nobis in tam exiguo pretio eſt? dicere liceat: non ſumus homines. Pellem prò pelle, & omnia, quæ habet homo, dabit pro anima ſua. Ut quis omnia tribuat pro anima, homo ſit oportet; homo id eſt, ratione utens, ut intelligat, quæ ſit animæ excellentia, quæ præſtantia; & quam vilis mundus univerſus, ſi uni animæ conferatur. Unde nam multis tunica, unde aliis caliga, qvàm anima carior? Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit. Qvid non intellexit? pretium animæ, ad imaginem DEI creatæ, ſuper omnia viſibilia hæc conſtitutæ, intellectûs atqve liberi arbitrii dignitate, cuncta excedentis; pretioſo Chriſti ſanguine redemptæ, amicæ DEI, atqve Sponſæ æternùm deſtinatæ. Non intellexit, hinc comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. O homo, rogo te, ſi non mundis, ſi non cœlis empyreis, ſaltem præpone animam tuam caligæ tuæ! Qvod ſi ſapis, plus voles; tuisqve inſcribes carmen poſtibus, ſed magis menti tuæ:

Omnia ſi perdas animam ſervare memento,
Hanc ſi perdideris poſtea nullus eris.

(* * *)

Dominica 14. poſt Pentecoſten.

Conſiderate lilia agri, non laborant, neq; nent. Matth. 6.

Liliis (caſtis Adoleſcentibus) nihil commune eſſe cum nentibus.

FErè iraſcor meis Philoſophicis Summulis, in quibus, adverbium negandi, ly Non; lego eſſe particulam malignantis naturæ, adeoq; perverſæ, ut quidquid poſt & à ſe repererit, inficiatur, deſtruat, ac perdat. Quaſi verò quædam naturæ malignitas ſit, in rebus feciſſe diſtinctionem, & unumquodqve ſuo collocâſſe ordine. Quid in hoc univerſo pulchrius, quàm lucem eſſe lucem, & non tenebras; montem eſſe montem, aquam eſſe aquam, terram terram, & non vel vallem, vel ignem, vel lapidem. Certè totum univerſum nihil aliud eſt, quàm quoddam eſt, & non. Stella in cœlo? eſt, in terra? non. Elephas in terra? eſt, in aquis? non. Balæna in aquis? eſt, in igne? non. Pyrauſta in igne eſt? in undis? non. Eſt, & non, duplex ille polus ſunt, circa quem tota hæc verſatur rerum univerſitas. Alterum tolle, & mundum ſuſtuliſti; fientq; rurſus omnia, ut Naſo Poëta loquitur, rudis, indigeſtaq; moles, & non bene junctarum diſcordia ſemina rerum: eruntq; tenebræ meridies, & terra cœlum, & aquæ incendia. Album nigrum, nigrum album, verbo, antiqvum chaos.

Ex adverſo ſi ubiqve rebus ſuum eſt, & ſuum non, adſcripſeris, erit ſcapha ſcapha, & non plauſtrum: tunica tunica, & non cataphracta; mons mons, vallis vallis, terra terra, cœlum cœlum, tulipa tulipa, & non flebit; lilium lilium, & non nebit. Lilia non nent. Conſiderate AA. lilia agri; non nent. Tolle lilio ly non nent; lilium ſuſtuliſti. Lilia ſine Non nent; ſunt lilia ſine odore, ſine candore, ſine lilio. O ergo omnibus Aldi Manutii, & Turſellini particulis elegantiorem particulam. Ly NON. Quàm cuperem ego hodie omnes cygnorum pennas, omnes pictorum pennicillos, omnium ſculptorum ſcapella, quibus meis DD. Academicis, tanquam candidiſſimis, & ſpecioſiſſimis liliis inſcriberem, appingerem, inſculperem adverbialem: Non.

Quorſum hoc genus Exordii AA? dicam, ſed prius, quæramus, quid ſit lilium? Quid lilium? extemporaneè reſpondet orator Extemporaneus. Lilium eſt terræ ornamentum, plantarum gloria, oculus florum, pratorum gemma. Lilium eſt agrorum ſidus, quod ſic terram exornat, ut cœlum ſtellæ: ità floribus addit lumen, ut jaſpis auro: ſic oculos exhilarat, ut Sol univerſum. Lilium, cui narciſſi candorem, cui roſæ odorem, cui ſolſequia ſuum aurum, cui amaracus ſuum ſubſternit virorem. Vera hæc: ſed ſapidius aliquid pro mea quadra magnus Gregorius, in illa verba Cantici. Dilectus meus, qui paſcitur

inter

Digitized by Google

inter lilia. Inter lilia, inquit Sanctus Doctor, ſponſus paſcitur, quia procul dubio animarum caſtitate delectatur. Lilium ergo Divo Gregorio puritatis, ac caſtitatis eſt ſymbolum. Nec illi ſoli: Maria Virgo, ante partum, inquit S. Ægidius, & percuſſa terra exilit lilium. Maria, Virgo in partu, & rurſum percuſſa terra, rurſum lilium. Maria, Virgo poſt partum, concludit Ægidius, & tertio percuſſa terra, tertium lilium. Ecce puritatis ſymbolum, lilium.

Quid autem ſunt nentes? lilia non nent. Interrogat Sapiens Proverbiorum 31 cap. Mulierem fortem, quis inveniet? quid exiſtimatis Academici, quæ hæc & qualis mulier? mulierem fortem quis inveniet? Quæſivit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum! Quæ maxima fœminarum gloria? quærere lanam, quærere linum; ad colum ſedere; fila ducere, ſtamen colligere; acu operari, nere, hoc dato fœmineis. Omnes fœminæ, in hoc quædam Deæ ſunt, quas Poëtæ Parcas vocant. Et apud Homerum in Odyſſæa, Netrix erat Penelope, & apud Ovidium in Metamorphoſi, nebant Pallas, & Arachne. Agros colere, domum adminiſtrare, pugnare in hoſtem, ſedere pro tribunali, exercere, mercimonia, maſcula ſunto. Porticus, atqve tribus, muliebris acusqve manusqve, alvus, humus, vannus, colus. Id eſt: ſedere ſub porticu, vel exercere acum, vel in vanno lavare, vel ad colum fila ducere, muliebria ſunto.

Jam credo, intelligitis DD. Academici, quid ſibi velit illud Evangelii: Lilia non nent. Ego illud ſic intelligo. Quisquis cupit eſſe lilium, non ille multùm hæreat inter Nentes; non ille multùm conſideat, non confabuletur, non corrideat, non jocos inſtituat cum Nentibus. Nè ille nimium ſeſe in familiaritatem fœminarum ingerat: nè ille picem tangat, niſi inquinari velit. Non appropinqvet nimiùm flammis, à quibus aduri nolit, neque in lubrico petuliat, qui caſum timet. Vix duæ res ſunt, pix & mulier. Sardonychen comitatur onyx: pix hæret utriqve. Mulier eſt illa adhæſiva anima, quæ ſæpè non tantum viro ſuo, ſed hæret ubiqve. Picem tange, & inquinabit te. Vix duæ res ſunt, lutum & mulier; ibi ſabellici, iſthic Epicuræi ſeſe porcelli volutant: tange lutum, & maculabit te. Vix duæ ſunt res baſiliſcus, & mulier. Solo aſpectu, ſolo affatu, inficit, atqve interficit uterqve. Collude cum baſiliſco, & perdet te. Unde S. Cyprianus l. de ſingularitate Cleric. de carbonibus ſcintillæ diſſiliunt, de ferro rubigo naſcitur, morbos aſpides ſibilant, & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam. Et D. Ambroſius de fuga ſæculi c. 1. Reſpexit oculus, & ſenſum mentis avertit: audivit auris, & in tentionem inflexit: inhalavit odor, & cogitationem impedivit, os libavit, & crimen reddidit; tactus

contigit, & ignem adolevit; intravit mors per feneſtras. Loquitur autem ibi de muliere. Et D. Hieronymus: tactus, joci, & riſus, & ſibili morituræ virginitatis ſolent eſſe principia. Heu ſacriſta! ubi ſandapila, ubi tædæ, ubi mortuales panni, & inſignia; ubi eam, punator, qui præpulſum faciat? brevi funus habituri ſumus. Quale, & cujusnam? illius Adoleſcentis, qui imprudens & ſuorum periculorum contemptor jocari, corridere, abblandiri, nutibus loqvi cœpit virgini. Jam etiam munuſculis ſe diligunt; jam ad privatas menſas ſeſe mutuum invitant, jam invicem confident; brevi inquam funus habebimus. Cujus? puritatis, & innocentiæ. Tactus enim, & joci, ut dixit Hieronymus, & riſus, & ſibili ejusmodi moriturae virginitatis principia ſunt.

Dulciſſime Juvenis, (ad Te enim mihi hodie potiſſimum ſermo eſt) vis diu florere lilium; noli freqvens eſſe cum nentibus. Non vis de puritate tua periclitari; noli frequens cum nentibus converſari. Non ſis familiaris alicui mulieri, monet Thomas Kempenſis l. 1. c. 8. Cauſam aſſignavit Spiritus Sanctus apud Eccleſiaſticum c. 19. Vinum, & mulieres faciunt apoſtatare ſapientes. Ipſis adeò timendum eſt oculis, ne vel inviti ament. Multis ſolùm vidiſſe, cauſa ruinæ fuit. Quare idem Eccleſiaſticus c. 9. monuit, averte faciem tuam à muliere compta; nam propter ſpeciem mulieris multi perierunt. Julius venit, vidit, vicit; mulier etiam viſa vincit. Carpit enim vires paulatim, uritq; videndo fæmina. ſcribit Virgineus Poeta l. georg. tertio. Et ex Horatii ſententia; eſt nimium vultus lubricus aſpici. Eſt in fæminea fronte, quod caſtos oculos excæcet; eſt in fæminæ oculis, quod caſtum cor vulneret; eſt in colli crinibus, quod illaqueet, & irretiat; eſt in cervivis candore, quod adonides cruentet.

Academici, voluit nos Apoſtolus 12. ad Romanos, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus: non item nere, aut aſſidere, aut jocari cum nentibus, ſed dixit, & ſcripſit: volo vos ſine ſolicitudine eſſe, & quæ ibi in laudem puritatis, & virginitatis ſequuntur. Periculoſæ plenum opus aleæ, lilium cum Nentibus. Omni tempore, qvo homo multiplicat colloquium cum muliere, accerſit ſibi malum; & impeditur à ſtudio legis, tandemque deſcendit in gehennam, Rabbi Joſæ ſententia fuit. Hoſpitiolum tuum, ſcribit ad Nepotianum D. Hieronymus, aut raro aut nunqvam mulieres pedes terant. Omnes puellas, & virgines Chriſti, aut æqvaliter dilige, aut æqualiter ignora. Nec ſub eodem tecto cum muliere manſeris, neque in præterita caſtitate confidas. Nec Samſone fortior, nec Davide ſanctior, nec Salomone poteris eſſe ſapientior. Memento ſemper, qvod paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier ejecit.

Sam-

Digitized by Google

Samſon validus, & fortis Leonem ſuffocavit, ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit, ait D. Ambroſius l. 1. de David.

Petrum, Samſonem, Regem David, Salomonem,
Fæmina decepit, quis modò tutus erit.

Quare ulterius progreſſus aut Hieronymus, in commonefaciendo mortales, ſi qvi lilia eſſe volunt. Ait enim epiſtola ad Ruſtium Monachum, non modò extraneas quasque, præſertim ſi procaces ſint, mulieres fugiendas eſſe, ſed nè quidem Matribus tutò fidi poſſe. Matrem tuam inquit, ità vide, nè per illam alias videre coneris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum vivat ſub pectore vulnus. Ancillulas, quæ matri in obſequio ſunt, tibi ſcias eſſe in inſidiis, & qvanto vilior eſt earum conditio, tantò facilior eſt ruina. Intellexit nempe Sanctus Doctor, nihil eſſe difficilius, quam candorem retinere lilium, immixtum Nentibus. Multum refert, cum quo qvis verſetur. Pſalmo 27. dictum eſt de ipſo Cœli domino; cum Sancto Sanctus eris; & cum viro innocente innocens eris. Habeo aliquatenus perſpectam ſententiam textus; & ſatis intelligo, DEUM, alicunque, & cum quocunque agat, ſemper ſanctum, & ipſum ſanctitatem eſſe. Quod ſi tamen allegatum verſum ad homines transferimus: quæri poteſt; cur dilatur; cum ſancto ſanctus eris; & cum viro innocente innocentes eris. Ut quid adjunctum eſt; cum viro. Ego, ſi de hominibus locum hunc interpretari velimus, ſi rem accipio: innocens poteſt eſſe vir, ſed cum poteſt eſſe mulier; ſed diviſi: rurſum innocens poteſt eſſe vir, ſed cum viro: at vir cum fæmina, quantumvis ſancta, & innocente, innocent ut ſit hic albus corvus erit.

Sit bona res aqua, bona res, terræ pulviſculi; miſce, & tutum eſt. Nihil mali ſtipula, nihil mali ſcintilla, miſce, & incendium eſt. Innocentes nentes, innocens lilium; & vaccinium eſt. Ut in ſuo perſtent, dividantur: lilia non nent. Hoc obſervarunt, quotquot candore innocentiæ eminuerunt. Ego flos campi, loquitur ſponſus Virginum, Cant. 2. In campo floret iſte triumphus; inter valles, ab hominum concurſu remotas, non in tabernaculis peccatorum candet hic flos. Lilia, quæ non nent, lilium agri, flos campi. Quoties inter homines fui, minor homo redii, dicebat Seneca ep. 7. ſi in materiam noſtram ſcripturus erat, dixiſſet utique: qvoties inter nentes fui, jam minus lilium redii, Minor homo redii. Quomodo minor? quia, qui nuper appetitui ſuo dominabatur. Herus erat, ſervus rediit. Quomodo ſervus? quia omnis amans ſervit, dominatur quisquis amatur; ſi Poetæ aliqvando credimus. Mulier & Donna,

 Italis

Italis idem eſt: Donna, & Domina Latinis. Servis, quisquis amas, Dominam habes; minor homo es.

Non tamen hoc loco auſim ſvadere DD. Academicis, quod alicubi voluit Auguſtinus, qui illis, nè quidem cum propriis ſororibus habitationem communem permiſit; id enim multis nimis ſcrupuloſum videbitur: multo minùs verò ſvaſerim, quod alicubi D. Hieronymus ad ſibi familiariſſimum amicum ſcripſit; propriæ matris contubernium debere ſuſpectum eſſe. Et adhuc minus, factum Abbatis Pionis; qui ab Antonio Eremita, ad ſororem propriam miſſus, nè fœmineum vultum conſpiceret, cubiculum ejus clauſis oculis ingreſſus eſt. Et adhuc longè minùs factum Alphonſi Rodriqvez, qui cum in noſtra ſocietate per 40 annos ferè ſemper portæ Cuſtodem egiſſet, nunquam ullam fœminam curioſus aſpexit: Et fortè adhuc minus factum B. Aloyſii Gonzagæ, qui propriam Matrem de vultu non novit: illud autem vix ullo modo, quod de magno Arſenio, in ejus vita, apud Surium legitur: qui, cùm ſeſe Matrona quæpiam Romana ejus piæ memoriæ in preces commendâſſet, reſpondiſſe fertur: dabo, ô Mulier operam, eamq; magnam, & ſeriam, nè tui unquam amplius reminiſcar. Hæc inquam meis Academicis fruſtrà ſvaſero; quando hæc omnia quid ἀδύνατον, & impoſſibile (ſumendo impoſſibile pro valde difficili) vobis futura ſint.

Illud tamen non omiſerim, cujus ad Hilarium ſcribens, meminit D. Eucharius, fuiſſe nimirum Anachoretam, qui ab obvio quæſitus, ubinam Deus eſſet? arrepta ejus dexterâ hominem in eremum duxit; quaſi diceret: Hîc eſt; in ſolitudine, in deſerto eſt. Academici, ô quàm ego cuperem ſubinde vobis ejusmodi adſtare Anachoretam, qui vos ex hac vel illa converſatione, ex hoc illove cum fœminis commercio, dum conſidetis, dum corridetis, dum colluditis, dum jocamini, arreptâ veſtrâ manu, à nentibus ad eremum, ad veſtrum muſeum, ad veſtrum conclave abduceret; & qui aliàs tam ſoliciti eſtis de veſtra innocentia, atq; puritate conſervanda, inculcaret; hîc eſt, in ſolitudine, in deſerto eſt. Tum enim verò plura numeraremus lilia; quæ alioquin hodie inſcriptionem circumferunt: nos quoque floruimus!

Scio, quid mihi veſtrum aliquis dicturus ſit: nempe, ſe quidem ſubinde aſſidere nentibus; nullo tamen fine ſiniſtriore; jocari cum virgine, ſed intra honeſti leges; affici, ſed caſto prorſus amore: corridere, ſed affectu benevolentiæ, tali fortè, quali inter ſe ardent ipſi Angelici ſpiritus. Perfectè rem intelligo; neq; ego mihi perſvaſerim Academicum meum eò deveniſſe, ut dæmoni ſacrificare velit; aut alienam animam inferno transſcribere: quandoquidem nemo tam inſanus habendus eſt, ut propter momentaneum delectabile, velit

ſub-

Digitized by Google

ſubire tormenta æterna; & relicto Deo Creatore ſuo, transferre arma ad caſtra dæmonum. Id Deus ter optimus mali avertat quàm longiſſimè. Sinè dubio, quæ fiunt, fiunt honeſtæ benevolentiæ gratiâ. Credo: & intra honeſti leges omnia: credo: & tam puro affectu, quàm Michaël in Gabrielem ardere poſſit; credo!

Sed non ſufficio complanare Divum Auguſtinum dicentem: Amor ſpiritualis generat affectuoſum; affectuoſus obſequioſum; obſequioſus familiarem; & familiaris ſæpe generat carnalem. Id quod Thomas Kempenſis obſervans dixit: videtur eſſe charitas, & eſt carnalitas. Minus complanare poſſum S. Hieronymum ad Nepotianum ità ſcribentem: crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicitas, & deguſtatos cibos, blandasqve ac dulces literulas ſanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum deſiderium Chriſtus eſt. Modò etiam complanare poſſim, quod idem S. Hieronymus ad quandam viduam ſcripſit: quid tibi neceſſe eſt in ea verſari domo, in qua neceſſe habes quotidiè aut vincere, aut perire. Bellum ſibi ultro creare ſanè extremæ dementiæ eſt. Modò complanare poſſim D. Bernardum: adverſum illos, qui contra voluntatem ſuam quædam minùs Angelica evenire aſſerunt, ità ſcribentem: velle planè convincimur, quod non fieret, ſi nollemus. Deniq; ſemper mihi ſuſpectus fuit confeſſus, ubi Angelus, & Angela conventum habuère; neq; cœleſtem poſſum cogitare intelligentiam, ubi inter Gabrielem, & Gabriellam nimia eſt intelligentia.

Quapropter longè ſatiùs feceritis DD. Academici, qui lilia florere vultis, veſtris cordibus diligentes ut inſcribatis illud Evangelicum: lilia non nent. Aut ſi hoc longiuſculum eſt: Ponite præ foribus cordis veſtris excubitorem cum ſcuto, & lemmate. Non. Mel meum. Non. Lumen meum. Non. Corculum meum. Non! Quod ſi nec hoc arridet, à muſculo ſapientiam capite. Accidit quondam, ut incautis retibus ſeſe Catus induerit, quæ auceps illaqueandis avibus collocaverat. Ignarus, quid ageret, artis & conſilii inops, cum muſculorum obſeciſſet viciniam, omnem murium nationem, per omnes caſeorum, & placentarum Deos, deasq; invocare cœpit, adeſſent, & malo ſe, quod facile dentibus ſuis poſſent, eriperent. Promittere ſe, jurareq; ab hodie & in omnem æternitatem, nihil unquam Murium laudatiſſimo generi mali facturum, quin & teſtamento cauturum, nè quidquam adverſi à ſuis poſteris unquam, in Mures ſuſcipiatur. Audiebat hæc muſculus in vicino, Cati lamenta obſervans; precibusqve, ac promiſſionibus victus, lento pede abrepſit; funiculorum nexus, dentium corroſione ſoluturus. Quod ubi timidiſſimè, cau-

Digitized by Google

cautiſſimeqve præſtitit, illico ſe in ſuum anguſtiem hoſpitiolum recepit. Interea, carcere liberatus adfuit Catus; multaqve gratiarum actione pro beneficio, perſolutâ; cœlum teſtor, inqvit, æterna impoſterum mihi tibiqve ſit amicitia; nec id modò, ſed noveris univerſam Murium nationem ab hodie in æternum noſtro generi conjunctam. Eja chariſſime, veni ſis, ad tantæ neceſſitudinis, & benevolentiæ poſthac inter nos celebrandas conteſtationem, ruamus in amplexus, veni ſis inqvam, & liceat, cui vitam, & omnia mea debeo, illi amoris baſium figere. Laudo, reſpondit intra anguſtias hoſpitii ſui poſitus muſculus; Laudo tuam ô diviniſſime Civis, tuiqve generis in muras benevolentiam; nec aliud eſt, quod univerſi magis expoſcimus! pacem, pacem, te poſcimus omnes! neqve mihi aliud in votis, qvàm à te amari. Sed qvæſo, amemus nos à longè; amemus, ſed à longè.

Ita DD. Academici, ità mea lilia! veniet Roſilla, veniet Ludimilla, veniet Camilla, veniet Sibylla: amemus nos, amemus nos: qvid vos ad iſta? amemus nos à longè.

(O)

Domi-

Dominica 16. poſt Pentecoſten.

Fuit Exhortationum ultima, & valedictoria.

Da huic locum Lucæ 14.

Æternitati omnia cedere debere.

MUlta ſibi arrogavit humana fragilitas; illud ſine rubore mentiri non potuit, ut ſe diceret æternum. Scripſit ſe ſapientem, ſcripſit amabilem, ſcripſit fortem, juſtam, pacificam, liberalem, magnanimam, victricem, glorioſam, clementem, potentem; & mortalibus attribuit, quidquid fere in Deo legit: vix tamen unus aliquis, præter Alexandrum Macedonem, ita inſaniit, ut ſe ſcriberet æternum. Frequentes honorantium tituli ſunt: veſtra Celſitudo; veſtra Serenitas; veſtra Altitudo; veſtra Majeſtas; veſtra Sanctitas: Sed qui mortalem compellaſſet: Veſtra æternitas, nondum inter mortales fuit. Pompejus inter Principes glorioſus, Cæſar inter Bellatores victorioſus, Auguſtus inter cives Pater patriæ, Titus amor generis humani, Trajanus optimus, Nerva Clemens, Antoninus Pius, Adrianus Juſtus, Conſtantinus fortis, Theodoſius magnanimus audiit: ex omnibus nemo æternus. Omnia principum, regumque elogia in ſe uno complexus ſapientiſſimus Salomon, cum luſtraſſet oculis ſuis, quæ ſub ſole ſunt univerſa, tandem edixit vanitate plena eſſe omnia, & nihil permanere, ſeu illud celſum ſit atque eminens, ſeu illud firmum ac fixum habeatur, ſeu ut ſpecioſum, ſeu ut pretioſum prædicetur, ſub ſole.

Nimium, quam brevem vitam ſuam loquuntur omnia: & qui ſe temporum mutabilitati ac viciſſitudinibus eriperet, nondum fuit.

Seneca in Octavia:

Verum eſt, quod cecinit ſacer
Threſſæ ſub Rhodopes jugis
Tangens Threiciam chelym
Orpheus Calliopæ genus.
Æternum fieri nihil.

Sarbierius in lyricis:

Eheu Telephe ludimur!
Fortunæ volucri ludimur impetu!
Æternum nihil eſt, ſacro
Quidquid lenta tulit materies ſinu.

Digitized by Google

Statur caſibus. Occidet
Quod ſurgit; ſed adhuc ſurget & occidet,
Ritu præcipitis pilæ;
Quæ compulſa cava rejicitur manu.
Nunc lenes ſecat Africos.
Nunc terræ refugis abſilit ictibus.
Anni nubibus inſident,
Incertis equitant luſtra Favoniis,
Magnas interea rapit,
Urbesque, & populos, & miſerabili
Reges ſubruit impetu
Et ſceptri decus, & regna cadentium
Permiſcet cineri Ducum Quis? Fortuna!

Ita de hujus mundi inſtabilitate ſæculi noſtri Horatius. Quid hæc mundi ſcena, Academici? niſi quoddam continuum Ave, & Vale. Vix viſi diſparemus; oſtendimur terris tantum, & cum ad breve momentum frontem nobis exhibuerimus, tergum vertendum eſt. Hoc ortus, hoc ſiderum curſus, hoc dies, hoc horæ loquuntur. Vix naſcuntur momenta, & jam ſuis in cunabulis dictum ſibi audiunt: da huic locum. Surrexiſti hodie bene comptula aurora? bene eſt, dabis huic locum. Cui? plene pexo Cynthio, & meridiei. Ades meridies? bene eſt, dabis huic locum. Cui? jamjam naſcenti veſperæ. Ades jam & veſperu? bene eſt, dabis huic locum. Cui? noctilucis tenebris, & inter ſtellas diſcurſuræ Cynthiæ. Sic hora horam, ſic diem trudit dies, ſic annus annum, ſic ipſa quoque ſe ſequuntur ſæcula, donec demum ſuccedat, quæ nulli cedit, immobilis, immutabiliſque æternitas.

Huic locum dent, oportet, omnia, & quæ ſunt, & fuerunt, & quæ futura ſunt hæc noſtra tempora, momenta, horæ, dies, anni, & ſæcula. Hæc eſt illa æternitas, quam nec capit locus, nec habet tempus, nec ullus circumſcribit ſiderum curſus. Brevior hæc menſura eſt, quam ut hanc immenſitatem comprehendere valeat. Hic eſt ille oceanus ſine fundo, ſine litore, ſine termino, ſine fine: cui explorando nulla bolis, cui dimetiendo nulla geometrarum inſtrumenta, cui claudendo nulli uſquam termini ſatis ſunt. Hæc eſt illa duratio ſemper præſens, nunquam fluens; perpetuum hodie, perpetuum nunc: cujus nullum præteritum, nullum futurum; ille annorum gyrus ſemper a ſe exiens, ſemper in ſe refluens; imo, nunquam a ſe exiens, ſemper in ſe conſiſtens; cujus centrum ſemper, & ſemper; cujus peripheria nunquam, & nuſquam. Hæc eſt illa ſtabilis immutabilitas, & immutabilis ſtabilitas: Sphæra, cui nec finis, nec initium: rota, quæ cum perpetuo circumagitur,

quie-

Digitized by Google

quietem neſcit : fons, qui ſemper in innumeros decurrens canales, ſuum ut currat ſemper, ad caput redit : ſcaturigo quæ ſic a ſe abit, ut maneat in ſe ſemper, ſic in ſe manet ſemper, ut fluat ſemper: ſerpens, qui capite in orbem revolutus caudam admordet ſuam, ut ibi deſinat, ubi cœpit; & rurſum ibi incipit, ut deſinat nunquam. Hæc illa eſt æternitas, in qua nec numerus, nec motus; non prius, non poſterius, non primum, non ultimum, non ſucceſſio : tota ſibi ſemper præſens : non quod partes habeat, ſed quia illi nihil deeſſe poteſt; quam cogitare poſſumus, explicare non poſſumus; exiſtentem intelligimus, & ortum ejus neſcimus. Nondum erunt abyſſi, nondum terræ moles conſtiterat; non æther librabatur ſurſum, nondum terra ferebatur deorſum; nondum cæli firmabantur cardines, & jam illa erat. Nihil ipſa prius, nihil ipſa poſterius; quia ipſa ſupra omne tempus, ſupra omne ævum ſemper ſua, ſemper ſibi conſtans æternitas.

Numerate, ſi poteſtis, Academici, numerate ſtellas cæli; numerate litorum arenulas; actum cuivis ſtellarum, cuivis arenularum, annorum, aut etiam ſæculorum attribuite myriadem; & menſurate æternitatem, quam pridem ſit, quod fuerit: & prius perdemini in illa, quam aliquid decerpſeritis ex illa. Numerate rurſum, ſi poteſtis, omnes guttas oceani; & ſingulis guttarum tribuite alias, & alias ſæculorum myriades; & menſurate æternitatem, quamdiu futura ſit: & invenietis, ſemper tanto plus reſtare de illa, quanto plus abſtuleritis ex illa. Nullum ante ipſam præteritum, quia ipſa primum. Nullum poſt ipſam futúrum; quia ipſa eſt ultimum. Neque tamen, quod jam forte fuit, illi non eſt: neque, quod nobis primo futurum eſt, illi nondum eſt. Sæcula, quæ nobis mortalibus jam effluxerunt; illi præſentia ſunt: & anni nobis poſt tempus, & tempus futuri, illi jam ſunt. Nec illi aliquod heri, nec aliquod craſtinum eſt. Magis iſta non ſunt, quam ſunt.

Quid enim eſt AA. quid eſt illud noſtrum Heri, & illud noſtrum Craſtinum? quid illud quod præteriit, quid, quod futurum eſt. Præteritum eſt, dicetis, quod aliquando fuit, & jam non eſt. Neque ego alio abeo. Verum ſi ita eſt, quomodo igitur præteritum aliquid eſt, quod jam non eſt? quid, amabo, ſunt anni, quid ſunt ſæcula, quæ jam fluxerunt? ſed prius ſcire volo, quid fuerint? an putamus, aliquod ſæculum integrum aliquando fuiſſe? nonne ſæculum, ſpatium centum annorum dicimus? quando autem fuerunt centum anni? nonne annus menſibus, menſes hebdomadis, hebdomadæ diebus, dies horis, horæ ſuis momentis conſtant; quæ tamen ſingula nunquam tota ſimul ſunt; quomodo igitur annus aliquando, quomodo igitur ſæculum fuit? Quidquid in tempore eſt, ſuum habet præte-

ritum, ſuum futurum. Si enim aliquid eſt, quod nondum fuit, & nunc ſic eſt, ut futurum ſit, non in tempore, ſed initio temporis eſt. Et ſi aliquid eſt, quod fuit, & mox futurum non eſt, non in tempore, ſed in fine temporis eſt. Ut autem in tempore ſit, inter præteritum & futurum ſit oportet, hoc eſt, ſit inter non eſſe, & non eſſe; quandoquidem præteritum jam non eſt, & futurum nondum eſt. Colligite jam DD. Academici, quæcunque in tempore ſunt, & videte, annon magis dicenda ſint non eſſe, quam eſſe; cum in ſolo præſenti ſint aliquid, in præterito autem & futuro nihil. Ex quo ulterius ſequitur, admodum parum habere de eſſe, quod in momento eſt; & adhuc minus, quod in hora eſt, & iſto adhuc minus, quod in die eſt, & adhuc minus quod in anno eſt, & adhuc minus quod in ſæculo eſt. Ecce quam parva res eſt noſtrum præſens, noſtrum futurum, & noſtrum præteritum.

Quæ cum ita ſint, quid eſt AA. quod hæc momentanea, hæc tam caduca & tranſitoria, neque ullo ſtabili gradu conſiſtentia diligimus mortales? cur non potius oculos, animum, conatusque noſtros in illa dirigimus, quæ æterna, quæ ſemper duratura; & quæ ſua ſtabilitate magna, & ſola vera bona ſunt? Cur præ his fluxibilibus & evanidis creaturis non potius locum æternitati cedimus? quorſum, ut cum Poëta loquar, quorſum levi, ſurgente poſt Zephyros Noto ruitura ſtruimus culmina; & quorſum vagas, moxque perituras mittimus ponto rates. Quidquid ortum eſt, occidet. Egreſſa cunas jam mori cœpit roſa: & cras eodem ſunt ligo, & ſceptrum loco. Fluunt omnia, loquitur Seneca ep. 67. & in aſſidua diminutione ſunt, nihil tale aut eſt, aut patitur illa æternitas, de qua nos inter in præſentiarum.

Loqvar de illa in ſimilitudine. Ponite vobis ob oculos, Academici, Rupem Qvalis tumentes maris fluctus deſpicit ad Pachini litora, erectam illam, firmam, & nullo ventorum impetu mobilem: juxta hanc, aut potius circum illam deſcendat flumen, cujus pars aliqva jam præteriit, alia pars primum ventura eſt; alia pars needum plene præteriit, nec plene primum ventura eſt, ſed partim in prætereundo, partim in approperando eſt: nec jam ibi eſt, unde venit; nec ibi eſt, ubi futura eſt: ſed deſinendo ibi eſſe, unde venit, eo vadit, ubi erit. Refluat jam & id, qvod de flumine præteritum eſt; & quod in prætereundo eſt, & quod in approperando eſt; refluat inquam circum rupem illam, in ſuum circulum: & ecce, quod jam rupem hac parte tranſiit, adhuc rupi præſens eſt: & quod primum tranſiturum eſt, jam rupi præſens eſt, & quod in tranſitu eſt, rupi præſens eſt: neque ut hæc omnia rupi præſentia ſint neceſſe eſt aut tranſiiſſe, aut primum

tran-

tranſiturum eſſe: ſiquidem & ea parte, qua flumen præteriit, rupes eſt; & ea parte, qua flumen eſt, rupes eit; & ea parte, qua flumen tranſiturum eſt, rupes eſt.

Rupes iſta, immutabilis, immobiliſque, & omnibus rebus ſemper præſens eſt æternitas. Circum hanc tempora alia ſerpunt, alia repunt, alia ambulant, alia currunt, alia volant; vel ſi mavultis, omnia fluunt. De his temporibus aliquid nobis eſt præteritum, aliquid futurum, aliquid in veniendo, aliquid in prætereundo eſt: at non ſic æternitati. Eſt illa, quæ eſt, tota id, quod ſibi ſemper ipſa, & omnibus ipſa ſemper, & omnia ſemper ipſi. Non invenietis, cui non adſit illa, quod non adſit illi: non præteritum, quia ea parte eſt: non futurum; quia & illa parte eſt: non præſens; quia & ibi eſt. Imo ſi philoſophari liceat; nunquam fuit illa: quia quod fuit, jam non eſt: nunquam erit illa: quia, quod primum erit, nondum eſt. Semper eſt illa: & ſi hoc non capimus; dicamus ſemper fuit, eſt & erit illa, tota ſimul, interminabiliſque omnis beatitudinis, omnis felicitatis indiviſa poſſeſſio.

Longe aliter ſe habent hæc noſtra, mortales! quæ perpetuum quoddam jam non ſunt. Quoties diximus Academici: Felix fuit elapſum ſæculum: jam non. Quam tranquilla fuerunt majorum noſtrorum tempora. Jam non. Quam benignum olim in terras fuit cælum. Jam non. Quam aurati fulſere quondam ſoles. Jam non. Quam pretioſas olim pluebant margaritas ſidera. Jam non. Sic nobis cantillare conſvevimus: Fuere Troes Ilium, Tros Ilium fuere: ubi ſtetere Pergama, nunc fluctuant ariſtæ. Quod de ſe nobis reliquere antiquorum felicitates; eſt illa vocum miſerrima, habuiſſe, vel fuiſſe.

Numerabantur olim inter vetuſtatis miracula, & Dianæ Epheſinæ templum, & Rhodius Coloſſus, & Jupiter Olympicus, & Mauſoleum Artemiſiæ, & Horti Semiramidis, & Cyri domus aurea, & Ægypti Pyramides: ubi nunc ſunt? Plinius l. 36. c. 12. nobis reſpondeat. Obliteratis, inquit, tantæ vanitatis autoribus, veſtigia ædificationis nulla exſtant.

Vejos inter fortiſſimos Italiæ populos cenſuit antiquitas. Ubi nunc ſunt? Florus l. 1. c. 12. noſter reſpondeat: Vejos fuiſſe quis meminit; inquit. Quæ reliquiæ, quod veſtigium? laborat annalium fides, ut Vejos fuiſſe credamus.

Romani Imperii quæ latifundia; qui fines? Termini, inquit Juſtus Lipſius l. 1. c. 3. de admirandis Romæ, termini fineſque Romani Imperii ſub

 Augu-

Digitized by Google

Auguſto erant ab oriente Euphrates, a meridie Nili cataractæ, & deſerta Africæ, & mons Atlas, ab occidente oceanus: a ſeptemtrione Danubius, & Rhenus. Ubi nunc ſunt? Claudianus Vates l. de Bell. Geld. reſpondeat: Hei mihi, quo Latiæ vires, urbisque poteſtas decidit? in qualem paulatim fluximus umbram!

Inter glorioſiſſimos Heroes Achillem numeravit Græcia. Ubi nunc eſt? Publius Naſo in Met. reſpondeat: Jam cinis eſt, & de tam magno reſtat Achille Neſcio quid parvum; quod non bene compleat urnam.

De Alexandro 1. Mach. c. 3. inquiunt ſacra oracula: conſtituit prælia multa; & obtinuit majorum munitiones; interfecit reges terræ, & accepit ſpolia multa; & ſiluit terra in conſpectu ejus. Ubi nunc eſt? Sacer textus edicet: poſthæc decidit in lectum, & cognovit, quia moreretur, & mortuus eſt. O quam breve momentum, inter omnia, & nihil.

Non ſic immobilis illa, & nunquam terminabilis æternitas. Iſthic ſæculorum naufragantur viciſſitudines: hic & aquæ, & arenæ ſuas deſtituunt clepſydras: hic ſenis hebetatur falx Saturni: hic ſuam vorator temporum ponit ventris ingluviem; hic fugituris temporibus ſua præſcinduntur alarum remigia; hic ſuas ſenectutes claudunt anni; & ubi multum deambulaverint, hic flumina ſorbentur; & cum multum adoleverint ætates, hic emoriuntur: & cum multum fulſerint ſoles, huc tandem occidunt; & cum multum in evanidis mundi felicitatibus erraveritis mortales, huc demum veſtra via eſt. Huc imus omnes; magna, ſumma, infima; æternitati cedant neceſſe eſt univerſa.

Brevi, brevi, Domini mei Academici, forte cras, forte adhuc hodie aliqui de nobis æternitatis ſubibimus viciniam, & ecce omnis rei finis tunc erit. Valde cito erit tecum hic factum, inquit Thomas Kempenſis l. 1. c. 23. Prope abeſt, ut ego, tu, ille audiamus: da huic locum. Alii nobis, nos ceſſuri ſumus aliis.

Omnes eodem cogimur? omnium
Verſatur urna ſerius, ocyus,
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impoſitura cymbæ.

Credamus, non credamus; velimus, nolimus: loco cedendum eſt, & quorſum? ad æternitatem: ſed notate Academici: ad æternitatem, vel felicem illam

illam inter ſuperos; ubi omne bonum: vel infelicem, inter inferos, ubi omne malum. Nec de hoc plura.

Quæ cum ita ſint, quid eſt Animule, quid eſt Academice? quod tanto curarum æſtu intra nos verſamus, quid molimur? In toto orbe haud quisquam eſt, ſum inſano cerebro, qui mundi totius imperium ea accepte conditione, ut triginta vel quadraginta annorum ſpatio, in lectulo, roſis liliisque ſtrato extenſus cubare eligat; & eligemus totam eſſe miſeri æternitatem; totam cælo exceſſe æternitatem; totam ardere æternitatem?

Puto me intelligi. In toto orbe haud quenquam adeo mente laborare crediderim, qui exiguo labore, aut ſuſtinentia aliqua fatigari detrectet; ſi illi auro, gemmisque divitem theſaurum, unde in multos annos felix eſſe poſſit, in mercedem, ac præmium ſtatueris: & nos totam æternitatem felices victuri, mercedis illius grandis, æternumque duraturæ materiam inviſam habebimus? Quidquid hic vivimus, quantumcunque hic moramur, ſit illud felicitatum cumulus, ſit miſeriarum acervus; finem habet; breve eſt; quod ſequitur, æternum eſt, & finem habere non poteſt. Bella, fames, peſtilentiæ, contemptus, paupertas, morbi, perſecutio: apud nos temporanea ſunt, brevia ſunt, quod ſequitur, æternitas eſt; vel inter ſuperos, ubi omne bonum; vel inter inferos, ubi omne malum. Rerum abundantia, congeſtæ opes, plauſus, honores, & deliciæ; apud nos & iſta temporanea ſunt; quod ſequitur æternitas eſt; vel inter inferos, ubi omne malum; vel inter ſuperos, ubi omne bonum. Videte, quo loco unumquodque iſtorum apud veſtram ſapientiam eſſe oporteat. Quod utique quam prudentiſſime diſpicietis Academici; ſi ſæpe quieta mente ponderabitis, quid ſit tempus, quid æternitas.

Atque hæc pro coronide dictionum mearum DD. AA. Nunc & mihi dictum eſt: Da huic locum. Cedo lubens, & cathedram hanc, quam alieno juſſu ad vos exhortandum conſcendi; non invitus relinquo. Dixi hactenus, ſi conatus meos ſpectem, aliquid: ſi veſtra deſideria, dixi parum: ſi ſuperiorum meorum voluntatem, dixi ſatis. Ut ſemper lubens, alacerque ad vos dicerem, veſtræ debetur humanitati, qua hiſpidos ſermones meos accepiſtis; veſtræ in me benevolentiæ, qua emortuas vires meas animaſtis; veſtro affectui, quo me, etiam cum nihil dicerem, ſemper proſecuti eſtis: veſtro fervori, quo ad dicentem tanto, quem ſæpe mirati ſumus, numero accurrere conſveſtis. Excitabat me exhortatorem ſapientiſſi-

Digitized by Google

tiſſimorum virorum conſeſſus; excitabat nobilitatis præſtantiſſimus flos: excitabat Eccleſiaſticorum atque Religioſorum hominum eximia frequentia; & ſingulorum Auditorum ut virtus ſingularis, ita rerum divinarum docta aviditas: ut me etiam ea via non mediocriter ſublevatum viderim, quod ad eos dicerem, qui ex vili meorum verborum materia, omnigenarum virtutum formare poſſent effigies. Nunc ego, omnibus ac ſingulis demiſſum Deo Gratias! neque hoc tantum. Germani, dicebat ille, utuntur perſpectivis, quæ reſpiciunt præteritum: hinc magnum apud Germanos pro cauſa pondus eſt: ita olim faciebamus, ita olim fiebat. Gallos dicebat uti perſpectivis, quæ reſpiciunt præſens: hoc nunc agendum: nunc mox, confeſtim, ſtatim, actutum, extemplo fiat. Ita Gallus. Hiſpanis perſpectivas in uſu eſſe dixit; quæ reſpiciunt futurum. & certe ſapientis ea eſt conſideratio, videre quid futurum ſit in fine. Ego ultimum mnemoſynon meis DD. AA. hanc poſtremam exhortationem meam, cupio eſſe perſpectivam Hiſpanicam; qua veſtros oculos in æternitatem fixos velim: accipite; & ipſi epigraphen ex Deuter. 32. inſcribite: utinam ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent. Hæc hactenus.

Quæret nunc aliquis, quis in hac cathedra mihi ſucceſſurus ſit? Reſpondeo ex Eccleſiaſtis capite ſexto: Qui futurus eſt, jam vocatum eſt nomen ejus, & ſcitur, quod homo ſit. Supple: qualis ego. Sed quorſum Reverentia Veſtra. Ego? quorſum? Reſpondeo iterum ex Eccleſiaſtis c. 12. Ibit homo in domum æternitatis ſuæ. Huc imus omnes. Quod ſi eo me veſtrum quis præceſſerit; paret quæſo mihi apud ſtrictum illum Judicem benignam audientiam. Quod ſi ego præceſſero, tum omnes ac ſingulos DD. AA. demiſſiſſime rogatos velim, ut mei peccatoris in ſuis ſanctis precibus ſubinde recordari dignentur.

In

Digitized by Google

In Renovatione Studiorum

Celevſma Rhetorum.

BEne veneritis chara capita; imo chari pedes, debebam dicere: bene inquam ex pedeſtri itinere, ex Parnaſſo pedum patria veneritis, charus Phœbi cœtus, Heliconis peregrini, Eloquentiæ Candidati Neo-Rhetores. Hactenus Apollini fuiſtis a pedibus, & in Latium, famoſam illam Latinitatis ſimul, & Eloquentiæ Provinciam, iter terra feciſtis, & pedibus: & quidem nutrice, ac ductrice Grammatica per Scholarum ſubſellia tunc magis repſiſtis apodes, quam ibatis viatores: inde per eruditiorem ætatem in pedes erecti ad carpendas Muſarum lauros Parnaſſum conſcendiſtis: neque illud infeliciter; quando cælum omnia ſubjecit poëtarum pedibus. Nunc de montium præcipitiis laſſi, feſſique quid ni dicitis? Sta mi pes, ſta pes; ſta pes, ne labere mi pes!

Macte animis, impoſterum mari ibimus; & quod omnibus pedibus bonum, felix, fauſtum, fortunatumque eveniat, hodie bonis navibus, ponti avibus vela ſumus facturi. Valete pedes! non tantum pedes, ſed jam quoque dolent & manus, & caput. Toties per digitorum ſcalas currere, recurrere, diſcurrere; ibi quia pedes forte ſuperfluunt, ibi quod pedes metro non ſufficiunt; ibi quod excurrunt longius, ibi quod incedunt ſegnius: ibi quod verſus claudicat, quid hæc ſunt aliud, quam frangere & pedes, & manus, & caput. Teſtis eſt mihi hoc veſtrum, toties ſolicito ungue, quoties poëtico pectine, pexum caput. Nos navigabimus; in motu quieti, in quiete feſtini; ſtantes, ſedentes, recumbentes integros marium tractus tranſcenſuri.

Valete pedes. Longum iter per præcepta; brevius per exempla. Parcite, dicere debebam: longum iter, quod fit terra; brevius, quod fit mari. Tot per iter poëticum, verborum monſtra, tot abſtruſa vetuſtatis rudera! tot fabularum, vel ſola vocis enunciatione, dentibus crudelia portenta; tam obſcuræ oraculorum ambages, ſuffecerant; ut ſi vobis viam non eriperent, impedirent. Nos vero navigabimus. Iter noſtrum prærupta non habet. Plana ſunt Magiſtræ Eloquentiæ omnia: ſunt omnia pontus.

Valete pedes! Res plena periculi, iter, quod fit pedibus. Cardinibus cæli pedes inambulat Mulciber, & crurifragia refert. Pedes ingreſſa Divorum ſympoſium diva ſimilitudo, id gratiæ retulit ab hoſpitibus, ut etiamnum claudicet. Roſis inambulat pedes Venus, & cruenta ſpinarum reportat ſpicula. Et quotusquisque tam feliciter pedibus uſus eſt, ut non aliquando offenderit in lapidem. Nos navigabimus. Subſternent ſeſe nobis fluctus: omni roſa, omni pulvillo de oloribus molliores ſunt. Ibunt per jocantium carbaſorum ſinus, ludentes Zephyri; omni poëtriarum melo ſvaviores ſunt. Navis nobis domus, navis tectum: hac ſub magni Tridentis tutela, Triunius Dei protectione inquam, tuti ſecurique ibimus. Valete pedes; nos navigabimus.

Imo pedes, pedes, vobiſcum afferte Neo-Rhetores. Cupio enim quam maxime, ut navigatio noſtra habeat & caput, & pedes. Maria navigabimus. Quid ſi veſtrum ſunt futuri aliqui, ejusmodi piſces, qui perambulant ſemitas maris; cancros pœnæ nominaveram; hi certe pro verſu ſuo retrogrado pedibus opus habebunt. Erit forte etiam, ut ad retinendam animorum benevolentiam, in Poëtarum regiones exſcenſionem faciamus; nolim tunc quisquam pedum defectu laboret. Atque utinam hoc anno, ad bella nato, ſalutem non quæramus in pedibus, pedes itaque vobiſcum ferte Neo-Rhetores.

Verum priusquam navigium conſcendimus, habeo ad vos verbum, quod quantumvis ſex conſtet pedibus, emeritis poetis monſtrum eſſe non debet. Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando? Imo quæro prius quorſum? Quorſum? hoc primum eſt, quod navita in ponto; quorſum? hoc primum eſt, quod miles in bello: quorſum? hoc primum eſt, quod viator quærit in limine. Et vos quorſum? ſi quis veſtrum neſcit, aut ſi mihi presbytero baptizandi honorem defertis, dicam. Eo navigabimus, ubi de ſqvallentibus ſaxis, hirtisque rupibus Deucalion, de ſylvarum monſtris homines oratione efformat Orpheus. Eo navigabimus, ubi Hercules Gallicanus aurearum catenarum de ore fluentium miniſterio, qua lubet, trahit populos. Eo navigabimus, ubi ſua lumina Ariſtoteles, ſua flumina Tullius, ſua fulmina Demoſthenes, ille ſpargit, iſte fundit, iſte circum deverberat.

Eo

Eo navigabimus, ubi mella Plato, roſas Pericles, lilia Hortenſius, ille liquat, ille pluit, iſte explicat. Eo navigabimus, ubi cedunt arma Togæ; & quamvis duriſſima corda, eloquio pollens in ſua vota trahit. Demum ut paucis abſolvam omnia, eo navigabimus, ubi de Rhetore fit Conſul, & ſi Conſul fortunam mutare voluerit, fiet de Conſule Rhetor. Italiam Italiam! primus conclamat Achates, & ſi me Achatis nomine dignamini, dicam, quod ſentio. Tendimus in Latium; in illam tot nationibus & populis ſemper amatam, ſemper expetitam patriam, Regnum Eloquentiæ: ubi ſolum ille magnus, qui Rhetor.

Non habeo neceſſe quemquam impellere, quo ultro inclinatiſſimo impetu abripimini. Nolentes trahantur; volentes ducantur. Unum forte hoc loco ex me intelligere avetis, quod mare, quis pontus, quem navigaturi ſumus. Nominabitis mare, quod Græcia Erythræum, nos mare rubrum dicimus: non abnuo. In hoc mari olim merſa fuit Ægyptus: & nobis hic mergendæ, extinguendæque venient ægyptiacæ ignorantiæ tenebræ. Illud tamen monitos velim, fore hic neſcio quem Moyſen, qui ad faciendum expeditius iter, tot miraculorum patratricem virgam ſit ſubinde adhibiturus.

Dicetis Mare mortuum? Hoc pariter Mare pigrum vocatur. Nec iſtud recuſo. Quando Mare hoc non per modum ranarum, paludibus inhærentium incolere, ſed ut Jaſones ſuperare venimus. Nolim tamen vos ignorare mea chara capita, in hoc Mari omne plumarum genus illico mergi: ut proinde eos attentos reddi oporteat, qui lecti, pulvillorumque plus æquo amantes de calamis parum, de plumis ſentiunt plurimum; ne ab hiſce pigris, plumarumque avidis undis, hi dormituriones, animatique pulvilli in maris abripiantur profundum, demerganturque.

Vocabitis mare Africum? id etiam mare Aſperum appellatur. Neque in hoc diſſentio. Quando tam Africum, quam aſperum, quid multis futura eſt Eloquentia. Verum omnis vis ſuperanda mali eſt, & de ſyrtibus, aſperiſque ſcopulis victoribus erigenda trophæa.

Appellabitis mare Hyperboreum. Hoc alioquin mare glaciatum nuncupant. Non repugno; quando perſpectum habeo fervorem ſtudiorum

Digitized by Google

rum veſtrorum, ad cujus ignes & incendia vel ipſa Arctos diffluat. Etſi nihilominus metu me non liberem, ne quibusdam hoc locorum hæreat aqua; & intra hyemes torpeſcant nuper accenſa deſideria.

Denique voletis mare Pacificum. Hoc ego optare debui, vos præſtare poteſtis. Mare nullis ventorum furoribus infame; nullis fulgurum, fulminumque minis horridum: nullis fluctuum, procellarumque inſultibus infeſtum, placidum, quietum, planum, molle. Quod nec gravidæ temerant nubes, nulli exſternant turbine venti.

Verum aliud, nec tamen aliud omnino, ſed tale aliud, quod omnia habet, quæ alia, laude digna, habuere maria, navigabimus Neo-Rhetores. Anacharſis vetuſtæ ſapientiæ inſigne monimentum, quæſitus ſubinde, quodnam mortalium genus navigaret tutiſſime! Vulgo enim ferebatur effatum: nautas quatuor ſolum digitos, quanta nimirum navalium tabularum eſt craſſities, a morte diſtare. Reſpondit: qui in ſicco navigant; iidem navigant & tutiſſime. In ſicco, in ſicco navigabimus Neo-Rhetores. Sinamus Ennium navigare inter humida; qui nunquam niſi potus ad arma proſiliit; Nos in ſicco, ut in tuto. Sobria eſt Eloquentia, nata inter, & educata Oratores, non Cantores; non amat illa humores. Sal ſapientiæ eſt; in humido difflueret. Quorſum? in loquacitatem. Nos in ſicco, ut in tuto. In ſicco maria glorioſus tranſcendit Iſraëliticus populus; cum ex adverſo Pharaonis Sceptra, ejusque ducum faſces, & vaſtiſſimi exercitus in aqvoſo, furori maris in victimam abierint. Nos in ſicco, ut in tuto. Quanquam nec nos prorſus ſicce cum noſtris abibimus navigiis; miſcuit enim non modo ſapientia, ſed & Eloquentia ſui amatoribus vinum; Bibite chariſſimi: Vina bibant homines; qui nondum homines, ſicca aqua contenti ſint. Animalia cætera fontes.

Et jam ſolicitos video, qualis pro tam ſicco mari navis futura ſit? an etiam ſicca? neſcio. Siccum reſponſum. Fateor: in ſicco enim verſamur. Hoc ſcio, navem noſtram roſtratam fore, quia Rhetorum, quia unam de roſtris. Ex corio ut ſit, qualibus navigiis olim Oceanum navigabat Britannia, nolent ii, qui pelli ſuæ timent ſtudioſius, ne forte alicubi ductam rimam de ſuo jubeantur obducere corio. De ligno, ac

ac ſylva, qualem olim Jaſon, ac Typhis, & nunc omnia habent maria, nolim ego, qui de ſcabra, orno, aut pinu, mallem Mercurios, quam ruditer glabra navigia.

Scio, quid dicturus ſum! In Mylo navium uſus fuit de papyro, & arundine ita confectarum, ut papyrus arundinem, arundo papyrum mirifico amplexu ambiens, ac rurſum includens, navigaturis & hoſpitium præberet, & navigium. En Scholam hanc Neo-Rhetores; iſtam nos papyro, & arundine, chartis & calamis inſtruemus, incingemus, includemus, involvemus, obducemus, obſtruemus, & adverſus omnem tum ventorum vim, tum furorem procellarum, tum ſcopulorum inſidias eruditiſſimum navigium nacti ſumus.

Nemo mihi ſuos timores, nemo maris tumores objiciat. Novit navis noſtra ponti anfractus, aquarum itinera, & ſi quæ erunt, voraginum ac Scyllarum pericula; aſſveta ire, redireque: Sciens fluctus frangere; vitare ſcopulos & ſyrtes: erit illa magna parte ſui, quæ fuit.

Ad clavum ſedet totius navigationis caput, venerandus, multaque ſcientiarum luce perfuſus vertex; multi in Cynoſuram illi aſpectus, magna cum Magnete animorum, Eloquentia; multa cum mappis Tullianis commercia: Cyprianus Suarius eſt: ipſe diriget nos.

Ad latera fluctus frangunt remigum nobiliſſima turba: Ingenii Vis, animi Docilitas; Laborque, & multiplex Induſtria: centumque præterea omnis ſtudioſitatis aſſeclæ; ipſi promovebunt nos. Malum aut agit, aut fulcit, quavis orno, pinuque adverſus cæli furores, ventorumque iras, & procellarum impetus conſtantior, audax ſtare, certa non cedere, Perſeverantia: ipſa ſervabit nos. Per antennas, tranſtrorumque ordines curioſa diſcurrit plebs, Epibatæ, velaque ſcriptorum nunc laxat ventis, nunc colligit in volumina: animi Alacritas: Ardor ſciendi; Præceptoris Vigilantia, & a ſedendo, neſcio an bene dicta ſedulitas; ipſa erudient nos. Ad proram, & ſarcinas inertes, patriamque reſpicientes hærent curæ; aliæ languent, aliæ dormituriunt; aliæ emortuæ ſunt; neque turbant nos. Demum in totius navigii felicitatem conſpiravit, quidquid Oratorum Eloquentia aut excoluit, aut perſecuta eſt. Nobiſcum ſunt, in oratione brevis Thucydides; in eloquio fuſus Herodotus, in facundia amœnus Xenophon, in effatis divinus Plato; in premendo acer Ariſtoteles, in delectando comptus Iſocrates, in ponderando graviſſimus Demoſthenes. Nobiſcum partietur acre ingenium Plutarchus, ſvavitatem Herodianus, ſplendorem Lucianus, mella Heliodorus, lacteum candorem Livius, elegantias Aphthonius, ordinem Ariſtides, ſententiarum pondus Criſpus Salluſtius, puritatem Cæſar, veritates Annæus,

acumen Valerius. Nobiſcum ibunt, horti vice, amœnus Florus; Phari vice, illuſtris Curtius, acus magneticæ vice Quintilianus: omnium vice omnium oratorum compendium Marcus Tullius.

At enim, illud magnopere animo ſedeat, oportet Neo-Rhetores; ne dum tot præſtantiſſimis Ducibus, aut viæ comitibus vitamus ſcyllas, incidamus in charybdes. Multos nobiſcum eſſe gaudeo; non omnes ambio. Ipſa copia ſuſpecta eſt; & rejicienda, ut unum probum ſerves. Quare nemo mihi Apuleji aſinum, quantumvis aureum, ſecum afferat; niſi & ipſe marini aſelli inſtar haberi, tractarique velit. Quiſquis præterea Publii Naſonis impuros amores navigio intuleris, næ tu mihi non integro naſo abieris. Quiſquis Petronii ſordes, aut Tibulli ſpurcitias noſtræ navi invexerit, ejus collo ſuſpendatur mola aſinaria; & quæ ibi ſequuntur. Parthenium, virgineum, caſtumque eſt mare, quod navigabimus; Virgini Martyri Catharinæ, id eſt, Puræ, dicatum; cujus niveum de collo fluentum, quiſquis impudenti rubore aſperſerit, cum nos mittemus ad mare, in quo meliora diſcat orare.

Quin potius afferte vobiſcum ingenii ſagacitatem, qua ſublimia tranſcendatis, ſubtilia penetretis, obſcura illuſtretis, profunda inveſtigetis. Quamvis enim Coſmopolita ſim ego, & Tros, Tyriuſque mihi nullo diſcrimine habetur; tamen homines volo. Adferetis quoque grandem animi impetum, quo & difficultates ſyrtium tranſcendere & procellarum furores ferre, & fluctus inſtantes frangere, & voragines transvehi poſſitis. Florilli vero, & Roſilli, Roſimundi, & Florimundi, Baſilindæ, & Chitrindæ, & reliqua ejusmodi pigritiæ vocabula, quæſo domi ſuæ inter plumas delicatuli hæreant prius, quam nobis accedant putiduli. Homines enim volo, non hominum butyrum, quos ne fixius aſpexeris, quia diffluant.

Illud in primis ignorare non debebatis: aliud mihi dici navigium, aliud Columbarium. Ex Columbario, quoties purius mane illuxerit, quoties ſororculæ columbæ invitaverint, quoties columbus, vel columba ingemuerit, toties itur, reditur, rurſumque exitur, rurſum revenitur; nunc in agros, nunc ex agris; nunc ad amicos, nunc ab amicis: nunc ad umbroſa ſylvarum, nunc ex ſylvis: perpetuum hic mobile; & ſi uſpiam, hic certe nunquam fit mobile fixum. Non ſic inter navigia. Navem ſolviſti? ante obtentum portum non exſcendimus. Exſcendiſti? ante novæ claſſis apparatum non reciperis. Arcam Noë, volo noſtrum navigium! ex quo ne corvus ibit, niſi quem Noë miſerit. Sed nec columba redibit, niſi pacis teſſeram, ramum olivæ, attulerit.

Ergo

Ergo eamus! Sed adhuc verbum, & ibimus. Quid dicet, aliquis; quid totos dies, menſesque interea in navigio acturi ſumus? quid? noctu dormiemus; ſi tempeſtates admiſerint. Hoc ſciebatis: etiam ego. Quid autem per diem? per diem: nunc audiemus ſententias dicentem Tullium: nunc fœdera ſvadentem, aut diſſvadentem Demoſthenem; modo antiquam Romam nobis exhibebit Florus: modo Thyeſtis fata Atreique ſcelera dabit Tragœdus Seneca: modo abdita quæque Oratorum ſacraria reſerabit Cyprianus! Subinde cothurnum, ſubinde ſoccum induti Parnaſſum vocabimus in certamina: Subinde exſcenſionem faciemus more piratarum; & nunc ex Homero, nunc ex Pindaro, nunc ex Sophocle, ſpolia feremus. Eſt enim furtum, quod patronum ſuum habet; modo ovis tondeatur, non deglubatur.

Quid autem præterea? quod ſola facit, & ſola poteſt Eloquentia. Acute ſubtilia diſputare, acuta ſubtiliter; ſenatum habere: Legationes obire; concionem cogere, tueri æquitatem, utilia ſuadere, honeſta laudare, ſalutaria decernere, rationes perditas conſolatione recreare, feroces lenire, placare iratos, præſentes affari, abſentes literis convenire, & demum cum omni poſteritate, oratione, rationem habere, hæc alii facient, alii volent.

Ergo parata ſunt jam omnia? Omnia. Sed ecce. Poſt omnia obliti ſumus aliquid. Ubi Naulus Neo-Rhetores? in marſupio. Bene eſt. Servate, ſed pro lycæo, non pro lyæo. Ubi Cynoſura? ubi & ſpes; nempe in cœlo. Hoc melius eſt. Ubi Anchora? in Deo! ubi & res. Ite jam Neo-Rhetores! feliciter! feliciter! ego quod volebam dicere, jam totum dixi.

F I N I S.

MAG 2018054

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google